Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

I T.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

12
T/119.
KW 1113
D 47
1-2
III y 6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

1113
D 47

ARCANA ATHEISMI REVELATA,

Philoſophice & Paradoxè refutata,

Examine Tractatus

THEOLOGICO-POLITICI.

Per FRANCISCUM CUPERUM

Amſtelodamenſem.

Duobus Libris comprehenſa:

Priori *ipſe Tractatus examinatur atque refellitur.* Altero *ipſiſſimæ Atheorum, primo contra Sacram Scripturam, deinde contra religionem & Dei exiſtentiam argumenta, explicantur atque enervantur, & Deum eſſe novis argumentis demonſtratur.*

Operi præfixa eſt Præfatio, ad operis intellectum penitus neceſſaria: & in calce additamenta & mutationes nonnullæ, itidem neceſſariæ.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE 'SHAGE.

ROTERODAMI,

Apud ISAACUM NÆRANUM, Anno 1676.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

PROOEMIUM
Totius operis rationem complectens.

QUando bona cauſa, apud cordatos Judices, male defenditur, & nulla ad ejus defenſionem, præter invalida proferuntur argumenta, impoſſibile eſt, ut non magna oboriatur ad minimum ſuſpicio de cauſę iniquitate. Cum autem à teneris (ut ajunt) unguiculis mihi inter Atheos verſari & educari contigerit, quos argumenta, quibus vulgo eſſe Deum demonſtrare conantur veritatis profeſſores, frequenter examinantes, & eorum imbecillitatem detegentes audivi (quod non niſi inter eos quos ſecum ſentire credunt, facere audent) adactus fui de ſolidiore & compendioſiori via, qua de Dei exiſtentia certi eſſe poſſemus, deliberare. Præſertim cum viderem, paucis abhinc annis, tot homines, eoſque ſolertes & ſagaces, paſſim ad Atheïſmum ruere. Quod cum ſcirem non aliunde accidere, quam quia argumenta quædam, quibus hactenus ſibi ſatiſfecerant, invalida eſſe comperirent, ad *Tractatus Theologico-Politici* refutationem, primus omnium, quantum audivi, me accinxi, eamque abſolvi. Verum quoniam hæc cauſa mihi admodum ardua videretur, nequaquam feſtinandam eſſe editionem duxi, donec quantum in me fuit experirer, an juſtas editionem ſupprimendi rationes invenire, vel ab aliis inveſtigare poſſem. Præſertim cum hic nova quædam, & quamplurimis inaudita, & pro abſurdis à pleriſque reputata, defendenda ſuſceperim.

In quibus tamen credo, me, ſicubi aberravero, veniam, ſi recte ſentiam, laudem exſpectare poſſe: quandoquidem hæc non tantum cum multis communicaverim, examinaverim, judicio & examini etiam eorum, quos ſciebam contrariam à mea ſententiam, acerrime, & magna cum ſubtilitate defendere, quantum & quoties potui, ſubjeci, ne in tam ponderoſo negotio temere quid egiſſe merito ac jure accuſari poſſem. Et in eo ſane tantopere invigilavi, ac deſudavi, ut quoſdam invitos ad examinandum ſollicitare & adigere non deſtiterim. Nec tamen hactenus quidquam occurrit, quod me ab editione deter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

rere, vel à ſententia dimovere potuerit. Cum ergo Chriſtiani hominis officium ſit, ea quæ aliis utilia fore confidit, quando non eſt ſpes quod vel ſponte, vel ab aliis iſta ſint accepturi (quæ me jam dudum fefellit) liberaliter communicare; non permiſit conſcientia, ut hæc diutius premerem: ne omnium longe optima cauſa detrimentum capiat ex eo, quod ei legitima defenſio non accommodetur. Quamvis enim alii hic operam & diligentiam non mediocrem adhibuerint, non tamen adeo feliciter omnia mihi aſſecuti eſſe videbantur, ut ipſorum induſtriæ per me non aliquid accedere poſſet. Nunc igitur in apertum prodeo, ſperans non inutile fore, ut hæc mea aliorum laboribus accedant.

Ut vero inſtituti mei ratio, qua religionis veritatem & certitudinem, contra Atheorum inſultus munire ſum conatus, accuratius innoteſcat, omnino proficuum exiſtimavi, totius tractationis rationem præmittere.

Primo itaque advertendum eſt, me naturalem rationem in religionis negotio pro norma aut judice controverſiarum non admittere: (prout Lib. 2. cap. 12 accuratius eſt explicatum) & per eam intelligere ratiocinationes, ex innatis homini affectibus & paſſionibus legitime deductas. Ea vero quæ ex demonſtrationibus mathematicis, vel ex ſenſuum externorum teſtimonio certa eſſe conſtat, lubens admitto; nec quidquam in religione verum eſſe poſſe exiſtimo, quod illis eſt contrarium.

2. Rectam ſive ſanam rationem appello ratiocinationes, ex clariſſimis, & apud neminem controverſis Sacræ Scripturæ ſenſibus, vel ex expreſſis verbis in Scriptura contentis, vel per legitimam conſequentiam elicitas. Naturalem autem intellectum, ſive intelligendi, cogitandi, vel affirmandi aut negandi facultatem, unicum eſſe inſtrumentum vel medium agnoſco, quo veritas percipi & indagari poſſit.

3. Nullas notiones, nulla principia in Philoſophia admitto, præter ea quæ de novo examinata certa & vera eſſe deprehenduntur. Ea vero lubens admitto, ne ullum religionis caput, ejuſve particula illis ſit contraria.

4. Antequam autem Deum exiſtere vel non exiſtere, Chriſtianam Religio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Religionem veram aut falſam eſſe præſupponatur, id de novo rigide & ſeveriter examinari lubens concedo.

5. Religionis Chriſtianæ præceptorum, ſi ex naturalis rationis norma explicentur, ſenſum plane perverti & corrumpi, imo in contrarium ſenſum paſſim detorqueri à Chriſtianis exiſtimo. Atque iſtius rei hanc eſſe cauſam judico, quia quid recta ratio ſit non ſatis diſtinguunt, eamque in multis rebus ex innatis humanæ naturæ affectibus metiuntur.

6. Si quid in Philoſophia certum eſſe poſſe ſtatuitur, quod in religione ſit falſum, merum Atheiſmum, vel ſaltem ſtratam ad eam viam eſſe exiſtimo; & iſto nomine peſſime Philoſophiam à Theologia ſeparari.

7. Affectus & paſſiones, Jeſu Chriſti mandatis contrarias, ſive quæ nos ad ea quæ Ipſe prohibuit ſectanda ſtimulant, per ſe vel ſua natura non eſſe malas, nec ex peccato originali (quod vocant) vel Adami lapſu, malave conſuetudine ortas, ſed à Deo in creatione humanæ naturæ inſitas & inditas eſſe exiſtimo.

8. Ex Natura vel lumine naturali aliquid demonſtrari id ſolum dici debere exiſtimo, quod ex eo invenitur, quamvis nihil antea unquam ea de re audiveris Ad iſta qui ſedulo attenderit, tractatum quem exhibeo, non ſine emolumento evolvet, & rationem qua religio hic contra Atheos defenditur penitus intelliget.

Cum igitur Athei, ob nominis invidiam, & cauſæ periculum, occultius agere conſueverint & cogantur, idem hic ab Adverſario noſtro fieri debuit: in quo excuſationem obtinere poſſet, modo cauſæ ſuæ patrocinium in legitima argumentatione, non vero in fallaciis, impoſturis, mendaciis, ambiguitatibus & abſurdis falſiſque præſuppoſitis, abſque ulla probatione quæſiviſſet. Nunc vero oſtendere videtur ſe non eo animo ſcripſiſſe, ut in tam gravi & periculoſa (ſi in ea à veritate aberrare contigerit) quæſtione, ab aliis erudiri poſſet aut vellet, ſed ut per fas nefaſque, per aſſertiones & argumenta, quas ipſe falſas eſſe ſciebat, homines in ſuas partes abduceret. Quod ſane neminem præter eum decet, qui jam certo certius apud animum ſuum conſtituit, numquam credere eſſe Deum, Naturæ conditorem & gubernatorem, qui pietatem remunerari, & ſcelera plectere poſſit aut

 velit;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

velit; non vero eum qui pietatis eſt ſtudioſus.

Itaque non (prout debuerat) ſubobſcure demonſtrare conatur, non exiſtere Naturæ conditorem & gubernatorem, ſed iſtud in omnibus tractatus ſui capitibus, tanquam axioma certiſſimum præſupponit, eique cætera, quæ hic tractat, ſuperſtruit. Quod hic ſupervacaneum foret oſtendere, cum id per totum tractatum palam fecerim. Inſpiciantur modo illa quæ Adverſarius ſub finem pag. 31 & pag. 32 cap. 3. item cap. 14 pag. 164 toto diſſerit, nec amplius dubitandi locus, credo, ſupereſſe poterit.

Quod ut facilius perſuadeat, ſub ſpecie explicationis Sacræ Scripturæ, & dogmatum fidei, ſubdole oſtendere conatur, omnia Religionis Chriſtianæ capita, nihil præter figmenta & deliria eſſe. Quem in finem Theologiæ à Philoſophia ſeparationem urget, quo liberius, ſub Philoſophiæ nomine, Atheiſtica dogmata inculcare concedatur, & vulgus, ſi quid obſtrepat iſta religionem pervertere, placari poſſit, dicendo (quod jam dudum à Theologis prætendi cœpit) in Philoſophia verum eſſe poſſe, quod in Theologia ſit falſum, & vice verſa. Philoſophiam enim regnum veritatis, Theologiam pietatis, & devotionis (id eſt deliriorum & ſtultitiæ) appellari vult, ut populus ſpecioſo pietatis titulo, à Philoſophis placide gubernari, & metu divinorum ſuppliciorum, in officio contineri poſſit. Quod magnum Monarchici regiminis arcanum eſſe affirmat. Dicit enim in præfatione pag. 2 lin. 12, 13, 14, *homines non niſi durante metu, ſuperſtitione conflictari*, *eaque* NB. *omnia*, *quæ* NB. *unquam vana religione coluerunt*, *nihil præter mera phantaſmata*, *animique triſtis & timidi fuiſſe deliria.* Scio verſipellem Adverſarium vocem *vana* interpoſuiſſe, ut invidiam vana explicatione declinaret, declarando ſe non de vera, ſed *vana* religione locutum fuiſſe. Sed qui cætera, quæ modo indicavimus, & in refutatione noſtra paſſim docuimus ruminaverit, facile videbit, ipſum per veram religionem nihil præter vitam, ex uſu Reipublicæ, ſecundum leges Politicas, idque per inevitabiliter neceſſarias Naturæ leges, quas nemo tranſgredi ullo modo poſſit, inſtitutam, intelligere: ac propterea per *vanam religionem* omnem, quæ unquam à Moſe, Chriſto, & ante Legem, ab ipſo Univerſi conditore, à nobis inſtituta eſſe creditur, intelligere.

Quam

Quam adeo execrabilem opinionem, pro certiſſimo fundamento, & indubitato axiomate præſupponens, omnia religionis capita, per doloſas, captioſas & ambiguas ambages ſubvertere ſatagit; & per ſerioſe & ſcurruliter propoſitos ſarcaſmos, quibus ea talibus, qui quid dicere velit intelligunt, deridenda proprinat, ingenioſe convellere, & ut pro ridiculis & abſurdis agnoſcantur efficere ſtudet.

Quem in finem omnia iſta ſub ſpecioſis titulis, explicationis dogmatum Sacræ Scripturæ, & defenſionis iſtius divinæ authoritatis, methodi qua intelligi debeat & interpretanda ſit, quo pacto abſque ullo ſcrupulo pro divina agnoſci poſſit, & quænam fundamentalia fidei ſint dogmata, multiſque ſimilibus, adeo ſerioſa & ſevera oratione & geſtibus proponit, ut qui iſta penitius intelligunt, his riſus adeo vehemens oboriri neceſſe ſit, ut venter & maxilla, ne rumpantur, manuum compreſſione munire neceſſe habeant. Quo nullum magis efficax medium excogitari poteſt, ad homines carnales, mentis acumine præditos, ab iſtorum profeſſione deterrendum, ne ſe perſpicacium iſtorum Atheorum ludibrio & cachinnis exponant: cum nec religionem defendere, nec ipſorum objectiones ſe diluere poſſe, propter ſupinam qua religionem ſemper tractaverunt negligentiam experiuntur.

Quod ſub opinionum quorundam abſurdorum ſcuto, quæ inter Theologos vigent, tanto ſuavius efficere poteſt, fatalem ipſi Naturæ inſitam in agendo & exiſtendo neceſſitatem, divina & æterna decreta (quibus Theologi non pauci omnia alligata eſſe inſipienter credunt) appellando; divina attributa nec ab eſſentia divina, nec à ſe invicem diſtinguendo, infinitam ipſi ratione extenſionis eſſentiam, vel etiam omnis extenſionis expertem, attribuendo, & ſimilium non paucorum. Quas cum pro veris amplectuntur, impoſſibile eſt ut ipſius tela repellere poſſint, & ad Atheiſmum ruere non cogantur.

Itaque capite primo de *Prophetia* oſtendere annititur, eam nihil aliud fuiſſe, quam phantaſmata & imaginationes, hominibus phanaticis, melancholicis & delirantibus, vel vigilantibus, vel ſomniantibus objectas: atque eas Dei mentem & revelationem ſive decreta fuiſſe appellatas, quemadmodum pag. 13 lin. 24 & ſeqq. expreſſe declarat. Ad quod demonſtrandum ne unicam quidem rationem pro-

fert,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

fert, ſed nil niſi captiunculas. Et per longas ambages, quibus rudiorum animum obruit & conturbat, cum ad rem nihil revera faciant, ut quo iſta tendant perſpicere nequeant, efficere conatur, ut quid Scriptura dicere velit capere nequeant, & ſuſpicionem ipſis moveat, quod Scriptura ipſa per *Prophetiam* nihil præter imaginationes Prophetarum intelligat; quod ipſe optime novit plane eſſe falſum.

Quo pacto cum lectorum animos, per ea quæ ipſe novit eſſe falſa, confuſos reddidit, ſecundo capite nihil aliud intendere videtur, quam oſtendere, Prophetas fuiſſe homines fanaticos, qui ſibi multa vana & ridicula ſe videre & audire imaginabantur, ſtupidos, & ad quidvis audendum promptos, quales noſtro ævo fuere *Giftheyl*, *Rotheus*, *Sebathai Sebi*, aliique ſimiles, qui Regibus nonnunquam formidoloſi extitere, & populum inſanum in ſuas partes abduxerunt. Quod ex iis quæ in ipſa Scriptura de Prophetis ſcripta reperiuntur, oſtendere fuit conatus. Quæ adeo ridicula & abſurda eſſe innuit, ut ab homine ſagaci facile deprehendi poſſit, ea ab inſanis potius quam à ſapientibus eſſe profecta & recepta. Nos vero utrobique docuimus, rem longe aliter ſeſe habere, & nihil ibi reperi, quod non verum ſit & ſapienter dictum atque prolatum: & adverſarium nihil eorum quæ aſſeruit oſtendiſſe eſſe verum.

Capite tertio, contra vulgarem Theologorum opinionem aſſerit, Hæbræis nihil præter terrena commoda à Deo fuiſſe conceſſa, vel expreſſe promiſſa; ſed præter iſtud, eos nihil felicitatis præ reliquis nationibus habuiſſe, nec habere potuiſſe. Quod ut evincat, pag. 31 & 32 declarat, ſe nullum præter ipſam Naturam Deum agnoſcere, atque reſpectu hominum nullam aliam eſſe directionem Dei, præter humanam ſolertiam atque prudentiam. Ac præterea declarat ſe credere, omnia quæ in toto Univerſo fiunt vel exiſtunt, neceſſario ab ipſius Naturæ curſu neceſſario & inevitabili proficiſci. Quas adeo veſanas & abominandas opiniones in toto tractatu ne verbulo quidem adſtruere conatur eſſe veras. Et tamen ex iſtis omnia quæ poſtmodum diſſerit, concludit eſſe certa. Ac primo quidem, Hebræos nihil omnino præ cæteris nationibus ſingulare habere potuiſſe. Quod etiamſi optime noverit, à Scriptoribus librorum Biblicorum longe aliter fuiſſe creditum, ſimulat tamen ſe oſtenſurum, nullam aliam

iſtorum fuiſſe mentem. Atque in eum finem magna cum ſubtilitate multa Scripturæ loca ſcurriliter profert, quæ omnia, propter imperitiores nihil ſimile continere demonſtravimus.

Poſt iſta omnia capite quarto, ſub titulo *Legis Divinæ explicationis*, Lectoribus ſuam, de omnium entium, per naturalium cauſarum æternam & immutabilem concatenationem, in agendo & movendo neceſſitate, opinionem inſuſurrat; non quidem eam ulla demonſtratione fulciendo (quod toto iſto Tractatu, in illis quæ audacter aſſeverat, factitat) ſed tantum per ambages & amphibolias eam ita explicando, ut quamvis nihil minus faciat, eam probare videri velit. Ubi pag. 44 miris modis ſe torquet, ad explicandum quomodo humanæ leges, quas homines ex fatali neceſſitate Naturæ ferre ſtatuit, ab hominum tamen placito pendere dici poſſint. Quod æque facile aſſequitur, quam ſi quis aſſereret, ignem ex placito ſuo urere vel calefacere. Cumque Naturam pro Deo habeat, vel potius nihil præter eam agnoſcat, docet hominis ſummum bonum in cognitione & amore rerum naturalium conſiſtere, quod & præcedenti cap. 3 pag. 32, 33 fecerat. Idque ex ipſa Scriptura ſe oſtendere ſimulat. Quibus omnibus noſtram refutationem oppoſuimus.

Quintum caput de ceremoniis primum agit, deinde de fide hiſtoriarum. De prioribus (inter quas pag. 62 *orationes externas* id eſt preces annumerat) oſtendere conatur, eas nec ad beatitudinem, nec ad virtutem pertinere pag. 55. lin. 12, 13, & quod mirere, *nec ad Legem Divinam*; quod perinde eſt ac ſi diceret, eas non exerceri ex fatali omnium entium in agendo neceſſitate, quam tamen mordicus defendit omnibus rebus ineſſe. Idque non ſecus ac præcedentia, ex ipſa Scriptura ſe demonſtraturum ſubdole prętendit, eaſque ad nihil aliud à ſcriptoribus Biblicis confictas eſſe, quam ut nugis iſtis hominum ſtupidiſſimorum animi ad ſervilem devotionem incitarentur. Deinde pag. 62 circa finem de hiſtoriis Biblicis agere inſtituit, atque oſtendere, vel potius indicare, non opus eſſe ut quiſquam eas veras eſſe credat, præter eos quibus propter ingenii ſtupiditatem perſuaderi nequit, omnem religionem in gratiam eorum qui rempublicam regunt, eſſe confictam, ut ſubditos in officio continere poſſint, pag. 64 & alibi. Quæ omnia à nobis falſa eſſe oſtenduntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Sexto capite ex præſuppoſito quod omnia neceſſario, per inſitam Naturæ omnium cauſarum æternam & immutabilem concatenationem (quod nunquam demonſtrare eſt conatus) fiunt & exiſtunt, oſtendere conatur, nulla vera miracula, id eſt res quæ ab ipſo Naturæ ordine non neceſſario fluunt, unquam eſſe facta, nec fieri poſſe. Et quæcunque talia in Scriptura reperiuntur, nihil eſſe quam relationes rerum naturalium, mala fide traditas, pag. 76, 77, 78, nimirum vel cauſas naturales, à quibus iſta ſint producta, ſilentio involvendo, & mendacia quædam adjiciendo, vel etiam quod ſcriptor delirus crediderit ſe audire & videre, quę nullibi quam in ipſius phantaſia per imaginationem extarent. Quod poſtquam fruſtraneo conatu demonſtrare tentavit, ſecundo conatur, vel ſaltem ſimulat ſe velle oſtendere, ex miraculis non poſſe evinci eſſe Deum. Cui tertio ſubjungit ſimulatam probationem, in ipſa Scriptura per miracula nihil præter fatalem omnium rerum in agendo neceſſitatem intelligi. Cui quarto loco ſubnectit diſſertationem, qua id quod primo loco ipſum oſtendere velle indicavi, ulterius perſequitur. Quibus omnibus, non modo noſtras refutationes, ſed etiam contrarias demonſtrationes oppoſuimus.

Capite ſeptimo, obtentu methodum tradendi, ad Sacram Scripturam interpretandum accommodata, quidquid poteſt corradit, quo ejus authoritatem lubricam reddat, & oſtendat ejus ſenſum penitus eſſe imperveſtigabilem.

Primum iſtud capitibus quinque ſubſequentibus perſequitur, oſtendens quantum poteſt, libros iſtos nullius plane debere eſſe authoritatis. Et primo quidem capite octavo de 12 prioribus libris Biblicis oſtendere pertentat, eos non modo non à Moſe, vel illis qui vulgo putantur, ſed multis poſt mortem Moſis ſeculis ab Ezra confictos, & populo ſtupido, partim per vim, partim per impoſturas obtruſos eſſe. Idque ex quibuſdam indiciis, in libris ipſis occurrentibus, evincere conatur. Quæ omnia à nobis preſſo pede refelluntur.

Capite nono ex iiſdem libris multa congeſſit loca, quibus oſtendat, eos ab Ezdra confictos eſſe; & in illis contraria ſibi invicem, falſa, abſurda, confuſa & impoſſibilia contineri credit.

Decimo capite idem quod ſuperioribus tribus capitibus fecerat,

de

de reliquis Veteris Inſtrumenti libris, adverſarius demonſtraturum ſe prætendit, eos videlicet nihil eſſe, niſi fragmenta, eaque depravata, mendaciis & abſurditatibus referta, & multis ſeculis poſt authorum, quorum nomina præ ſe ferunt, mortem, demum conſcripta.

Undecimo capite demonſtrare ſatagit, Apoſtolos miris præſtigiis, mendaciis & dogmatibus, ad hominum ſtolidas imaginationes, & inſanas libidines accommodatis, eorum animos ad Chriſtianam Religionem amplectendum compuliſſe, idque ſub prætextu juris, quod doctoribus competere prætendit, illos facere potuiſſe exiſtimat. Ad quod oſtendendum non modo multa futilia profert, ſed inſuper verba Scripturæ malitioſe pervertit.

Capite duodecimo vult oſtendere, nihil pro Scriptura, Lege vel verbo Dei eſſe habendum, niſi quod per Univerſales iſtas Leges Naturæ, ſive fatalem omnium entium in agendo neceſſitatem, ab hominibus fiat. Idque ſcurriliter aſſerit indicari iſtis Scripturæ verbis, quibus Deus ſe Legem ſuam hominum mentibus inſcripturum promiſit Jer. 31. 33. Et impiam hanc opinionem miris verborum involucris pag. 144, 145 exornat. Deinde pag 146 oſtendere annititur, omnem quæ Legibus, Templo, Ritibus, Scripturæ, & quidquid tandem ſit, adſcribitur ſanctitatem, nihil aliud eſſe quam hominum inſana commenta: nihilque eſſe Sacrum, niſi quod homines ſacrum eſſe vana perſuaſione credunt. Non opus eſt ubique repetere, nos Adverſarii opiniones & argumentationes refutaſſe.

Atque ita omnibus religionis fundamentis & partibus rejectis, ad id quod intendebat, capite decimo tertio viam ſternere incipit, videlicet deſcriptionem optimæ Politiæ, in qua Athei ſecure, abſque periculo ut à plebe dilacerentur, degere, & iis qui perſpicacis ſunt ingenii, impias ſuas opiniones impune perſuadere poſſint. Eoſque rationem docere, qua Deum, id eſt mundum, ex toto corde diligere, ejuſque voluptatibus tranquille, quantum fieri poſſit, frui queant: exturbando videlicet ex animis ſuis omnem divinæ vindictæ metum, & populi rabiem mitigando. Idque hoc pacto obtineri poſſe non illepide docet, ut ex Authoritate Magiſtratus Philoſophia (ita enim Atheorum furores appellari vellet) à Theologia ſeparetur, & cuivis

interdicatur, id quod ratio certum eſſe docet, ad Theologiam ſive religionem applicare. Concionatores conſtituat, quibus injungatur, populum nihil aliud de Deo docere, quam quod omnia creaverit, regit, peccatores contumaces horrendis pœnis ſit affecturus, & ne Philoſophis propter eorum opiniones noceat; proximum non eſſe injuria afficiendum, & ſimilia pauca, ſine quibus reipublicæ tranquillitas conſervari nequeat. Atque iſta omnia uſque cap. 16 ſub ſpecioſis titulis, ex ipſa Scriptura (quam contrarium evidentiſſime docere optime novit, exceptis pauculis iſtis poſtremo recitatis) inculcare contendit. Nos vero in omnibus adverſarii aſſertionibus, non tantum oſtendimus, ipſum nihil eorum demonſtrare potuiſſe, verum etiam noſtras de iſtis rebus opiniones, cum Philoſophia & ſana ratione optimè convenire. Reliqua vero Tractatus iſtius capita, quibus de Reipublicæ forma agit, prætermiſimus, quia nos iſta non tangunt.

At vero quandoquidem Adverſarius, hoc ſuo Tractatu in paucis ſerio egerit, & ea quæ ad Atheiſmi propugnationem faciunt, non auſus fuerit publice proferre, meritò quis exiſtimabit, nos, quamvis totum iſtum Tractatum ſolidiſſime refutaverimus, cauſæ minime ſatiſfeciſſe. Ipſe enim Adverſarius non obſcure indicavit, non modo multa alia Sacris Literis objici poſſe, præter ea quæ jam ab ipſo ſunt prolata; verum etiam minime eſſe dubitandum, quin ſagaciſſimi iſti homines, non modo ad Chriſtianorum pro Religione Chriſtiana argumenta, ſolidas habituri ſint refutationes, ſed plurima etiam argumenta, quibus oſtendere poſſint, nullum exiſtere Mundi Creatorem & Gubernatorem. Quod cum mihi, ab infantia inter Atheos educato, non ſit incognitum (Atheos videlicet multa habere, quibus ſibi ipſis mirum in modum blandiantur) omnino neceſſe eſſe exiſtimavi ulterius procedere: atque reliquas eorum ſecretas objectiones & argumentationes, quas partim ex manuſcriptis, mihi hinc inde communicatis, partim aliunde hauſi, ad luminis naturalis, per divinas Sacræ Scripturæ revelationes accuratius excultæ obruſſam, trutinare. Atque in eum finem alterum librum adjeci, cujus contenta breviter hic exponere, non ingratum nec inutile fore lectoribus confido.

Itaque primo capite præcipua Veteris Inſtrumenti loca, quæ quidem mihi in ſpeciem aliquid contrarietatis habere videbantur, partim ex aliorum conciliationibus, partim etiam noviter excogitatis, minime pugnare demonſtravi.

Quod item ſecundo capite de ſimilibus in Novo Fœdere locis oſtendere ſum aggreſſus. Cum vero multa loca omiſiſſem, quæ mihi non neceſſe videbatur adjicere (putabam enim ex illis quæ poſueram conciliationem eorum peti poſſe) poſtmodum in mentem venit, adverſarios hinc calumniandi cauſam arripere poſſe, in fine tractatus reliqua in Bibliis occurentia loca, quæ nonnulli contraria eſſe prætendunt, una cum eorum conciliatione adjeci. Cui conciliationi regulas aliquot præmiſi, quibus omnia loca, quæ à nonnullis nugatoribus ad locorum contrariorum numerum augendum, ea præpoſtere juxta ſe invicem collocando, ſibi invicem contraria faciunt, enodare queant.

Tertium caput de iſtiuſmodi rebus agit, quas Adverſarii in Veteri Fœdere pro abſurdis habent, quæ ab eorum inſultibus vindicantur.

Quartum idem in libris Novi Fœderis exequitur, nec non de locis agit, ab Apoſtolis & Jeſu Chriſto ex Veteri Fœdere (quod Adverſarii volunt) perperam allegatis.

Quintum de iſtis abſurditatibus agit, quæ Utrique Fœderi ſunt communes.

Quibus omnibus capite ſexto, demonſtratiuncula adjicitur, de certitudine & veritate Sacræ Scripturæ. Quæ cum illis quæ Libro primo cap. 12 de ejuſdem depravatione diſputantur conjungenda eſt.

Capite ſeptimo multa Atheorum argumenta adjeci, quibus ex ipſa Natura adſtruere conantur, eam docere non eſſe Deum, & ſingulorum novam ſolutionem.

Capite octavo alia ipſorum argumenta, prioribus ſubtiliora, quibus oſtendere conantur non eſſe Deum, examinavi, & prorſus invalida eſſe, ex ipſa Philoſophia demonſtravi.

Quibus omnibus, aliorum pro divina exiſtentia argumenta, una cum

cum eorundem Atheiſtica refutatione, & noſtra eorum refutationis enervatione, adjeci capite nono.

Atque decimo capite oſtendo, quamvis nec Dei exiſtentia, nec ulla religionis pars ex ſolo naturali lumine deduci poſſet, inde tamen minime concludi poſſe, non eſſe Deum, neque veram religionem.

Atque ita omnibus Atheorum argumentis enucleatis atque enervatis, ipſe tredecim Argumenta, capite undecimo addidi, quibus exiſtentiam Dei ſolide adſtruo.

Quæ cum ex ſolo lumine naturali non ſint deſumpta, ac prçterea in præcedentibus ejus vires in hac diſputatione non multum valere indicaverim, placuit corondis loco diſſertatiunculam, de judice & norma controverſiarum fidei, item de ratione & methodo Sacram Scripturam intelligendi atque interpretandi, capite duodecimo adnectere.

Quæ omnia eo animo à me præſtita ſunt, ut alios, qui me eruditione & mentis acumine ſuperant, incitem, ut iſta à me inchoata, ulterius perſequantur, & ad majorem perfectionem perducant. Itidem ut omnes intelligant religionis & Dei cognitionis certitudinem minime eſſe Mathematicam, ſed in maxima tantum veriſimilitudine fundatam, adeo ut fide ſola, ex verbi Divini prædicatione concepta, recipi Hebr. XI. 6, coll. cum Rom. 10. 14, 15, 17, non vero infallibiter ſciri debeat. Si enim certa ſcientia hic locum haberet, tum fides eſſet deſtructa. Quocirca niſi ſedulo ad id attendatur, fidem cum Mathematicis demonſtrationibus non poſſe conſiſtere, neceſſario ad Atheiſmum eſt deveniendum Omnis enim demonſtratio numerando & menſurando fit, quas in Religionis negotio locum habere non poſſe, per ſe patet.

Non minori cum periculo religionem defendunt, qui Deum Ens eſſe urgent non extenſum, non in loco nec in tempore exiſtens. Si enim hæc tria ab eſſentia Dei removeantur, omnino Deum eſſe negatur. Non enim concipi poteſt, Ens quod nullam extenſionem habet, eſſentiam habere poſſe, vel quod nec in loco, nec in tempore exiſtit, ullibi vel unquam exiſtere. Atque ita hæc opinio mihi merus eſſe Atheiſmus videtur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Iidem realitatem formalem Deo adſcribunt, ut ejus eſſentiam realitati objectivæ, quam Ideæ Dei, noſtræ menti inhærenti ineſſe ſtatuunt, reſpondere ſtatuere poſſint. Rogati autem quid per formalem realitatem intelligant, id nunquam explicare voluerunt, vel non potuerunt. Si noluerunt, id nullam aliam ob cauſam factum eſſe videtur, quam quod animadverterent, explicationem iſtius locutionis, ſententiam eorum de Dei eſſentia non extenſa, & in ſola cogitatione conſiſtente, ſubvertere. Si non potuerunt, oſtendunt ſe proprium argumentum, ab Idea Dei, quam menti noſtræ infixam eſſe prætendunt, deſumtum, non intellexiſſe. De iſto autem argumento & materia, pag. 234, 235 Lib. 2. cap. 9 uberius egimus.

Eadem temeritate, & veritatis cum detrimento ſtatuunt nonnulli, nec in Dei, nec in hominum actionibus, libertatem ſive indifferentiam locum habere, vel libertatem cum neceſſitate poſſe conſiſtere. Quo ipſo omnem religionem tollunt. Qua de re Lib. 1. capp. 3. 4 & Lib. 2 cap. 8 egimus.

Animadvertendum etiam, ſi ex Natura, vel naturali lumine Dei cognitio hauriretur, tum non debere oſtendi eſſe Deum (tunc enim præſupponimus eſſe Deum, & jam antea Deum exiſtere credimus) ſed principia oſtendi deberent, ex quibus is, qui nullam unquam numinis mentionem vel ſuſpicionem hauſiſſet, ſponte in Numinis, Naturæ conditoris agnitionem paulatim deduceretur: alias, quamvis ſolida quis argumenta ex ipſa Naturæ conſtitutione vel lumine depromeret, ea tamen ex ſolo naturali lumine non eſſent petita. Quemadmodum lib. 2. cap. XI. p. 266 circa finem plenius oſtendimus.

Deinde & iſtud notari velim, quod argumenta hic nonnulla Atheorum poſui, aliis Atheorum argumentis contraria. Quod inde accidit, quia à nonnullis Atheis contraria argumenta proferuntur, & produci poſſunt, ad oſtendendum non eſſe Deum: quemadmodum error ſimplex eſſe nequit.

Minime vero prætermittendum eſt, me in recenſione eorum, quæ Adverſarius in ſingulis capitibus intendit & tractat, non id velle, eum profiteri hanc ſuam, eſſe intentionem, vel eum ex pro-

feſſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

feſſo iſta quæ indico agere; ſed hunc verum & intimum *Tractatus Theologico-Politici* eſſe ſcopum, & revera ibi nihil aliud agi, quamvis forſan alicubi contrarium prætendere videatur.

Tandem Lectores monentur, me loca quædam in hoc Tractatu, poſt ipſam impreſſionem mutaviſſe, nonnulla de novo addidiſſe, quibus neglectis ſenſus locorum imperfectus erit. Iſta vero omnia erroribus typothetarum ſenſum morantibus, interſerui.

Arca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Arcana ATHEISMI revelata, Philoſophice & Paradoxe refutata

LIBER PRIMUS

Sive

Examen Tractatus Theologico Politici.

CAP. I.

De Prophetia.

PRophetia ſive revelatio, ait Adverſarius, *eſt rei alicujus certa cognitio, à Deo hominibus revelata.* Definitionem iſtam facile admittere poſſemus, modo conſtaret quid ſibi his vocibus Author velit, qui quiſnam ſit cum certo nobis nondum conſtet, ipſe vero pag. 95 dicat, neminem de ſenſu verborum alicujus ſcriptoris, qui res incredibiles &c (quales non paucæ ab eo ſcribuntur) continet, certi quidpiam affirmare poſſe, niſi nobis ſit cognitus, & quibus opinionibus ſit imbutus; merito nobis eſt ſuſpecta; præſertim cum latius ſuo definito pateat: pag. enim 2 & 3 expreſſe dicit, ſe de ſupranaturali tantum Prophetia agere. Præterquam quod iſti, quos nos ſolos Prophetas eſſe credimus, ab ipſo paſſim pro ſtultis & phanaticis hominibus habeantur. Quamobrem merito dubitare poſſumus, quid per *certam cognitionem*, quid item per *Deum* intelligat. Nam Dei nomine interdum ſummum quendam Reipublicæ gubernatorem, interdum ipſam Naturam & hoc ipſum quod incolimus Univerſum, intelligere videtur, prout ſuo loco videbimus.

Quod deinde affirmat, *naturalem cognitionem prophetiam vocari poſſe*, non multum refragabimur, modo attendatur eam non iſto ſenſu quo Prophetia in S. Literis vocatur, Prophetiam vocari poſſe. Ipſe enim Author ſub finem pag. 2 dicit, nos hodie,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quod ſciat, nullos habere Prophetas. Quod dici non poſſet, ſi cognitio naturalis eodem ſenſu quo ſupranaturalis, *Prophetia* appellari poſſet.

Sed addit: *nam quæ lumine naturali cognoſcimus, à ſola Dei cognitione, ejusque æternis decretis dependent.* Ambigue & admodum obſcure, & quidem abſque ulla probatione, paſſim loquitur: quid enim per Dei cognitionem, quid per ejus æterna decreta intelligat, nondum explicavit, quod ante omnia facere debuit, & deinde id quod de iis rebus affirmat, demonſtrationibus, ſtatim ab initio, ubi illorum mentionem facit, munire, ut poſtea Paradoxas ſuas opiniones illis ſuperſtruere ſolide poſſet. Quod tamen facere neglexit, non aliam credo ob cauſam, quam quia in re ſeria ludere, & nihil niſi hominum animos confundere, & per ambiguitates & fraudulenter propoſitas difficultates, ut de omnibus dubitarent impellere eſt conatus. Quas cum homines in talibus (nova enim pleriſque ſunt & inaudita) minime exercitati, diſſolvere nequeunt) & cum maximam partem Chriſtianæ pietati minime ſint addicti, ac ob id nullum divinæ gratiæ experimentum, unquam fuerint aſſecuti, nec religionis fundamenta perſpecta habeant, ſed ea nullam aliam ob cauſam amplectuntur, quam quia à parentibus in Chriſtianæ religionis profeſſione ſunt educati (quemadmodum Judæi, Turcæ, Gentiles in ſuæ religionis profeſſione) facillime adducuntur, ut de Religionis & Sacræ Scripturæ certitudine dubitent. Cumque id vulgo peſſime audiat, nemini dubitationis cauſas patefacere ſunt auſi. Et ſic (Divino deſtituti auxilio) paulatim Atheorum conſuetudini ſe addicentes, addiſcunt religionem cum naturali ratione minime conſiſtere, & ad Atheiſmum prolabuntur. Qui ſcriptoris noſtri erat ſcopus, quam etiam non leviter eſt aſſecutus. Qui per Dei cognitionem, quantum ex toto tractatu colligere licet, nihil aliud quam rerum naturalium cognitionem intelligit: & per æterna Dei decreta, fatalem omnium entium in agendo & exiſtendo neceſſitatem, quemadmodum cap. ſequenti, & paſſim hoc tractatu explicat, quare non eſt quod hic iſtis diutius immoremur.

Nam quæ pag. 1 de *æternis iſtis Dei decretis* nugatur, eadem à nobis facilitate negantur, qua ab ipſo abſque ulla probatione aſſeruntur. Quis vero tantam temeritatem non damnaverit, quod cum ipſi ſatis notum ſit, quæſtionem hanc de fato toties exagitatam, & opinionem iſtam validiſſimis argumentis, à tot Chriſtiani orbis luminibus non leviter impugnatam, ne dicam penitus expugnatam eſſe, ad tot rationum pondera ne gry quidem reſpondeat, ſed tam abſurdam ſententiam præſupponat, eique tot itidem abſurda ſuperſtruat?

Quod pag. 2 contendit cognitionem naturalem reſpectu certitudinis, cognitioni Propheticæ nullo modo cedere, in eo nimis generaliter loquitur: cum enim cognitio Prophetica non circa res naturales, ſed ſupranaturales ſit occupata, naturalis vero contra; inepte certitudo illius cum hujus certitudine comparatur; præſertim cum de cognitionis principio, nempe Deo, nondum ſit actum. Nos ergo tantiſper hic præſupponemus, eſſe talem qualem Chriſtiani in genere agnoſcunt Deum. Cum vero rerum divinarum cognitio ex naturalibus principiis minime dependeat, (quemad-

admodum libro ſecundo prolixius demonſtrabimus) ſequitur nullam de Dei natura, cultu & præmiis, quibus ſuos cultores afficere vult, cognitionem certam eſſe poſſe, niſi quæ ab ipſo primitus immediate creaturis ſit patefacta, & ſic ad alios propagata. Quando autem conſtat Deum aliquid hominibus revelaſſe, nulla amplius dubitandi materia ſupereſſe poteſt: ſecus ac in naturalium rerum cognitione, quæ uſque adeo incerta & tenebris eſt involuta, ut merito dubitem, an ullius vel minimæ rei naturalis certa apud homines ſcientia reperiatur, præterquam rerum ad Mathematicas ſcientias pertinentium, quæ externorum ſenſuum certiſſima experientia percipiuntur, & perexiguam humano generi utilitatem adferre poſſunt, & ſine quibus plurimi vitam commodam & jucundiſſimam agunt.

Quæ porro pag. 1 & 2 de naturali cognitione aſſerit, eam videlicet æque certam eſſe ac propheticam, ſive divinitus revelatam, id nos ſano ſenſu acceptum concedimus. Nimirum quando aliquid ex indubitato ſenſuum teſtimonio evincitur eſſe verum. Cum vero in rebus naturalibus, pleraque valde ſint obſcura, & rerum naturalium fere omnium cauſæ nobis ſint imperveſtigabiles, omnino fatendum eſt revelationem divinam omni controverſiæ & diſputationi finem imponere, utpote à Naturæ ipſius authore immediate profectam. Nam quametſi Adverſarium hic ludere ſat habeamus perſpectum, non tamen inutile erit, nos in re ſeria, & omnium quæ tractari poſſunt maxime neceſſaria, ipſius jocos in ſeriam diſputationem convertere, & propter imperitiores oſtendere, quando Deum eſſe ſupponimus (quod adverſarius facere videri vult) ipſum non candide agere.

Pergit pag. 2. *Cum igitur mens noſtra, ex hoc ſolo quod Dei naturam objective in ſe continet & de eadem participat, potentiam habeat, ad formandas quaſdam notiones, rerum naturam explicantes, & vitæ uſum docentes, merito mentis naturam, quatenus talis concipitur, primam revelationis divinæ cauſam ſtatuere poſſumus.* Qui non obeſæ eſt naris, facile olfaciet quorſum hæc tendant, quamvis obſcure & intricate ſint propoſita. Interea negamus *mentem noſtram Dei ideam objective in ſe continere, & de eadem participare.* Negamus itidem eam ob iſtam cauſam, potentiam ad formandas notiones habere. Et idcirco multo magis negamus, eam primam revelationis Divinæ cauſam ſtatui poſſe, nec non ea quæ Adverſarius hoc paragrapho ſubjicit. Hæc vero adeo abſurda, ab initio abſque ulla probatione inſignis iſte Philoſophus præſupponit, egregiam de ſua diſputatione opinionem inſinuans.

Eadem pag. 2 & 3, ex eo quod de Judæis dicit, eos neglectis mediis cauſis, omnia quæ ſibi in mentem veniunt, eveniunt & obveniunt, devotionis cauſa Deo adſcribere (quod tamen neutiquam verum eſt) concludit (valida ſcilicet conſeqentia) non omnia quæ Scriptura Deo adſcribit, pro Prophetia & cognitione ſupranaturali eſſe habenda. Quod non tantum ex tam falſo & nugatorio præſuppoſito neutiquam ſequitur, ſed etiam ipſum præſuppoſitum planiſſime falſum eſt.

Reliqua quæ pag. 2 & 3 diſſerit prætereo, & tantiſper ea in medio ea relinquo, donec ad rem facere apparebit. Sed quod ſub ſinem pag. 3 dicit, *nos cogi diſtinguere inter*

Prophetiam Moſis & reliquorum Prophetarum, hoc quidem nomine, quod Moſes veram Dei vocem, reliqui vero Prophetæ imaginariam tantum audiverint, id ei probandum relinquo, nec aſſertionis iſtius ullam cauſam video. Nam quod ex eo, quod Dei vox voci Eli ſimilis fuerit, concludit iſtam vocem imaginariam fuiſſe, id nullo conſequentiæ nexu cohæret. 1. Cum incertim ſit, an vox Dei Eli vocem retulerit: 2. Quia Deus vocem Pontificis imitari potuit. Idem de cæteris quæ profert exemplis dictum eſto.

Pag. 4. Adverſarius, non parum à ratione alienum eſſe putat, quod creatura Dei nomine diceret, *Ego ſum Jehova*. Nos vero negamus id vel tantillum à ratione eſſe alienum. Præſertim cum Scriptura plurimis locis teſtetur, creaturas Dei nomine ita fuiſſe locutas, quod & ipſe adverſarius pag. 7. lin. 18, 19 concedit, dum dicit ſe legere, *Veterem legem per Anglum traditam fuiſſe*, qui idem Angelus ita Dei nomine locutus eſt.

Pag. 5, ex eo quod § 22 Davidi Angelus apparuiſſe dicitur, oſtendere vult *revelationem per ſolas imagines contingere*, ut ei poſtea ſuum de Prophetarum vaticiniis commentum ſuperſtruat. Quaſi id vere non potuerit contingere, ut David Angelum, gladium manu vibrantem viderit. Sed Advertant lectores, adverſarium toto hoc tractatu, omnia fere quibus aſſertiones ſuas ſuperſtruit fundamenta, quemadmodum hic facit, abſque ulla probatione aſſerere, idque in rebus quas optime novit, ab omnibus fere Chriſtianis negari.

De Moſe concedit eum veram Dei (id eſt hominis alicujus, quem Moſes alicubi occultaverit, vel ſuam ipſius qui Monarcha ſive Deus erat) vocem audiviſſe, quod de reliquis Prophetis negat, quem in finem pag. 6 duo loca Scripturæ, quibus id oſtendat profert. Prior eſt Num. 12. 6, 7, 8, ubi Deus teſtatur, ſe Moſi ore ad os loqui, reliquis vero Prophetis in viſione vel in ſomniis. Quaſi Deus nec in viſione, nec in ſomniis vera voce homines alloqui poſſit. Præterquam quod Deus id de Prophetis, qui id temporis præter Moſem inter Iſraelitas erant, intelligere potuerit, non vero de omnibus qui unquam extituri eſſent Prophetis. Quod forte prævidens adverſarius, verbis ſecundi loci Deut. 34. 10 avertere voluit, ubi legitur: *non extitit unquam in Iſraële Propheta ſicut Moſes, quem Deus* NB. *noverit facie ad faciem.* Quibus tamen verbis non negatur unquam extitiſſe Prophetam, quem Deus vera voce alloqueretur, ſed tantum, quicum tam familiariter & frequenter Deus ſermones miſceret. Id enim ſignificant voces *noſſe facie ad faciem.*

Vana igitur ſunt ea quæ Adverſarius pag. 6 ait, *Præter hæc media*, verba videlicet & figuras, *nulla alia quibus Deus ſe hominibus communicaverit, in Sacris Litteris reperio, adeoque, ut ſupra oſtendimus, nulla alia fingenda, neque admittenda.* Poſtea vero, pag. 7 ſui oblitus, expreſſe fatetur, Chriſtum ſolum alio modo Dei revelata accepiſſe. Rurſum audacter eadem pag. aſſerit, *nullibi legi Deum Chriſto apparuiſſe aut locutum fuiſſe.* Oſcitanter admodum, ut apparet, Sacra Volumina conſuluit, nec ea quæ Joh. 6. 46. & Joh. 12. 50 expreſſa ſunt, inſpexiſſe videtur, ubi expreſſe dicitur, Chriſtum

Deum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Deum vidiſſe, Deumque ipſi locutum eſſe. Cur vero idem quod Chriſto accidit, *de mente* videlicet *ad mentem cum Deo communicare*, in Chriſti membris locum habere non poſſit? Poſſem non pauca alia media, quibus ſe Deus hominibus olim revelavit proferre, qualia ſunt donum omnibus linguis loquendi, momento temporis Apoſtolis communicatum, & quæ illud ſubſecuta eſt, recordatio omnium quæ Chriſtus eos docuerat, nec non teſtimonium Spiritus Sancti cum ſpiritu fidelium, & ſimilia. Verum quia Antagoniſta omnia miracula prorſus negat, prius ad ipſius contra miraculorum patrationem argumenta reſpondendum eſt. Itaque hæc ad 6 Cap. differemus.

Quæ pag. 7, 8, 9, 10, 11 & 13 de ſignificatione vocis רוח *ruah Spiritus* erudite diſſerit, multa egregia continent; nec nobis ſunt adverſa. Sed ex illis conſectarium elicit, quod nullo modo ex ipſius diſſertatione, quamvis tota concederetur, per juſtam conſequentiam elici poteſt; quod eſt pag. 13: *Ex his omnibus hæ Scripturæ phraſes perſpicuæ ſunt, nempe Prophetæ Spiritus Dei fuit, Deus Spiritum ſuum hominibus infudit, homines Spiritu Dei & Spiritu Sancto repleti ſunt &c: nihil enim aliud ſignificant, quam quod Prophetæ virtutem ſingularem & ſupra communem habebant, quodque pietatem eximia animi conſtantia colebant. Deinde quod Dei mentem ſive ſententiam percipiebant.* Primo quia fieri potuit, ut aliquas vocis ſpiritus in Sacra Scriptura ſignificationes non fuerit aſſecutus, qualis illa eſt, quod aliquid immediate à Dei, hujus Univerſi creatoris potentia fuerit profectum, præter & contra Naturæ ordinem: quo ſenſu paſſim miracula opera Dei in Sacris Literis appellantur. Quod adeo eſt manifeſtum, ut nulla amplius probatione indigeat.

Ipſe enim Adverſarius pag. 25 lin. 10, 11 &c agnoſcit, Scripturam per Deum intelligere ens quod mundum creavit & gubernat: ipſe vero mundum ab æterno extitiſſe credit, nec ullum ejus conditorem vel rectorem eſſe. Quocirca non ſerio nec candide agit, quando Scripturam ſecum plane ſentire aſſerit, nec ullam aliam ſignificationem habere vocem *ſpiritus*, quam aliquid ab ipſa Natura, per fixas & immutabiles fatalis neceſſitatis leges eſſe profectum. Quam profecto novit non eſſe Scripturæ mentem. Quocirca nihil opus eſt oſtendere, Scripturam frequenter indicare, Deum Mundi creatorem, præter & contra Naturæ leges, alicui vires vel ſcientiam, humanas vires & intellectum longiſſime ſuperantes, indidiſſe. Quod vero Adverſarius, quia iſtud negare non poteſt, per ludibrium poſtea addit, iſtiuſmodi narrationes à ſacrilegis hominibus Scripturæ adjectas eſſe, quam immerito iſtud dicat, ad iſtum locum oſtendemus. Præſertim cum ipſe pag. 9. lin. penult. dicat, *Miracula opera Dei id eſt ſtupenda* dici poſſe: *nam ſane*, inquit, *omnia naturalia Dei opera ſunt*: quod nemo negat; ſed miracula naturalia opera, id eſt per æternas naturæ (quas vocat) leges producta eſſe.

Deinde ipſe Adverſarius pag. 9 alias ſignificationes agnoſcit phraſeos, quando aliquid *Dei dicitur eſſe*, nempe 1. *quia ad Naturam Dei pertinet*, *& quaſi pars eſt Dei &c:* Unde conſtat ipſum phraſes iſtas non ita arcte conſtringere debuiſſe. Nihil igitur eſt

quod ipſius dicteria, quibus ſimilia inculcat, nos moveant, quale eſt quod, addit: *quare æquali jure imaginatio Prophetarum, quatenus per eam decreta Dei revelabantur, mens Dei etiam vocari poterat. &c.* Non enim quæritur, utrum N. B. *imaginatio Prophetarum æquali jure mens Dei vocari potuerit* (quamvis id non niſi ab atheis jure fieri poſſit) ſed an in Sacris Literis N.B. imaginatio Prophetarum ullibi mens Dei vocetur, cujus ſignificationis ne unum quidem exemplum Adverſarius proferre eſt conatus. Nec id ex eo, quod *ſpiritus* interdum in Sacris *mentem* ſignificat, ullo modo conſequitur, 1. quia imaginatio, ſive delirium, longe aliud eſt quam mens: eſt enim mentis turbatio & defectus, quem mentem ipſam appellare abſurdum foret. 2. quia mens Prophetarum in Scriptura nunquam mens ſive ſpiritus Dei appellatur. Adverſarius vero ex ſua opinione eam Dei ſpiritum optime vocare poteſt, qui Naturam Deum eſſe exiſtimat, cujus humanam mentem eſſe partem credit. Quando vero vult oſtendere, Prophetas nihil aliud protuliſſe quam ea quæ ſibi, ex lege Moſaica futura eſſe imaginabantur, quemadmodum initio pag. 13 innuit, non ſufficiebat profecto id tantum dicere, vel ex Scripturæ quibuſdam locutionibus (quas ipſe ſatis novit nihil minus quam iſtud dicere voluiſſe) extorquere; ſed vel aperte agere debuit; primo videlicet oſtendendo, nullum eſſe Deum Univerſi creatorem: deinde (quod ex eo neceſſario conſequitur) vel Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos impoſtores fuiſſe, vel homines deliros, idque non ex Scriptura, quam id minime velle penitus novit, ſed ex ratione. Si enim non eſt Deus, Mundi creator & gubernator, non eſt quod multum de Prophetis & vaticiniis eorum laboremus, cum per ſe corruant omnia. Quapropter ad ſcurriles iſtas Adverſarii cavillationes, quibus contra propriam conſcientiam, ex Scriptura ſententias ſuas demonſtrare prætendit, non opus eſſet reſpondere, niſi propter imperitos neceſſarium videretur.

RESPONSIO ad CAPUT II.

De Prophetis.

ATque hic oſtendere conatur Adverſarius, Prophetarum revelationes nihil præter meras imaginationes, id eſt vana mentis fuiſſe deliria, non certam rerum cognitionem. Aſſerit enim *nec rerum naturalium, nec ſpiritualium cognitionem ex Prophetarum libris inveſtigari nec hauriri poſſe.*

Antequam *Bredenburgius* refutationem *Tractatus Theologico-Politici* fuiſſet meditatus, quam poſtquam meam ipſi exhibuiſſem aggreſſus eſt, multa inſueram, ad oſtendendum Adverſarium totum in eo eſſe, ut religionem evereret, & Atheiſmum inculcaret. Quod poſtquam ille aperte demonſtravit, multa quibus idem palam facere erat animus, hic expunxi, & in re manifeſta iſtud jam verum eſſe præſuppono.

Quocirca

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Quocirca non opus eſt hic lectores monere, ut ad id attendant, ſed ubi res exigit, cum adverſatio, ut cum Atheo diſputabo. Qui ut quod promiſit oſtendat, jam non probat, ſed pro fundamento ſubſternit, Prophetas quando res futuras prædixerunt, nihil niſi proprias imaginationes protuliſſe (nam de impoſturis, quando illas Adverſarius nondum Prophetis objecit nihil dicam) quaſi ſuperiori capite id jam ſatis ex ipſa Scriptura demonſtratum foret.

Duo igitur hic probe ſunt animadvertenda, primo Adverſarium non oſtendiſſe, non eſſe Deum, quod tamen fieri oportuit (vel ſi propter periculum non fuit auſus hæc publice attingere, tacendum erat) nos vero contrarium adſtruxiſſe lib. 2. cap. XI: deinde nemini in mentem ſerio venire poſſe, ſcriptores Biblicos docere, Prophetas nihil niſi proprias cerebri imaginationes protuliſſe. Ac propterea, niſi Adverſarius alias rationes ſuæ aſſertiones hic proferat, ipſum cauſa plane cecidiſſe. Interim aſſerere non dubitamus, quod ſuo tempore demonſtrare eſt animus, non modo rerum ſpiritualium, ſed etiam naturalium cognitionem, ex libris Biblicis, iiſque ſolis, certam & indubitatam, non vero ex notionibus naturalibus ſolis, hauriri poſſe & debere cum experientia conjunctis.

Quod ad argumenta quibus ſua evinci poſſe exiſtimat adverſarius, ea, quamvis eſſent certa, non tamen id quod in quæſtione eſt, efficerent. Quamvis enim concederemus Prophetias, ratione temperamenti corporis, imaginationis & opinionum, quibus quiſque illorum eſſet imbutus, variaſſe, id non obſtaret quominus certa aliqua ex ipſorum ſcriptis cognitio, ſive in rebus naturalibus, ſive ſpiritualibus hauriri poſſet, quemadmodum ex diverſa docentium, & diverſa corporis & imaginationis conſtitutione præditorum Philoſophorum ſcriptis, certa aliqua cognitio peti poteſt. Alterum argumentum ab incertitudine imaginationis deſumtum, æque eſt inefficax. Poteſt enim aliquis ex incertis imaginationibus certas quaſdam elicere conſequentias, prout Carteſium feciſſe volunt adverſarij.

Sed antequam ad argumenta accedamus, calumniam Adverſarii diluemus, qua dicit *pag.* 16: *Et proh dolor res eo jam pervenit, ut qui aperte fatentur, ſe Dei ideam non habere, & Deum non niſi per res creatas (quarum cauſas ignorant) cognoſcere, non erubeſcant Philoſophos Atheiſmi accuſare.* Nos *Dei ideam non habere*, tantum abeſt ut aperte fateamur, ut potius impudenter Adverſarium iſtud effutire aſſerere non dubitemus; ſed talem nos Dei ideam non habere, qualem vos fingitis, nimirum qui nihil aliud quam ipſe Mundus eſt aperte fatemur. Nos Deum *non niſi per res creatas*, & quidem *quarum cauſas ignoramus*, *cognoſcere*, in eo non minori nos injuria afficit: aperte enim profitemur, nos non tantum per res creatas (quarum unicam & certiſſimam cauſam, Deum videlicet, adverſarii abnegant) ſed & per ejus infallibile teſtimonium, Deum cognoſcere. In quo quamvis ipſius judicio erremus, calumnioſe tamen nobis affingit, nos aperte contrarium profiteri. Tertio, cum nos per Mundi opificium, id eſt res creatas, Deum cognoſcere profitemur, tantum abeſt ut per rem cujus cauſam ignoremus, Deum nos cognoſcere profiteamur, ut plane potius contrarium aſſeramus:

cognoſ-

cognoſcimus enim Dei attributa, infinitam videlicet ejus potentiam & divinitatem, quia hujus mundi eſt opifex. Vos vero athei, qui mundum ab æterno extitiſſe creditis, rerum creatarum cauſas vos ignorare, eo ipſo profitemini, qui earum nullam cauſam agnoſcitis.

Oſtenſurus Adverſarius pag. 16 Prophetiarum incertitudinem, ait: *cum ſimplex imaginatio non involvat ex ſua natura certitudinem &c, hinc ſequitur Prophetiam per ſe non poſſe involvere certitudinem: quia ut jam oſtendimus, à ſola imaginatione pendebat.* Verba quæ interſeruit, poſtea examinabo, ne connexio argumenti turbetur. Per Prophetiam intelligit revelationem, prout continuo indicat.

Facile intellexit adverſarius, nos negaturos, Prophetiam a ſola pendere imaginatione, ideo ſe id jam oſtendiſſe aſſerit. Ubi vero id fecerit, non indicat, quare conjectura id aſſequi conabor, cum ne verbum quidem reperiam, ubi id exprofeſſo oſtendere conetur: toto enim capite primo nihil aliud fecit, niſi quod oſtendere conatus ſit, *Prophetas non niſi ope imaginationis, Dei revelata percepiſſe*, quod expreſſis verbis bis fatetur pag. 14, ubi totius capitis concluſionem proponit, item pag. 5, ubi ſtatum quæſtionis proponens ait: *Quod revelatio per ſolas imaginationes contigit, patet primo &c:* Aliud vero eſt, *revelatio per ſolas imaginationes contingit*, aliud *Prophetiam ſive revelationem à ſola imaginatione pendere*, id eſt, revelationem nihil aliud in Prophetis fuiſſe, præter ſolam imaginationem rei quæ non extabat. Imo revelationem per ſolas imaginationes contigiſſe ſemper, neutiquam probavit: Imaginatio enim, proprie loquendo, nihil aliud eſt, quam quod phantaſiæ imagines, tum temporis extra phantaſiam non exiſtentes, objiciuntur. Quæ vero exempla Adverſarius ex Veteri Fœdere adduxit, nil aliud probant, niſi quod interdum Prophetis imagines fuerint objectæ, non vero quod imagines iſtæ in aëre vel alio modo, extra Prophetæ phantaſiam non extiterint revera, prout exemplis nonnullis ab ipſo cap. 1 allatis, manifeſtum faciam. Præterquam quod ipſe pag. 4 urgeat, Iſraëlitas, cum Deus verba Decalogi proferret, veram vocem audiviſſe, *quæ* ergo *non a ſola imaginatione pendebat*: ut taceam loca ubi expreſſe dicitur, Angelum vera voce homines fuiſſe allocutum.

Primum exemplum, quod pag. 5 ex 1 Paral. 21. 15 profert, directe contra Adverſarium eſt, & evincit, revelationem iſtam non per ſolam imaginationem, ſed per proprie dictam viſionem contigiſſe: expreſſe enim dicitur, Davidem vidiſſe Angelum. Quod itidem, in Hiſtorica *Bileami & Manoë* & *Abrahami*, quos itidem pag. 5 producit, locum habere ex ipſa narratione (quam veram eſſe tantiſper præſuppono) manifeſtum eſt. Nec etiam verum eſt Scripturam docere, revelationem Joſepho in ſomnio factam, à ſola ipſius imaginatione dependiſſe. Deus enim ipſi iſta ſomnia objecit, alias doceret ipſum Joſephum ſomnia iſta effeciſſe, ſi à ſola ipſius imaginatione dependiſſent. Viſio Joſuæ & Eſaiæ ibidem allatæ, ejuſdem ſunt naturæ: adeo ut mirum ſit Adverſarium adeo audacter, abſque ulla probatione aſſerere, hæc per ſolam imaginationem Prophetis fuiſſe revelata. Quod nihil aliud eſt, quam ſi diceret Prophetas

phetas iſtiuſmodi viſiones non vidiſſe, ſed tantum ſe videre putaſſe, vel ab ipſis fuiſſe confictas. Quod certe ipſe non credit Scripturam docere. Ex quibus apparet falſo ipſum gloriari, ſe oſtendiſſe, Prophetiam à ſola imaginatione pependiſſe, quod nos negamus, & ipſi probandum ex ipſa Sacra Scriptura vel ratione relinquimus.

Quod ſi ulterius procedere velit, & contra Scripturam ipſam *(ex qua ſola peti debere affirmat pag. 2 & 15. quicquid de iis dici poteſt)* urgere, vel falſa eſſe quæ de iſtis revelationibus S. Scriptura commemorat, vel Prophetas ſomnia, figuras & revelationes iſtas confinxiſſe, eaſve in delirio ipſis objectas fuiſſe, rationes quibus id probet, in medium adferre neceſſe eſt. Prophetas vero iſta non confinxiſſe vel non eſſe falſa, ab aliis jam prolixe eſt oſtenſum, ad quæ reſpondere debuiſſet Adverſarius, ſi hæc in dubium vocare voluiſſet.

Addit pag. 16 (ut ad id unde digreſſi fuimus revertamur) *ſed imaginationi, ut de rebus quas imaginamur certi eſſe poſſimus, aliquid accedere debet, nempe ratiocinium.* Prophetas per errorem ſibi fuiſſe imaginatos, quod à Deo revelationes acceperant (cum ex Adverſarii ſententia non exiſtat Deus Mundi creator) Adverſarius præſupponit, nullibi probavit, prout paulo ante evicimus. Hic rurſus ſimilem fallaciam committit, ſupponendo Prophetas ea, quæ per delirium, melancholiam vel alio intellectus vitio, ſibi imaginabantur, à Deo revelari, crediditſſe eſſe vera, nec per ratiocinationem examinaviſſe, verane an falſa ſibi imaginarentur, nec aliud quidquam requiſiviſſe, quam ſignum (itidem imaginarium) quo certi forent de veritate eorum quæ delirantes ſibi imaginabantur: addit enim, *& ideo Prophetæ non certi erant de Dei revelatione per ipſam revelationem, ſed per aliquod ſignum.*

Quandoquidem Adverſarius, ex eo, quod nonnulli ſignum, quo certi redderentur, revelationem à Deo eſſe profectam, petierunt, (quod tamen à Prophetis unquam factum eſſe negamus) concludit, ipſos de Dei revelatione non fuiſſe certos, nec aliud ad id probandum adfert argumentum, præter iſtiuſmodi exempla, in quibus non Prophetæ, de rebus ad quas aliis annunciandum a Deo mittebantur, ſed alii pii homines, ſignum à Deo petierunt, quo certi redderentur, promiſſionem, quam Deus ipſis dabat, certo eventuram, Qualia ſunt Abrahami Gen. 15. 8, Gideonis Judic. 6. 17, Ezechię 2 Reg. 20. 8, 9 (quamvis locum iſtum, nec ſequentem Exod. 3. 12 Adverſarius adſcripſerit) qui omnes Prophetæ non fuerunt. Moſes vero, de quo Exod. 3. 12, non petiit iſtud ſignum, quod Deus ei ſponte obtulit, non quia erat neceſſarium, ſed ut Moſi refragandi cauſas adimeret. Signum autem quod ei Exod. 4. 2, 3, 4 datur, non datum fuit, niſi ut Iſraëlitæ crederent, ipſum à Deo miſſum fuiſſe. Eodem ſpectat ſignum, quod Moſes Deut. 18. 21, 22 poſtulari à Prophetis jubet. Ex quibus eſt manifeſtum, Adverſarium falſo aſſerere, *Prophetas ſemper ſignum aliquod habuiſſe, quo certi fiebant de rebus, quas Prophetice* N.B. *imaginabantur,* cum id de nullo Propheta ex Scriptura docuerit. *Prophetice imaginabantur* ait, ſcurriliter innuens, deliras imaginationes Prophetarum eſſe proprias.

Sed necubi officio deſimus, ex ipſa Scriptura oſtendamus, quid de certitudine,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quam Prophetæ de propriis revelationibus habebant, quas à Deo acceperant, ſtatui poſſit. Nam quod Adverſarius de ſigno ſubſannat, cum cap. 6 ex profeſſo diſputat, impoſſibile eſſe ut miracula, id eſt talia quæ præter vel contra Naturæ fixum & immutabilem quem abſque ulla probatione paſſim crepat) ordinem contingant, quivis videt ipſum hic nos & Prophetas irridere.

Notandum igitur primo eſt, cum alicui à Deo quidpiam revelatur, quod neminem præter ſe concernit, qui iſtud alteri narrat, alterum iſtum merito eum monere, de indiciis quibus certus ſit, ſibi iſta à Deo eſſe revelata. Quando autem quis profert, quę ſibi à Deo revelata eſſe pronunciat, ut ea aliis indicet, tum non eſt quod quęramus, qua ratione is qui ſe Prophetam eſſe præfert, certus ſit ſe à Deo revelata accepiſſe, ſed quibus ſignis eos ad quos ſe miſſum eſſe ait, ſecuros reddere poſſit, ſe revera à Deo quæ dicit accepiſſe. In quem finem Prophetę ſemper ſigna & miracula ediderunt, vel res brevi futuras prædicebant.

Cum igitur ratio, qua ipſi Prophetæ certi eſſe poterant, ſe vere à Deo revelationes accepiſſe, neminem præter ipſos ſolos reſpiciat, & nullius præter ipſos interſit iſtud ſcire, non opus fuit ut iſtam deſcriberent, modo eos quos hortabantur vel reprehendebant, de ſua miſſione certos reddere poſſent.

Ex quo patet nihil opus eſſe ut inquiramus, quo pacto Prophetæ ſciverint, ſe à Deo revelationes accipere. Si tamen aliquis urgeat, expedire ut & iſtud ſciamus, non omnino impoſſibile eſſe exiſtimo, aliquatenus explicare, quo pacto ea de re certi eſſe potuerint.

Moſes enim in aula Regia, omni Ægyptiaca eruditione (quæ magnam partem Magicæ erant artes, quas Moſem ſciviſſe ipſi Judæi teſtantur) & Magicarum artium peritus, cum prima vice in monte *Horeb* divinam revelationem acciperet, eam procul dubio, & à rebus Naturalibus, & à Diabolicis præſtigiis, quas optime noverat, diſcernere potuit, quamvis nos modum quo id factum fuerit, explicare nequeamus.

Poſtmodum obtinuit, ut qui ſe totos pietati dederent, Prophetis ſeſe inſtuendos committerent, quemadmodum ex 1 Reg. 20. 35. 2 Reg. 2. 3, 5, 15. iv. 38. v. 22. vi. ix. 1. Amos. 7. 14 non obſcure colligitur, qui non tantum ab iis legibus Divinis imbuebantur, verum revelationes ipſi accipiebant, & ſic per Prophetarum conſuetudinem, non tantum ad diſcernendas Divinas revelationes, ſed etiam ad eas accipiendas, idonei reddebantur. Et ex eo populo ſemper cogniti eſſe poterant. Ex quibus perſpici poteſt, quo pacto Prophetæ (quos Adverſarius pios fuiſſe & qui à Deo nunquam decipi ſinuntur, quamvis per ludibrium pag. 17 fatetur) de revelationibus Divinis certi eſſe poterant. Quandoquidem omnino credibile eſt, Moſem diſcipulos ſuos 70 & Joſuam docuiſſe (qui poſtea ſuos diſcipulos Prophetas perpetuo docuerunt) diſcrimen inter Diabolicas præſtigias, & revelationes Divinas.

Quando igitur alii præter Prophetas ſignum, quo ipſi de Dei revelatione certi redderentur, petierunt, non ideo factum eſt, quod ex ipſa revelatione, non poſſent certi reddi de Dei revelatione, ſed quia admodum vulgares de Deo habuerunt opi-

niones, prout ipſe Adverſarius pag. 23, 24 & ſeqq: oſtendit: nondum enim tum temporis Deus ſe ipſum adeo luculenter, quemadmodum per Chriſtum fecit, hominibus revelaverat.

Quare falſiſſimum eſt quod mox ſubjicit: *Prophetas ſemper ſignum aliquod habuiſſe, quo certi fiebant de rebus, quas Prophetice imaginabantur*; quod locus Deut. 18, *quo Moſes ut ſignum ex Propheta petant, monet*, aperte evincit: non enim monet Moſes, ut ſignum petant, quo ipſe Propheta, ſed illi quibus Prophetiam ſuam proponebat, certi redderentur de Dei revelatione. Quod an Adverſario ipſi non ſatis fuerit perſpectum, cum locus id manifeſtiſſime indicet, ipſe viderit. Quocirca falſo aſſerit, Prophetiam hac in re Naturali cedere cognitioni, quod ea nullo ſigno indigeat, quandoquidem *certitudo Prophetica Mathematica non eſt*, (quaſi nulla certitudo præter Mathematicam ſit) cum contrarium potius dicere debeat, nimirum certitudinem Propheticam, Naturalem certitudinem ſuperare, utpote quæ ad ipſo Naturæ authore directe & immediate procedat.

Locus ex Deut. 14. (qui eſt 13 Deut. capite) pag. 17 perverſe admodum ad ſententiæ ſuæ confirmationem, ab Adverſario producitur: non enim ibi indicatur, quod ſignum iſtud ad ipſius Prophetæ; ſed ad populi, quem inſtituere conatur, certitudinem petatur. Populo autem duo erant media, quibus de Prophetæ, vel Prophetiæ alicujus ſinceritate certi eſſe poterant, nimirum doctrina de veri Dei cultu, & ſignum; alterutrum ſi deeſſet, ipſum interficere tenebantur. (Qua de re videantur dicta de Propheta ſeductore, ad locum Deut. 13. lib. 2, cap. 3.

Quod autem addit pag. 1: *nam ut ipſe Moſes pergit, Deus ſigna & miracula facit, ad tentandum populum.* Id plane falſum eſt, nec ex textu (ex quo ſolo Adverſarius, quicquid de Prophetia dici poteſt, peti debere contendit pag. 2 & 15) nullo modo patet. Nihil enim aliud dicitur, quam Deum eos tentare, non vero quod Deus ſigna vel miracula iſta, quæ ſeductor Propheta dabat, faceret. Sufficit ad tentationem, quod Deus non impediret, ne talia ſigna ederentur, quibus populus ſeduci poſſet.

Idem de loco Matth. 24. 24 pag. 17 reſpondeo, ubi ſimiliter non dicitur, Deum ſigna & miracula, à Pſeudo-Chriſtis & Pſeudo-Prophetis edenda, facturum, imo Apoc. 13. 2, 13, 14 expreſſe dicitur, vim miracula faciendi, à Dracone, ſive Diabolo Apoc. 12. 9 (ex ſola enim Scriptura hæc deduci debent) impiis fuiſſe communicatam.

Nec majoris eſt momenti, ad id quod in quæſtione eſt confirmandum, locus Ezech. 14. 9, quem eadem pag. 17 profert. Ibi enim non de ſigno ſive miraculo agitur, ſed de ſolis verbis, quibus Pſeudoprophetæ pacem rebelli populo annunciarent, quod ut facerent Deus ſe illis perſuaſiſſe indicat, prout verba inſpicienti, eaque cum cap. 13. 10 conferenti, manifeſtum evadet. Quamvis autem hac reſponſione ſatis eſt oſtenſum, Adverſarium minime id quod ſuſceperat ex iſto loco palam facere poſſe, fieri tamen poſſet ut quis abſurdum hoc eſſe putaret, Deum homines ſeducere, ut falſa ipſius nomine prædicarent, & ſic alios in errorem inducerent.

Is primo conſideret, Hebræis valde familiare eſſe, Deo aliquid adſcribere, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

non modo non impedit, ſed etiam promovet, ut ab impiis hominibus, vel à Diabolo, ad talia patrandum intentis, effectui detur. Vide 2 Sam. 12. 12. 1 Reg. 12. 15. XXII. 12. Jerem. 4. 10. coll. cum iis quæ Belgæ annotatores in iſtum locum dicunt. Eſa. 45. 7. LIV. 16 Amoſ. 3. 6. &c.

Deinde, cum ſub Veteri Fœdere nil niſi terrena ſint promiſſa, nec poſt hanc vitam ullam pœnam, ut ſub Novo, Deus fuerit comminatus, nulla in eo poteſt eſſe difficultas, quod Deus homines impios, quales Pſeudoprophetæ fuerunt, ſeduci curet, ad hominum impiorum ſeductionem.

Adde quod tam ſeductores Prophetæ, quam ipſe populus, ex loco Deut. 13, quem Adverſarius faudulenter pro ſua cauſa protulit, colloto cum ipſa revelatione, dignoſcere poterant, iſtiuſmodi Prophetias, de quibus dicto loco agitur, à Deo non proficiſci: quandoquidem Dei gratiam pollicebantur impiis & idolorum cultoribus, prout ex verſu 4 & 7 patet, qualibus divina lex iram Dei implacabilem denunciat. Unde facile ſcire poterant, iſtiuſmodi revelationes, ſi quæ erant, à Dei gratia non proficiſci.

Qua eadem reſponſione ſatisfactum eſt argumento ex 1 Reg. 22. 21, quod eadem pag. 17 affert: ſeductio enim Prophetarum quæ Deo adſcribitur, tota in eo conſiſtit, ut ex ipſo loco patet, quod impuris ſpiritibus poteſtatem eos ſeducendi concedat: quod in piis Prophetis nunquam contingere, ipſe Adverſarius ſtatim oſtendit.

Quod vero mox ibidem ſubjungit, *certitudo Prophetæ moralis tantum erat*, in eo ſibi ipſi & manifeſtæ veritati apertiſſime adverſatur. Sibi ipſi, quia ipſemet confitetur, Prophetas à Deo revelationes ſuas accepiſſe, quo pacto non moralis, ſed pluſquam Mathematica certitudo ipſis adſcribitur; & ſic etiam manifeſtæ veritati reluctatur: moralis enim certitudo nihil aliud eſt, quam quod quis credat, ſe de re aliqua certum eſſe, quamvis nonnunquam toto erret cælo.

Duo autem profert pag. 17, quibus oſtendere conatur, *certitudinem Prophetarum tantum fuiſſe moralem*: prima eſt, *quia nemo ſe coram Deo juſtificare poteſt, nec jactare quod ſit Dei pietatis inſtrumentum, ut ipſa Scriptura docet, & re ipſa* (forte res ipſa) *indicat*: Quaſi ſe ipſum coram Deo juſtificare, & per ratiocinationem plane certum eſſe, ſeu pietatem conſtanter colere, una eademque res ſit. Cur vero nemo ſe coram Deo juſtificare poteſt? Num quia Adverſarius dicit? Num ſufficit talia abſque ulla probatione aſſerere? Quid vero hoc ſignificat, *jactare quod ſit Dei pietatis inſtrumentum?* Fortaſſis dicere vult, quod ſis pius, & veritatis prædicandæ inſtrumentum. Cur vero quis hoc de ſe affirmare nequeat, qui revera ſit pius, & quem Deus expreſſe ad prædicandum mittit? An ergo nemo de ſe ipſo certus eſſe poteſt, quod ſit pius? Ecce quam ſolida hæc ſint quod argumenta. Nemo poteſt ſe coram Deo juſtificare, & jactare quod ſit Dei pietatis inſtumentum, ergo certitudo Prophetarum tantum fuit moralis. Quid quod Adverſarius hac eadem pag. 17. lin. 17, 18, mendacii proprii oblitus, expreſſe dicit: *Deus utitur piis, tanquam ſuæ pietatis inſtrumentis.*

Altera

Altera quam adducit ratio, ab exemplo Davidis, eſt deſumta, quem *ira Dei ſeduxit ad numerandum populum, &c.* Quaſi Deus, abſque ulla cauſa Davidem, dum in pietate perſeveraret, ad numerandum populum ex iracundia incitaverit. Videantur ea quæ paulo ante, ad locum Ezech. 14.9 reſpondimus. Ex quibus, coll. cum 1 Paral. 2. 1 conſtat, Satanam Davidem ad numerandum populum incitaviſſe, & quidem, quia Deus, populo Iſraëlitico & Davidi iratus, (quod nunquam niſi propter flagitia accidere, nulla probatione indiget, & ipſe Adverſarius paulo ante fatetur, inquiens: *nam Deus pios & electos nunquam decipit.*) Satanæ iſtud permiſit. Et quod 2.Sam. 24. 1 videntur innui, Deum Davidem ad numerandum populum incitaviſſe, vel ita accipi poteſt, Deum per Satanam (cui id permiſerit) id feciſſe, vel vox *incitavit*, per Hebraiſmum (Adverſario ſatis notum) ſignificat *incitatus eſt*, videlicet à Diablo.

Pergit. pag. 17. *Tota igitur certitudo Prophetica his tribus fundabatur, 1 quod res revelatas vividiſſime, ut nos vigilando ab objectis affecti ſolemus, imaginabantur. 2. Signo. 3. Denique & præcipue, quod animum ad ſolum æquum & bonum inclinatum habebant.* Nullum alium in finem hæc proferuntur credo, niſi ut oſtendat, Prophetas nullo modo certos fuiſſe, nec alios certos eſſe poſſe, de ipſorum revelationibus. Imaginatio enim ſola ſtolidum eſt fundamentum. Signa ſeu miracula fieri poſſe Adverſarius negat. Animum ad bonum & æquum ſolum inclinatum habere, nihil involvit, niſi quod quis dedita opera non mentiatur: imo ſi reipublicæ tranquillitas id poſtulat, fingere quædam, quæ in populo devotionem excitare poſſunt, plane ex Adverſarii ſententia eſt licitum. Ergo nulla plane erat hic certitudo. Præſertim ſi quis neget *Prophetas animum ad ſolum æquum & bonum habuiſſe inclinatum.* Quod quo pacto Adverſarius ſtabilire poſſit, nondum video. Si ergo nulla alia Prophetis fuerit certitudo, plane de ipſorum revelationibus actum eſt. Nos vero nunc oſtendimus, Adverſarium nihil eorum quæ aſſerit, probaſſe, ſed & longe aliam Prophetis fuiſſe certitudinem, quam ille fingit. Quando autem Adverſarius per jocum affirmat, Prophetas animum habuiſſe ad ſolum æquum & bonum inclinatum, alterutum ſtatuere oportet, vel iſtiuſmodi animum permittere, ut quis dedita opera mentiatur, aſſerendo ſe à Deo Univerſi creatore, mandata accepiſſe, vel ſaltem facile poſſe errare, imaginando ſibi, quæ non fiunt. Utrumque Adverſarius de Prophetis credit. Nam nullum Univerſi conditorem agnoſcit, & totus in eo eſt, ut doceat Prophetarum revelationes à ſola ipſorum imaginatione pependiſſe.

Locus Jer. 28. 8 (error eſt, eſt enim verſus 9) quem pag. 18 profert, contra Adverſarium oſtendit, ſignum non ut Prophetam; ſed alios de veritate vel falſitate ipſius revelationis certos redderet, datum fuiſſe. *Propheta enim* (legitur ibi) *qui de pace Prophetavit, cum venerit verbum iſtius Prophetæ,* N.B. *cognoſcetur Propheta ille, quod eum Jehova vere miſerit.*

Ex quo apparet, quam temere ſtatim ſubjiciat hæc verba: *Cum itaque certitudo, quæ ex ſignis in Prophetis oriebatur, non Mathematica (hoc eſt, quæ ex neceſſitate percep-*

tionis rei perceptæ aut viſæ ſequitur) *ſed tantum moralis erat &c.* Cum Prophetæ frequenter Deum, ipſius glorioſæ præſentiæ manifeſtiſſima ſigna ſe *vidiſſe* teſtentur Ezech. I. 1, 2, 4, 5 & ſeqq. III. 23. VIII. 2 & ſeqq. IX. X. & ſeqq. Dan. 9. 21 & ſeqq. X. 4, 5 &c. & alibi, Adverſarius autem dicat, *Mathematicam certitudinem ex neceſſitate perceptionis rei viſæ ſequi*, non video quî Mathematicam certitudinem de Prophetis negare poſſit, ſi eos (quorum animum ad ſolum æquum & bonum inclinatum fuiſſe dicit) non credit mentitos eſſe, vel eos pro inſanis non habeat, qui toties affirment ſe talia vidiſſe. Majori jure Adverſarium Atheum, vel pro mendace, vel pro futiliſſimo inſano habebimus, quam Prophetas, qui profecto nullum vel nequitiæ, vel inſaniæ veſtigium ullibi expreſſerunt. Si Adverſarius ſerio concederet, Prophetarum certitudinem *moralem* fuiſſe, quod nihil aliud ſignificat, quam eos nihil per impoſturam, ſcientes prudentes eſſe mentitos, ſed ſerio credidiſſe ſe vera & certa referre) profecto de veritate & certitudine eorumquę protulerunt, convinci poſſet: cum ex iis quæ Sacra Pagina de illis recenſet, ſatis oſtendant, quod minime fuerint inſani. Nec credo Adverſarium ſerio cum Carteſio ſentire, ſenſibus externis fidem adhiberi non debere, vel illos errare: Quod ſi id ſentit, rogo ut ea quæ *Lodovicus Woltzegenius* Baro, ad Meditationes Mataphyſiças *Carteſii* reſpondit, de ſenſuum externorum infallibilitate refellat. Ad ea vero hactenus nemo Carteſianorum reſpondere fuit auſus. Quod ſi quis ſuſcipiat facere, non deero, ſi vita & valetudo ſuppetant, ipſius ſententiam defendere. Et tum ſpero me facile oſtenſurum, fieri non potuiſſe, ut Prophetæ, cum ſe mirabilia iſta vidiſſe teſtantur, deciperentur; ſed, ſi error hic ſubſit, ab ipſorum malitia neceſſario debuiſſe procedere. Quod tamen Adverſarius, qui eorum animum, ad ſolum æquum & bonum inclinatum prædicat, ſtatuere nec debet, nec poteſt. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, falſum eſſe, Prophetarum certitudinem non aliam quam moralem fuiſſe.

Et ſigna non niſi ad Prophetæ perſuadendum dabantur pag. 18. Falſiſſimum hoc eſſe, ex ipſis quę Adverſarius adduxit locis, apertiſſime oſtendimus, & ſigna ad aliis perſuadendum fuiſſe data.

Hinc ſequitur, ſigna pro opinionibus & capacitate Prophetæ data fuiſſe. Conſequentiæ iſtius rationem & vim quis ſanæ mentis percipiat? Sequeretur iſtud, ſi ſigna iſta, ab aliquo impoſtore fuiſſent adhibita, qui ſuſque deque haberet, vera an falſa alicui perſuadeat. Sed Deum ita cum ſignis agere, (quod Adverſarius ſtatuere videri vult) quis credere poſſit, niſi qui Deum eſſe negat, vel ipſum impoſtorem eſſe credit? Quod tamen Adverſarius, in piis ſaltem expreſſe negat pag. 17, cum dicit, *nam Deus pios & electos nunquam decipit.* Prophetas vero animum *ad ſolum æquum & bonum inclinatum habuiſſe, & pietatem conſtanter coluiſſe*, expreſſe urget. Cum vero contrarium ſit verum, ſigna videlicet non ad Prophetam, ſed ipſius auditores de Dei revelatione certos reddendum, fuiſſe data, hinc ſequitur (ex Adverſarii argumentatione) *ſigna non pro opinionibus & capacitate Prophetæ data fuiſſe.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Addit pag. 18: *ita ut ſignum, quod unum Prophetam certum redderet de ſua Prophetia, alium, qui aliis eſſet imbutus opinionibus, minime convincere poſſet.* Audacter hęc absque ulla probatione effutit. Si iſtud probare potuiſſet, procul dubio ipſum facturum fuiſſe nullus dubito. Nos vero pernegamus, & ut quod ſcripſit probet, urgemus, alias temeritatis inexcuſabilis ipſum accuſamus. Proferat vel unum ſignum, in quo locum iſtud habere potuit. Sed audi quæſo quid de ſignis iſtis credat Adverſarius, videlicet vel ſigna iſta nunquam contigiſſe, nimirum quod Moſis virga in ſerpentem, aqua in ſanguinem, pulvis in pediculos ab ipſo vere ſit converſus, mortuum ab Elia, item per contactum oſſium Eliſæi, item à Jeſu Chriſto aliquot mortuos in vitam fuiſſe revocatos, & quæ alia in Sacris Literis recenſentur miracula; vel ſi contingere viderentur, meras fuiſſe impoſturas, vel per conjecturam aut artes naturales quædam accidiſſe, prout in ſexto capite, ubi Adverſarius ex profeſſo probare vult, nulla miracula fieri poſſe, vel unquam facta fuiſſe, oſtendemus. Unde patet quid de certitudine Prophetica ſentiat.

Pergit pag. 18: *Et ideo ſigna in unoquoque Propheta variabant.* Et hoc falſum eſt, cum enim ſigna, non ut Prophetam, ſed alios certos redderent, fuerint data, vel etiam ad hoc ſolum ut per ea Prophetis aliquid ſignificaretur, non potuerunt ideo variare, quia ſignum quod unum Prophetam certum redderet, alterum minime convincere poſſet. Falſum eſt etiam ſigna variaſſe in unoquoque Propheta, eo videlicet ſenſu, ut diverſæ vel etiam contrariæ naturæ ſigna oſtenderentur. Verum quidem eſt, non ſemper eadem ſigna omnibus Prophetis fuiſſe data, tamen omnia ſigna, quæ cuncti Prophetæ unquam ediderunt, ejus ſunt naturæ, ut per illa omnes, non tantum Prophetæ, ſed etiam auditores de certitudine eorum quæ prædicabant, ęque facile certi reddi potuerint. Præterquam quod pleraque ſigna fuerint prædictiones rei alicujus futuræ, ad id ut auditores de certitudine rerum, à Prophetis prædicatarum, ſecuri redderentur, exhibitæ. Quod cum cuivis ſit manifeſtum, probatione minime indiget. Atque ex eo conſtat, id quod Adverſarius aſſerit, ſigna videlicet in unoquoque Prophetæ variaſſe, falſum eſſe: cum talia ſigna, quibus eventus ipſis videntibus reſpondebat, ab omnibus Prophetis fuerint exhibita. Prædictiones autem rerum futurarum, expreſſe inter ſigna Prophetica, eaque præcipua, à Moſe referuntur Deut. 13. 1.

Pergit eadem pag. 18: *Sic etiam ipſa revelatio variabat, ut jam diximus, in unoquoque Propheta pro diſpoſitione temperamenti corporis, imaginationis, & pro ratione opinionum quas antea amplexus fuerat.* Nihil aliud ſibi volunt hæc verba, quam ſi Prophetas, quæcunque pro divinis revelationibus aliis obtrudebant, pro ratione humoris melancholici, qui in corporibus ipſorum dominabatur, accedente præjudicio quo erant præoccupati, ſibi revelationes Divinas fuiſſe imaginatos, prout ægri & inſani mira ſibi imaginari & aliis narrare ſolent.

Accedamus igitur ad ea, quibus iſtas aſſertiones Adverſarius confirmare aggreditur, quas hoc pacto orditur pag. 19. *Primum igitur conſtat ex illo caſu Elizæi,* (vide 2 *Reg.* 3. 15) *qui, ut Jehoramo Prophetaret, organum petiit, nec Dei mentem percipere potuit,*

potuit, niſi poſtquam muſica organi delectatus fuit, tum demum Jehoramo cum ſociis læta prædixit, quod antea contingere nequiit, quia Regi iratus erat; & qui in aliquem irati ſunt, apti quidem ſunt ad mala, non vero bona de iisdem imaginandum. Primum iſtud eſt, *quod Prophetia pro ratione temperamenti variabat*, quamvis Adverſarius ſciat, ſe hoc modo non probare, quod ſuſceperat, protulit tamen ſequentia loca, ut lectoribus oſtendat, quam ridicula nonnumquam in ipſis Bibliis de Prophetis reperiantur, quæ tamen à Judæis pro oraculis recipiantur. Unde mirum nemini videri debeat, iſtiuſmodi fatuos, ab inſanientibus vel delirantibus Prophetis potuiſſe ſeduci. Nos tamen ſerio, propter eos quibus talia nunquam fuerunt propoſita, nec ſe ex iſtiuſmodi tricis expedire norunt, ipſi reſpondimus. Temperamentum igitur corporis humani non motum vel animi paſſionem, ex ira vel lætitia, qualem hic deſcribit Adverſarius, ſed Naturalem corporis conſtitutionem ſignificat. Adde quod Prophetis vel hominibus triſtibus frequenter læta fuerunt revelata, ut in Gideone triſti apparet, cui victoria fuit revelata Judic. 6. 13, 14, ſimiliter Agari Gen. 21. 16, 17, 18, item Danieli moeſto Dan. 10. 2, 5, 11, &c: Joſepho vero & Abrahamo, eodem tempore læta & triſtia Gen. 15. 13, 14, & capp. 40. 41 totis. Ergo exemplum Eliſæi nullo modo probat, Prophetias pro ratione temperamenti Prophetarum variaſſe. Amplius etiam falſa ſunt quęcunque dicit, falſum eſt Eliſęum Joramo Prophetaſſe. Nego ipſum Joramo lęte prędixiſſe, ſed tantum Joſaphato: noluit enim cum Joramo negotium habere, non quod iratus eſſet, ſed quia Joramus idololatra erat: falſum denique quod ideo non potuerit lęta prędicere, quia iratus erat, antequam ira per organi muſicam in lętitiam eſſet converſa. (Ex qua iracundia, in lętitiam, per inſtrumentum muſicum converſa, imaginationem Eliſęo obortam, de felici pręlii committendi ſucceſſu, Adverſarius ſcurriliter *Dei mentem* vocat) quod vero organum adhibuit, ex more Prophetarum factum eſt (prout colligere licet ex 1 Sam. 10. 5, 6, ubi dicitur turbam Prophetarum, antecedentibus eos organis aliiſque muſicis inſtrumentis, per vias incedere) qui dum Dei laudes Muſicis inſtrumentis canerentur, & exinde eorum animus ad devotum incenderetur zelum, revelationes ab ipſo accipere ſolebant.

Petulanter poſtea addit pag. 19: *Kaïno etiam furenti Deus revelatus eſt.* Unde vero hęc depromſit? Cum nihil tale in Kaïni hiſtoria legatur. Similiter quod Ezechieli attribuit, ſubjiciens: *Ezechieli præ impatientia, miſeria & contumacia Judæorum revelata fuit* (*vide Ezech.* 3. 14.) Ita ſibi iſtiusmodi mendaciis blanditur, eaque pro argumentis validis lectori obtrudit. Ejusdem eſt farinę quod de Michęa ex 1 Reg. 20 producit, quę omnia eadem facilitate à nobis negantur, qua ab ipſo abſque ulla probatione proferuntur. Quam egregie ergo & ſolide probavit, *Prophetias pro diſpoſitione temperamenti corporis, in unoquoque Propheta variaſſe.* Talia ſunt propter quę authoritas Sacrarum Literarum à male feriatis hominibus in dubium vocatur!

Procedamus nunc ad alterum membrum, nempe *Prophetias pro ratione ſtyli Prophetarum variaſſe*, adeo ut, *ſi Propheta erat elegans, ſtylo etiam eleganti, Dei mentem percipiebat*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

piebat, ſin autem confuſus, confuſe. Probat id pag. 19 ex collatione capitum quorundam diverſorum Prophetarum, ubi eædem vel ſaltem ſimiles res producuntur, quę diverſiſſimo plane ſtylo conſcriptæ ſunt, unde concludit p. 20 *Deum nullum habere ſtylum peculiarem, ſed tantum pro eruditione & capacitate Prophetæ eatenus eſſe elegantem, compendioſum, ſeverum, rudem, prolixum & obſcurum.* Quaſi dicere velit, Deum nihil aliud quam Prophetarum eſſe figmenta vel deliria, quatenus ab ipſis deſcribitur, vel revelationes dediſſe docetur. Nos quamvis Adverſarii ſcopum ſatis perſpectum habeamus, ad ea quę profert, non ad ipſius intentionem reſpondebimus, ſupponentes ipſum vocem Dei in eadem qua nos ſignificatione uſurpare. Negamus igitur ſtylum Dei variare pro vario Prophetarum peculiari ſtylo, ſtylum autem propterea diverſum eſſe in Prophetis credimus, quia non ipſiſſima vocabula, quibus revelata proferre tenebantur Prophetæ, ſed res tantum ipſis à Deo indicabantur, quas deinceps proprio dicendi vel ſcribendi charactere ediderunt, vel ab aliis memorię ſunt proditę. Ex quo patet, ex diverſitate ſtyli in dicendo vel ſcribendo, quæ in Prophetarum oraculis eſt obvia, nullam merito ſuſpicionem oboriri debere, quod Prophetæ propria ſua figmenta vel deliria, pro divinis oraculis credulis Judæis obtruſerunt.

Tertium variationis Prophetiarum genus eſt ratio imaginationis, *nempe ſi Propheta ruſticus, boves & vaccæ &c, ſi vero miles, duces & exercitus, ſi denique aulicus erat, ſolium regium ipſi repræſentabantur.* Mirum eſt quam audacter hæc omnia proferat Adverſarius, cum tamen pag. 24, ubi ad eorum probationem accedit, unicam tantum viſionem adferat, ex qua tamen contrarium potius colligi poteſt, ut ſtatim oſtendam. Mutat præterea quæſtionis ſtatum, *& Prophetias, revelationes & repræſentationes, quamvis idem ſignificantes* pag. 20 oſtendit (quaſi & hoc abſurdum ſit, rem eandem variis modis & *hieroglyphicis* repræſentari, & quaſi inde concludendum eſſet, repræſentationes iſtas cuique ita fuiſſe oblatas, ſicut Deum ſibi imaginari ſolebat,) cum tamen ſuſceperit & debuerit oſtendere, revelationes ſive imaginationes & deliria omnia, vel pleraque ſaltem tales fuiſſe, quales ex temperamento corporis ipſorum naturaliter proficiſci conſueverant & poterant. Qnod quam longe abſit, ut ex illis quæ in Scriptura reperiuntur, elici poſſit, inter alia patet ex *Ezechielis* viſionibus, quem ruſticum fuiſſe à Rabbinis aſſeritur, qui ſibi adeo magnificum ſolium, ſplendidos thronos & palatia regia (ex Adverſarii ſententia) imaginatus fuit.

Quam falſo autem Adverſarius aſſerat Prophetis, *ſi ruſtici eſſent boves, vaccæ &c, ſi vero milites, duces, exercitus &c*, fuiſſe repreſentata, exinde etiam eſt manifeſtum, quia *Danieli* aulico, & ex ſtirpe Regia oriundo, *boves & vaccæ*, Regi *Pharaoni* vaccæ, *Nebuchodonoſori* arbores, *Moſi* aulico ignis & arbores, *Gideoni* militi Angeius, *Joſepho* paſtori regia majeſtas, *Ezechieli* ruſtico, ſolium Regium, (ut multa ſimilia taceam,) fuerint repræſentata. Nonne exinde concludere licet, revelationes non variaſſe pro ratione imaginationis, ſed pro Dei ipſius arbitrio & nutu.

Quartum variationis genus eſt *perſpicuitas & obſcuritas*, quod facile concedimus, uni videlicet Prophetæ magis obſcuras contigiſſe revelationes quam alteri. Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

vero pag. 20 dicit *repræſentationes Zachariæ obſcuriores fuiſſe, quam ut ab eo abſque explicatione intelligi poſſint*, meræ ſunt nugæ, repræſentationes enim iſtæ abſque explicatione addita, non ſunt pro revelationibus habendæ. Circa *Danielis* revelationem ſibi ipſi manifeſto contradicit, aſſerens eam *non propter rei revelandæ difficultatem, ab ipſo non fuiſſe intellectam*, cum ex adverſo ſtatim ſubjiciat, res humanas, quatenus futuræ ſunt, captum humanum excedere. Cum ergo manifeſtum ſit, *Danielis* revelationes res longe poſt futuras reſpexiſſe, non mirum eſt à *Daniele* non fuiſſe intellectas. Non igitur à Danielis metu animive perturbatione, obſcuritas revelationis iſtius fuit orta, (quibus verbis Adverſarius nihil aliud vult, quam Danielem, cum ſibi horrendam iſtam viſionem imaginaretur, adeo fuiſſe perterritum, ut nec quid cerneret, quidve audiret diſcernere potuerit, iſtamque animi perurbationem & delirium poſtea aliis pro Prophetia & divina revelatione obtruſiſſe, & à fanaticis Judęis fuiſſe receptam) ſed ex rebus captum humanum, quamdiu futuræ ſunt, ſuperantibus, fatente ipſo Adverſario. Et præter unicam hanc revelationem, nulla quod ſciam (ſi additam explicationem una comprehendas) in S. Literis reperitur, quæ à Prophetis, primo ſaltem ſenſu, non fuerit intellecta. Facillimum & hominibus canalibus, Atheis, irriſoribus & profanis admodum jucundum eſt, hoc modo S. Scripturæ revelationes ad ravum uſque ridere & ſubſannare. Et quamvis nulla ſubſannandi ratio ſubſit, multos tamen, quando objectas difficultates, tum propter materiæ inſolitam novitatem, tum propter propriam ipſorum imperitiam, diſſolvere nequeunt (præſertim cum plerique præcepta Dei, carni quammaxime ingrata, non ſedulo obſervare ſtudeant) iſta protervia abducit, & in Atheiſmi voraginem deturbat. Si quis vero animum habet pietatis ſtudioſum, ſpero quod per ea, quæ Adverſarii ſcommatis hoc Tractatu oppoſuimus, ſecurus de Religionis certitudine reddi queat.

Pergit pag. 21. *Denique Prophetæ, quibus revelatum fuit Deum Eliam abrepturum, perſuadere volebant Eliſæ, eum alibi locorum delatum, ubi adhuc ab eis inveniri poſſet, quod ſane clare oſtendit, eos Dei revelationem non recte intellexiſſe.* Locum 2 Reg. 2. 3, 5, 7, 15, 16, 17, ubi hiſtoria hæc refertur, non annotat, forte quia ipſe ſcivit non fideliter hæc à ſe proponi: quod quia toties ab ipſo factum eſt, non ſine cauſa ſuſpicamur ipſum eius rei ſibi conſcium fuiſſe. Non enim male intellexerunt Dei revelationem, quia in textu non habetur, filiis Prophetarum iſtud à Deo fuiſſe revelatum, ſed tantum indicatur ipſos ſciviſſe Eliam abreptum iri, quod fortaſſis ex Prophetis, quorum erant filii vel diſcipuli, quemadmodum ſuperius docuimus, vel ex fama, quæ Judæam, ex Eliæ vel Eliſæi relatione, pervagabatur, eis innotuit. Et exinde factum eſſe potuit, quod rem prout ſe habebat non diſtincte cognoſcentes, eam aliter quam Eliſæo conſtabat intellexerint, eique quod Elias forſan in alium locum delatus eſſet, perſuadere voluerint. Ex quo patet, Adverſarium non oſtendiſſe, Prophetas revelationem non recte intellexiſſe: & quamvis Dei revelationem non recte intellexiſſent, modo eam fidelitur retulerint, quid quæſo in eo eſt ab ſundi: Ex quibus liquet quo jure ſtatim ſubjungat p. 21, *hæc fuſius oſtendere non eſt opus*, quaſi ſatis cuique per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

per ſe eſſent manifeſta, *nihil enim clarius ex Scriptura conſtat, quam quod Deus unum Prophetam longe majore gratia ad Prophetizandum donavit quam alium.* Primo in concluſione ignorationem elenchi hic committit. non enim iſtud quæritur, ſed an revelationes pro captu Prophetarum, vel obſcuriores, vel perſpicuæ magis eſſent. Præterea cum ex ſola Sacra Scriptura dixerit eſſe petenda, quæ de revelationibus dici poſſunt, cur ergo loquendi modis, quos in Scriptura non legimus, in hac materia utitur? nullibi enim hoc legimus, quod de *majore ad Prophetizandum gratia* profert Adverſarius, nec quidquam ſimile. Nos vero iſtud negamus: Prophetiæ enim ſive revelationes, non erant donum alicui communicatum, ſed ſingulæ à divino nutu pendebant, & ſpecialiter Prophetis communicabantur, prout ex omnibus quæ deſcribuntur in Scriptura (ex qua ſola definiente Adverſario hæc quæſtio decidi debet) manifeſtum eſt.

Tandem ad quintum variationis genus pag. 21 deſcendit, inquiens: *At quod Prophetiæ ſive repræſentationes, pro opinionibus Prophetarum, quas amplexi fuerint, etiam variarent, & quod Prophetæ varias, imo contrarias habuerint opiniones, curioſius & prolixius oſtendam.* An dedita opera ambigua voce *varias* pro *diverſas* uſus ſit nec ne non inquiram; ſed nos etiam curioſe ipſius probationes examinabimus, quamvis parum effecerit Adverſarius, ſi oſtendat Prophetas *contrarias* habuiſſe *opiones*: debebat enim oſtendere illos contrarias de eadem re habuiſſe à Deo revelationes. De his enim, non de illis eſt quæſtio, ſed per opiniones Prophetarum proculdubio, eorum revelationes intelligit, iſta enim pro una eademque re habet.

Priuſquam vero ad ejus rei probationem ſe accingat, ſtultam omnium de Prophetis opinionem refellit, aſſerens *mira quadam præcipitantia omnes ſibi perſuaſerunt, Prophetas omnia quæ humanus intellectus aſſequi poteſt ſciviſſe.* Sed *mira* in ipſo Adverſario eſt *præcipitantia*, quod hanc opinionem *omnibus* adſcribat, cum tamen omnes Sociniani, Remonſtrantes, aliique ex omnibus ſectis non pauci, nihil minus credant.

Ut igitur ad rem ipſam deveniatur, duo ſe oſtenſurum promiſit Adverſarius, primum *Prophetias pro opinionibus Prophetarum variaſſe* (quod tamen non fecit, oblitus fortaſſe ſe id promiſiſſe, oſtendit tantum Prophetis quædam fuiſſe revelata eo modo quo illi rem ſe habere putabant, cum tamen aliter ſeſe haberet, non vero uni Prophetæ aliquid iſto, alteri alio modo fuiſſe revelatum) deinde, *Prophetas diverſas, imo plane contrarias de eadem re accepiſſe à Deo revelationes*, id enim eſt quod dicere vult & debet. Adverſarius autem pro revelationibus *opiniones* appellat. Videamus ergo quomodo utrumque oſtendat. Pro priori theſi adducit pag. 21 & 22 hiſtoriam Joſuæ cap. 10. 12, 13, 14, ubi ſol juſſu Joſuę toto die in medio cęli ſtetiſſe dicitur, cum tamen, ex ſententia Copernici, & maximę partis modernorum aſtronomorum, non ſol ſed terra moveatur; adeo ut evidenter appareat, hanc reprę ſentationem ſecundum prę judicium vulgi fuiſſe factam. Si Adverſarius poſſet oſtendere alicui ex Prophetis ſolis quietem, terræ vero motum alteri Prophetæ, fuiſſe repræſentatum, vel etiam, quempiam Prophetarum crediſſe terram

 moveri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

moveri, ſolem vero quieſcere, alium autem Prophetam contrarium crediditſſe, tum demum effeciſſet quod promiſerat. Jam vero fatendum eſt S. Scripturam conſtanter ſoli motum tribuere, nec in eo vel in ulla alia re, opinionum diſſenſum inter Prophetas locum habuiſſe. Si vero *Pythagoræ* ſententia, de motu terreſtris globi, à *Copernico* reſuſcitata, certa eſt, certum etiam erit Scripturam in rebus Naturalibus, ex vulgi opinionibus nonnunquam loqui, ejuſque ſcriptores in iſtis erraſſe. At vero incertum, & ad huc ſub judice lis eſt, utrum *Copernici* ſententia de ſolis quiete, an vero *Petolomæi*, de ejusdem motu ſit certior, ut de aliorum, mediam ſententiam amplectentium, & tam ſoli, quam terræ motum tribuentium, opinione nihil dicam. Quamdiu vero celebres Mathematici & Philoſophi, in hac quæſtione ſententiis à ſe invicem multum diſtant, nobis Scripturæ potius, quam *Copernico* accedere licet, præſertim cum *Petrus Gaſſendus*, quamvis Copernici Ptolomaïcâ ſententiâ veriſimiliorem eſſe agnoſcat, non veritus tamen ſit hæc verba proferre: *Tametſi opinio de motu terræ, probari videatur quibuſdam veriſimilibus argumentis, nulla tamen eſt demonſtratio, quæ illam eſſe veram convincat, adeo ut exprobrari non poſſit opinioni oppoſitæ, quod demonſtrationibus careat, certitudineque ab ipſa vincatur.* Sive igitur ſol, ſive terra moveatur, nemini perſuadebit, credo, Adverſarius, diurnum lumen per cauſam aliquam Naturalem duplo diutius fulgere potuiſſe. Nec licet ipſi ex Philoſophia cauſam revelationum, in Sacra Scriptura memoriæ proditarum, ſed ex ipſa Scriptura determinare, quam legem ſibi ipſi ſancivit pag. 2 & 15. Adverſarius ex eo quod præſupponit, ſolem in centro mundi quieſcere, Joſuam erroris vult convincere: nos vero fundamentum iſtud non concedimus, una cum plurimis expertiſſimis Aſtronomis (quamvis ingenue fatear me Aſtronomicæ ſcientiæ plane eſſe rudem, liceat tamen mihi anſeri inter olores ſtrepere ex quorum adeo diverſis, imo maxime contrariis de hac controverſia opinionibus, nullo negotio oſtendere poſſem, eos nihil certi de motu ſolis vel tetræ, de earandem à ſe invicem diſtantia, nec non de loco planetarum, earumque & ſtellarum fixarum magnitudine, ſtatuere poſſe. Quemadmodum ex *Otthonis Guerrichii de Vacuo ſpatio experimentis*, item ex *P. Petiti diſſertatione, de Anonymi cujuſdam Novo Mundi ſyſtemate*, aperte conſtat. Anonymus iſte ſolem ſupra ſtellas fixas, terram in centro mundi collocat. Item Solis, Lunæ & reliquorum ſiderum magnitudem, & à terra diſtantiam, incredibile quanto minores reliquis Aſtronomis eſſe ſtatuit. Quamvis autem *Petitus* eum ſuperciliosſe ſatis contemnit, non video tamen ipſum demonſtrationes ipſius ſolide refutare. Et præſertim teſtimonia *Ptolomæi, Joan. de Lery, à Mendoſlo*, in quorum certitudine totam victoriam ſitam eſſe aperte fatetur pag. 50 lin. 32: Quæ tamen convellere nullo modo potuit, niſi Ptolnmæi verba, contra omnium aliorum opinionem & exemplarium antiquorum fidem pervertendo, & corrupta eſſe, abſque ullo vel minimo indicio, aſſerendo, poſteriorum autem duorum teſtimonia abſque ulla ratione rejiciendo. Quæ omnia cum attentius conſiderarem, merito apud animum meum conſtitui, ſententiam iſtus Anonymi, quæ cum S. Scripturæ ea de re aſſertionibus ad amuſſim reſpondet, in ipſa Naturali ratione

plus

plus habere certitudinis, quam reliquorum Aſtronomorum, eique adeo tutius adſenſum præberi poſſe. Immerito igitur Adverſarius S. Scripturæ authores erroris reos facit. Et cum res ipſa adeo ſit incerta, ſi ex Naturalis rationis lumine decidi debeat, & præterea ſenſuum externorum teſtimonium, cum S. Scriptura & multis Geometricis & Aſtronomicis demonſtrationibus conſpiret, S. Scripturæ ſenſus cæteris longe eſt præferendus.

Alterum explum quod adfert pag. 22, *eſt umbræ in horologio retrogradatio*, cujus cauſam in parelia rejicere nimis eſt temerarium. Et Eſaiam credidiſſe terram quieſcere, ſolem vero moveri, vel de pareliis non cogitaſſe, nondum nobis certo conſtat. Si enim per miraculum umbra retroceſſerit, tuto nobis credere licet, umbram vere retroceſſiſſe, & vel ſolem, vel terram vere per iſtas horas, quibus Joſuæ ſic apparebat, retroceſſiſſe, vel quieviſſe.

Quod in ſtructura Templi Salomonici pag. 22, accurata peripheriæ cum diametro proportio non fuerit deſcripta, omiſſis minutiis & particulis numeri fracti, id nullius plane eſt momenti: cum apud prophanos authores, numerum rotundum ponere, omniſſo exiguo aliquo additamento, uſitatiſſimum ſit, quemadmodum author librorum hiſtoricorum, qui hiſtoriam, non præcepta matheſeos ſcribere volebat, id etiam fecit.

Ad Noachi hiſtoriam pag. 23 productam reſpondeo, Adverſario minime conſtare, ſolam terram Palæſtinam diluvio fuiſſe deletam. Tutius in hac re Sacræ Scripturæ, quam Adverſarii opinioni accedere poſſumus. Præſertim cum hæc inundatio non Naturalis; ſed plane miraculoſa fuerit, atque ex Adverſarii ſententia, ex ſola Scriptura, quæcumque de diluvio iſto dici vel credi poſſunt, ſunt petenda. Videantur plura de hac hiſtoria libro 2 cap. 3. Art. *de Arca Noachi.* Præterquam quod ipſis Sacris Scriptoribus non ſit inuſitatum, per univerſam terram, ſolam Palæſtinam terram ſignificare. Et ſic iſta hiſtoria nihil pro Adverſario faciet, ad oſtendendum id Noacho ex ipſius opinione fuiſſe revelatum, ſi concedamus totum mundum pro terra Palæſtina, quæ tum ſola, ex Iſaci Voſſii ſententia, inhabitabatur, accipi. Atque ita videmus nihil adhuc ab Adverſario eſſe productum, in quo revelationes, in rebus Naturalibus, contra certa quædam principia manifeſte pugnant: adeo ut merito credere poſſimus res Naturales eo modo quo Scriptura eas repræſentat, ſe habere. Et quamvis etiam certum plane eſſet, ſolem quieſcere, terram vero moveri, propterea tamen nondum liceret, ab iis quæ Prophetæ, etiam de rebus Naturalibus docent, vel latum unguem diſcedere, vel ab illis diſſentire. Non enim Scriptori geſtorum *Joſuæ* (qui tamen non erat Propheta, & propterea in hoc negotio præteriri poſſet) propoſitum fuit docere ſolem moveri, terram autem quieſcere, ſed tantum diem iſtum duplo longiorem fuiſſe quam ſint alii dies, idque non per refractionem aliquam radiorum ſolarium, in glacie vel grandine vibratorum; ſed exinde quod ſol globum terreſtrem 24 horis continuis illuminaret, illic loci, ſive ſol immotus in medio circuli diurni perſtiterit (quam Scriptoris apparet opinionem fuiſſe, non alicujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Prophetæ, multo minus quod ei id revelatum fuit, cum tantum ſimpliciter rem geſtam commemoret) ſive quod terreſtris globi motum diurnum Deus per 12 horas inhibuerit. Itaque ſi de motu ſolis vel terræ nihil definit Scriptura, ea in re liberum eſt cuivis judicium: ſed tantum de iſtius diei prolongatione, qua in re, nemini pio à teſtimonio Sacræ Scripturæ vel tantillum diſſentire licet. Præterquam quod ſcriptor iſtius libri, quamvis terram quieſcere crediidiſſet, tamen ita loqui potuerit, quemadmodum *Copernicani*, qui ſolis quietem aſſerentes, ei tamen perpetuo ortum & occaſum tribuunt. Idem de retrogradatione horologii ſolaris dictum eſto. Si enim in talibus Scripturæ fidem derogare liceret, actum eſſet de tota Scriptura (cujus tamen authoritatem Adverſarius pag. 21 lin 5 à fine & pag 22 lin.ult. & 23 lin. 1 & ſeqq. tueri videri vult) æquali enim jure cætera in dubium vocari poſſent; etiam illa quæ de pietate & bonis moribus docent (etiamſi Adverſarius id negare videatur pag. 21 in medio) cum tantum ex ſua opinione iſta docuiſſe de illis æquali jure ſtatuere poſſimus.

Quamvis autem Adverſarius pag. 23 abſque mendacio aſſerat, Prophetas non tantum ea quæ res naturales ſpectant, *ſed etiam alia majoris momenti ſalvâ pietate ignorare potuiſſe, & revera etiam ignoraſſe*, aſſeverare tamen ſibi aliquid ab ipſo Deo eſſe revelatum, quod tamen plane ſit falſum, profecto ſalva pietate non potuerunt. In talibus enim per imaginationes vel præconceptas opiniones decipi non potuerunt, ſed oportet eos dedita opera in iſtis mentitos fuiſſe, ut homines in ſuas partes pellicerent, & id frequenter in plurimorum hominum perniciem. Prout Moſes, Joſua, Elias, aliique complures Prophetæ, ad multas myriades hominum internecione delendos, ſuos incitaverunt, ſub prætextu mandati divini, quod *Korbachius* in ſuo dictionario Prophetis exprobrare non erubuit. Mandata autem divina ut ſuis perſuaderent, ſigna vel miracula ediderunt.

Ut ergo ad propoſitum revertamur, nimirum ad quæſtionem utrum *Prophetiæ pro ratione præconceptarum erronearumque Prophetarum opinionum variarint, imo etiam inter ſe pugnarint* (hoc enim adverſarius ſe facturum promiſiſſe eſt cenſendus, nam ſi veræ fuerint Prophetarum opiniones, certe contrariæ ſibi invicem eſſe non poſſunt, quod ipſum non negaturum confido) pag. 23. inquit, *Prophetæ nihil ſingulare de divinis attributis docuerunt, ſed admodum vulgares* (*futiles & abſurdas* debuit dicere, nam quod *vulgares* fuerunt iſtæ opiniones nihil refert, modo veræ fuerint) *de Deo habuerunt opiniones, ad quas etiam eorum revelationes accommodatæ ſunt*. Ipſe ſtatim recenſet, quid Prophetæ de Dei eſſentia & omnibus fere ipſius attributis docuerint, ſenſerintque, adeo ut mirum ſit ipſum dicere fuiſſe auſum, eos nihil *ſingulare de divinis attributis docuiſſe*, quod negamus: quemadmodum & illud, eos quicquam de Divinis attributis docuiſſe, vel de Deo ejuſve attributis quicquam tanquam à Deo revelatum proponere, quod non ſit veriſſimum. Nec etiam concedimus Prophetas, *ob ingenii ſublimitatem & præſtantiam*, ſed tantum ob pietatem & divina quæ eis communicata ſunt oracula, non vero *ab ſolam pietatem & animi conſtantiam, tantopere commendari.*

Acce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Accedamus ergo ad ipſas probationes. Primo oſtendit Adverſarius pag. 23, Adamum valde rudem fuiſſe in cognitione divinæ eſſentiæ, naturæ, ejuſque attributorum: quod non tantum de Adamo, ſed etiam de Kaïno aliiſque concedimus, imo de Moſe ipſo reliquiſque Prophetis negare nolumus, eos multa quæ divinam Naturam & attributa ſpectant non recte intellexiſſe, id enim ex Hiſtoria ſacra ſatis eſt manifeſtum, & ab aliis jam antea animadverſum. Sed *quod cuiquam eorum quicquam, quod cujuſquam erroribus ſit accommodatum, fuerit revelatum*, &c iſtud eſt quod conſtanter negamus. Ad id probandum primo adfert Adverſarius pag. 23, *Adamo fuiſſe revelatum, Deum non eſſe ubique, ut & inſcium loci & peccati Adami*, ubi vero ipſi hoc fuerit revelatum, non indicat, nec etiam ullibi hoc legimus; ſed ex eo vult iſtud Adverſarius oſtendere, *quia in textu dicitur, quod audivit, aut viſus eſt audire Deum per hortum ambulantem.* Nonne firmiter ex his verbis concluditur *Adamo revelatum fuiſſe, Deum non eſſe ubique, ut & inſcium loci & peccati Adami.* Quaſi Adamo non potuerit videri, Deum ambulare per hortum, niſi id ipſi, à Deo eſſet revelatum; vel Deus etiam revera ambulare per hortum, niſi id faceret, quia non eſt ubique. Si Deus ubique eſt, utique per Paradiſum etiam potuit videri ambulare, quia videri ambulare per hortum, & ubique eſſe, non ſunt contradictoria. Negamus autem iſta quæ Adverſarius Adamo revelata eſſe aſſerit, Adamo revelata fuiſſe; ſed concedimus Adamum ita ſe rem habere crediſſe: qui tamen Propheta non erat, de quibus nunc quæritur. Nec etiam ex eo quod ex Adamo quæſiiſſe Deus dicatur, utrum de fructu arboris vetitæ comediſſet? ſequitur Deum id neſciviſſe: quid enim magis eſt uſitatum, quando aliquem objurgare vel monere volumus, quam ex ipſo quærere id, de quo jam certi ſumus? non ut ſciamus utrum res ita ſe habeat, ſed ut tanto majori cum efficacia ipſum redarguere queamus. Præterquam quod adhuc, non inter Theologos tantum, ſed etiam inter Philoſophos controverſum maneat, an Deus eſſentia ſua, an vero ſola potentia & ſcientia ſit ubique: adeo ut dubium ſit adhuc, an Adamus, credens Deum non eſſe ubique ſua eſſentia, in eo erraverit nec ne.

Pergit pag. 23: *Adamus itaque nullum aliud Dei attributum noverat, quam quod Deus omnium rerum fuit opifex.* Mira ſane conſequentia. Num igitur omnium rerum creatio abſque vita, ſapientia, omnipotentia, & quæ cum iſtis connexa ſunt attributis, perfici potuit? Ecce quam valide ſua probet Adverſarius!

Addit ibid. ſecundo. *Kaïno etiam Deus revelatus fuit ad ipſius captum, nempe ut rerum humanarum inſcius.* Rurſus non oſtendit ubi hoc fiat, quod tamen ſtatim de Labano facit, unde conjicio ipſum non potuiſſe invenire, ubi Deus Kaïno ita fuerit revelatus. Vidit enim id ex verbis Gen. 4. 9 (ubi Deus ex Kaïno, ubi frater ipſius eſſet quæſiviſſe dicitur) non poſſe elici, quia ſtatim Deus verſu 10 ſubjicere dicitur, poſtquam Kaïnus, ubi ſuus eſſet frater ſe ſcire negaſſet, ſe ſcire quod ab ipſo eſſet interemtus. Falſo igitur aſſerit Adverſarius (ne dicam, ſciens aliter ſe rem habere) *Deum Adamo & Kaïno, ut rerum humanarum inſcium fuiſſe revelatum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Adjicit ibid. tertio. *Labano Deus ſeſe revelavit, tanquam Deus Abrahami.* Errat Adverſarius: revelavit enim ſe ut Deus Iſaaci Gen. 31. 29, ſed minus iſtud eſt. Quid vero in eo eſt abſurdi? Sed hoc à Deo ipſi eſſe revelatum, *quia Labanus credebat unamquamque nationem ſuum habere Deum peculiarem* planiſſime negamus, nec unquam hoc probare poterit Adverſarius, nullibi enim id in textu dicitur, nec etiam dici potuit, præſertim cum nec Abrahamus, nec Iſaacus *nationes*, ſed privati tantum homines eſſent, adeoque cum Labanis opinione id non conveniebat. Adverſarius non dicit eos credidiſſe *ſingulos homines*, ſed *unamquamque nationem* ſuum habere Deum peculiarem. Atquæ ita manifeſtum eſt Deum (ex Adverſarii hypotheſi) ſe Labano, contra ipſius præjudicia & opiniones revelaſſe.

Adjicit pag. 23 quarto. *Abrahamus etiam ignoravit Gen. 18. 20 Deum eſſe ubique.* Nec in eo fortaſſis erravit, ſi eſſentiæ ubiquitatem intelligas, *reſque omnes præcognoſcere*, & in eo forſam non male ſenſit, modo de futuris contingentibus id accipiatur.

Hic vero nos fortius conſtricturus ſubjicit pag. 24, *nec Deus ipſi aliter revelatus fuit, ſic enim* N.B. *in Abrahami imaginatione loquitur, nunc deſcendam ut videam, num juxta ſummam quærelam, quæ ad me venit, fecerunt, ſin autem minus* [*rem*] *ſciam.* Cum dicit *Deus in Abrahami imaginatione ſic loquitur*, quæro an ex ipſa Sacra Scriptura, ex qua ſola de talibus judicum fieri debere dixit, iſtud hauſerit? ſi ſic, ergo Deus non hoc Abrahamo revelavit, ſed Abrahamus id ſibi tantum imaginabatur. Sin aliunde iſtud habeat, oportuit ut hoc probaret, & ſic ſcriptorem libri Geneſeos mendacii vel erroris convinceretis: enim aperte dicit, Jehovam ita fuiſſe locutum. Ut ergo rem conficiamus, concedam videri Deum Abrahamo hic ut non omniſcium revelari (quamvis Adverſarius dixerit ipſum ignoraſſe *Deum res omnes præcognoſcere*, id eſt ſcire antequam eveniant; quod longe aliud eſt, ſed hoc ad queſtionem propoſitam nihil facit, agitur enim de Prophetis, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, quæ Chriſtiani & Judæi pro ſcriptis Propheticis agnoſcunt, quique credenda & facienda homines Dei nomine docuerunt. Et debuit Adverſarius oſtendere, dictis Prophetis aliquid ſimile fuiſſe revelatum. Præterea non dixit Deus (vel Angelus, perſonam Dei repræſentans, Deum enim Altiſſimum Abrahamo, vel ulli unquam hominum in terris apparuiſſe, nullibi in tota Scriptura dicitur, ſed diverſis in locis innuitur eum qui nomine *Jehova* in Veteri Fœdere appellatur, Angelum tantum fuiſſe, quod & ipſe Adverſarius pag. 7 lin. 18 aperte concedit) ſe neſcire an Sodomitæ extrema pataverint, ſed tantum ſe velle videre an ita ſe res habeat, & ſi aliter ſe habeat id cogniturum, quo pacto Deus loqui potuit, quamvis jam exacte totam rem ſciret, propter Abrahamum, qui fortaſſe credidit ſe cum ipſo Deo altiſſimo ſermones miſcere, quem non omniſcium eſſe putavit, quales Angeli ſunt, quorum unum iſtum fuiſſe omnino exiſtimarim. Revelatio autem iſta, cum neminem niſi Abrahamum ſpectaret, nec ut Abraham aliis eam ediſſereret, vel de Dei omniſcientia erudiret, facta ſit (quales Prophetarum revelationes maximam partem fuiſſe credimus) ad quæſtionem præſentem non pertinet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Quintus quem pag. 24 in hanc palæſtram ducit Adverſarius, eſt Moſes, præcipuus inter eos qui ad rem faciunt Prophetas; cui multos adſcribit errores circa Dei attributa: primus eſt, *quod non ſatis percepit*, *Deum eſſe omniſcium*: quod ſi verum eſt, nihil contra nos facit, niſi oſtendat Deum ſe etiam hac in re ipſius errori accommodaſſe: Quod tantum abeſt ut oſtendat, ut potius contrarium confirmet, quod cum addit, *Moſem id non ſatis percepiſſe, quanquam Deus ipſi dixiſſet Exod. 3. 18, Iſraëlitas ei obtemperaturos*, ex quo Moſes diſcere debuerat, Deum eſſe omniſcium. Præterea, quamvis Deus dixerit Iſraëlitas ei obtemperaturos, poterat tamen Moſes, omniſcientiæ Divinę optime gnarus, dubitare an omnino certum eſſet, Iſraelitas id facturos, & an non verba Dei cum aliqua conditione eſſent intelligenda. Quare Deus Moſem in nullo errore confirmat, nec ejus errori ſe accommodat, ſed potius Moſi iſtum errorem eximit, additis ſignis. Fruſtra igitur ſubjicit Adverſarius pag. 24: *Et ideo Deus etiam ipſi ut indifferens, & ut inſcius futurarum humanarum actionum, revelatus fuit.* Quibus verbis primo rurſus ſtatum controverſię mutat: nam pro eo quod debuit oſtendere, *Moſem non ſatis percepiſſe Deum eſſe omniſcium*, & Deum etiam Moſi ita fuiſſe revelatum, nunc ſubſtituit *Deum eſſe indifferentem, & futurarum humanarum actionum inſcium*: quaſi eſſe *omniſcium*, & eſſe *indifferentem, & futurarum humanarum actionum inſcium*, plane ſit unum & idem, cum tamen *indifferentia* Dei (per quam quid intelligat dubito an percipiam, ſed credo ipſum intelligere libertatem in agendo, vult enim Deum non libere, ſed neceſſario agere, quemadmodum poſtea videbimus) ejuſque *certa humanarum actionum futurarum cognitio*, ad Dei omniſcientiam minime pertineat, quandoquidem futurę actiones humanę, liberę videlicet & voluntarię, nullo modo exiſtunt in rerum Natura, ac idcirco inter *omnia* non poſſunt numerari. Atque adeo *indifferentem & futurarum voluntariarum actionum humanarum inſcium eſſe*, cum *omniſcientia* minime pugnant, quod ab aliis jam eſt animadverſum. Utrumque vero, Deum videlicet neceſſario agere, humanaſque futuras contingentes actiones ſcire, ſi Adverſarius aſſerere velit, oportet ut iſtud oſtendat. Qua de re poſtea pluribus diſſerendi erit locus.

Addit pag. 24, Moſen non ſatis percepiſſe, humanas actiones omnes, ex ſolo decreto (Dei debebat addere, ſed hoc omittit, quia credit decretum iſtud in ipſa Natura reſidere) *dirigi.* Quod Moſes non modo non ſatis recte, ſed nullo modo percepit; imo contrarium, rectiſſime tamen, apertiſſime percepit, ut ex Deut: 30. 19 conſtat, ubi populum Iſraëliticum ita affatur: *vitam & mortem propoſui vobis, benedictionem & maledictionem: eligite ergo vitam, ut vivatis vos & ſemen veſtrum.*

His poſtea ibidem ſubjungit catalogum eorum quæ Moſes de Dei Natura, eſſentia & attributis credidit & docuit, ut oſtendat quot Moſis fuerint errores, in quibus Deus in ſuis revelationibus ei ſe accommodaverit: nullibi vero oſtendit ea quæ Moſes docuit eſſe falſa, vel Deum ſe Moſis erroribus accommodaſſe (quod tamen facere ſuſceperat) ac ſi omnia quæ Moſes de Deo credidit (Deum videlicet eſſe ens abſolute æternum, vivens, intelligens, miſericors, omnipotens, omnia regens, omnium Creator &c) eſſent falſa. Quædam etiam inter ea recenſet, quæ Moſes nunquam

D docuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

docuit: nempe *Deum ſibi ſoli certam mundi plagam, reliquas autem nationes & regiones, curis reliquorum Deorum, à ſe ſubſtitutorum, reliquiſſe*: neutrum enim Deut. 4. 10. XXXII. 8, 9 docetur, ſed tantum Deum populum Iſraëliticum pro ſuo populo elegiſſe, non vero eum *ſolam eorum regionem regere, alias nationes & regiones aliis Diis reliquiſſe* dicitur, alia ut taceam.

Quare non aſſentior illis quæ pag. 26 addit: *ſed quoniam Moſes, ut dictum* (non vero probatum eſt) *nullam Dei imaginem in cerebro formaverat, & Deus, (ut jam oſtendi)* ſed admodum infeliciter & cum malo ſucceſſu, ut ex dictis conſtat, *non revelatur Prophetis, niſi pro diſpoſitione eorum imaginationis, ideo Deus nulla ipſi imagine apparuit.* Unde vero hoc conſtat? ſi apparuit Moſi, ſub aliqua imagine apparuiſſe neceſſe eſt, nam alias apparere non potuit, nec in textu dicitur Deum nulla imagine Moſi apparuiſſe.

Dicit etiam pag. 27, *Moſem* nihil aliud *Iſraëlitas quam modum vivendi docuiſſe*, quod ideo dicit, quia credere ſe dicit, Moſis ſcripta, non niſi admodum corrupta, mutila, trunca & manca ad nos perveniſſe, qua de re capp 8. 9. 10. fuſius diſſerendi erit locus. Concedimus autem non omnia Dei attributa, nec etiam multa quæ ad ejus Naturam, eſſentiam, potentiam & omniſcientiam pertinent, Prophetis Veteris Fœderis fuiſſe revelata vel cognita, ſed negamus Deum ipſis quidquam quod falſum, vel cum erroneis ipſorum præconceptis opinionibus conveniat, revelaſſe.

Negamus etiam id quod de Salomone pag. 27 affirmat, *ipſum lumine Naturali omnes ſui ſeculi ſuperaſſe*, eo videlicet ſenſu, quod lumen iſtud Naturale, ſolo naturæ ductu hauſerit, cum expreſſe dicatur, Deum ipſi omnem illam ſapientiam dediſſe, tum temporis, cum precibus eam à Deo flagitaret 1 Reg. 3. 9, 11, 12.

Impudenter etiam ibidem ſubjungit, [*Lex*] *iis tantum tradita eſt, qui ratione & Naturalis intellectus documentis carent*, quibus verbis bilem in ſuos inimicos Judæos evomere cenſendus eſt, quos pro beſtiis reputans calumniatur. Item quod Salomon *ſe ſupra legem exiſtimavit*, quod probare non poteſt. Atque ita oſtendimus Adverſarium fruſtra Prophetis objicere, quod eorum revelationes, ipſorum erroneis præjudiciis erant accommodatæ.

Reſtat poſtremum in Prophetas hic vibratum telum, nimirum, *Prophetas, circa res mere ſpeculativas, varias, imo contrarias habuiſſe opiniones, & varia præjudicia*, quod pag. 21 ſe oſtenſurum promiſit, & pag. 28 ſe ſuſcepiſſe confitetur. Notandum vero eſt hoc nihil contra nos facere, niſi oſtendat revelationes divinas variis (*diverſis* debuit dicere) imo contrariis iſtis opinionibus accommodatas fuiſſe, ſive Deum circa eandem rem contraria Propetis revelaſſe: non enim Prophetarum opinionibus, ſed Dei revelationibus fidem adhibere nos teneri contendimus. Prophetas enim in multis erraſſe concedimus, ſed Deum errores iſtos revelationibus ſuis confirmaſſe negamus. Ad examen igitur argumentorum, quibus aſſertionem ſuam adſtruere conatur, nos conferamus.

Ait autem pag. 27, *Rabinos Ezechielis ſententias adeo Moſis ſententiis repugnantes inveniſſe, ut fere deliberaverint, ejus librum inter canonicos non admittere &c.* Sed mirum eſt hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

hoc apud Adverſarium aliquod, vel leviſſimum pondus habere; cum paulo ante dixerit *Judæos, quibus Lex data eſt, ratione & naturalis intellectus documentis carere.* Quid igitur mirum eſt, ſi adeo fuerunt ſtupidi, ut Moſis ſententias cum Ezechielis conciliare non potuerint. Qua fide vero hoc de Judæorum Rabinis proferat, aliis quibus *Thalmud & tractatus Sabbati* ad manum eſt, & legere poſſunt, examinandum relinquo. Nec id nos tangit, qui facile utriuſque ſententias ſecum invicem conciliare poſſumus, prout libr. 2. cap. 1 oſtendemus. Primum igitur repugnantiæ ſpecimen p. 28 eſt *cap.* 18. 2, 3. *&c. Ezechielis, quod non videtur convenire cum verſu 7 Exod. cap.* 34, *nec cum Jer.* 32. 28. Non auſus eſt dicere, non convenire, ſed *non videri convenire* hæc loca, vidit enim credo hæc non revera pugnare. Pugna vero in eo conſiſtit, quod apud Ezechielem Deus dicat ſe filios ob parentum peccata non puniturum, Exod. 34. 7 & Jer. 32. 18 autem, Deum parentum peccata in filiis puniturum: quæ ſi vere pugnarent, utrobique hæc res eodem modo propoſita eſſe deberet. Jam vero certum eſt Ezechielem cap. 18. 14, 17, 19, de filiis agere qui patrum ſcelera non imitantur. Cum vero Moſes & Jeremias non exprimant ſe de talibus filiis loqui, ergo eos inter ſe pugnare dici non poteſt, potuerunt enim ſaltem de aliis filiis, qui videlicet parentum crimina imitantur, hæc intelligere. Quod etiam veriſimile eſt, præſertim cum Moſes Exod. 20. 5 expreſſe innuat, ſe tales intelligere natos, *qui Deum oderunt.* Ulterius nunc non progrediar, donec de ea quæſtione egerimus, an ſcripta unius per alterius Prophetæ explicare licitum ſit, quod Adverſarius negat: non poteſt autem hoc nobis eripere, quod eloquia Prophetarum per alia ejuſdem Prophetæ explicare liceat.

Secundam repugnantiam obſervat pag. 28 in ſententia Samuelis 1 Sam. 15. 29, cum „ opinione Jeremię cap. 18. 8, 10. Priori loco dicit Adverſarius, Samuelem cre- „ dere Deum, ubi aliquid decreverat, nunquam decreti pœnitere, Jeremię autem „ contra revelatum fuit, Deum pœnitere ſive boni, ſive mali, ſi homines in melius „ vel in pejus mutentur &c: quibus pro tertio opponit Joëlem cap. 2. 13, *qui Deum damni pœnitere tantum docuit.* In quo poſtremo ſubdole agit, dum dicit *damni tantum pœnitere docuit*, ac ſi dicere vellet, Joëlem docere Deum non boni, ſed damni tantum pœnitere, quod plane falſum eſſe Adverſarius ignorare non potuit, niſi valde negligenter Joëlis verba inſpexerit, quod in tam ardua queſtione minime excuſari poteſt. Ad hanc igitur objectionem poſſem reſpondere, hic non revelationem revelationi; ſed revelationem divinam opinioni Samuelis opponi, atque adeo hęc ad propoſitam queſtionem minime pertinere: in libro enim Samuelis non dicitur Samueli iſtud fuiſſe à Deo revelatum. Sed age concedamus etiam Samuelis verba revelationem continere, non tamen ea cum Jeremiæ verbis pugnabunt. Jeremias enim de tota natione loquitur, cui ſi Deus malum vel bonũ immittere decreverit, natio autem illa mores mutaverit, Deum decreti ſui pœnitere, Samuel vero de uno tantum homine loquitur, cui ſi Deus propter aliquod peccatum beneficium auferre decreverit, non eum pœniteat. Nec iſtud etiam ita plene, ſed poſſunt Samuelis verba ita accipi, quod Deum hujus de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Saulo Regia diademate eripiendo decreti, non pœniteat. Præterea cum clare pateat, Jeremiam non de abſoluto agere Dei decreto, quandoquidem id per morum in melius vel deterius mutationem reſcindi poterat, apud Samuelem vero non expreſſum ſit eum de conditionato decreto agere, merito ſuſpicari licet, eum de abſoluto Dei decreto loqui, cujus Deum nunquam pœniteat, & hoc pacto nullo negotio Samuel cum Jeremia & Joële conciliari poteſt. Præterea, conditionem reſipiſcentiæ, quam Deus apud Jeremiam exigit, ut malum quod decreverat, nationi alicui non immittat, in Saule locum habuiſſe non eſt veriſimile: ea autem eſt ut natio iſta ab impietate reſipiſcat, Saul vero non legitur perverſæ vitæ, ſed tantum unius iſtius, de non exciſo rege Agago cum Amalecitarum pecoribus, tranſgreſſionis, pœnitentia fuiſſe ductus. Nec etiam de Saulo delendo, ſed tantum de regno in poſteritate ejus non continuando decretum Deus apud Samuelem fecerat; Jeremias autem agit de decreto de totius alicujus populi extirpatione. Denique falſum etiam eſt quod Adverſarius dicit, *Samuelem credidiſſe, ubi Deus aliquid decreverit, nunquam decreti pœnitere*: ita enim verba Samuelis ſonant: *nec ipſum (Deum) pœnitet: non enim homo eſt, ut eum pœniteat*, quę verba ad ſolum de Sauli rejectione decretum reſtringere, nihil vetat. Si id quod Adverſarius impudenter aſſerit, Samuel diceret, tum opinio ejus cum Jeremiæ revelatione aliquatenus pugnare videretur. In quo tamen exigua foret difficultas: quandoquidem libri iſtius ſcriptor, non quid Deus Samueli revelaverit, ſed tantum quæ Samuelis fuerit de Deo opinio, recenſet. Adeo autem infideliter, vel ſi mavis negligenter & oſcitanter, in tam gravi negotio quæſtiones tractat Adverſarius, prout jam aliquoties à nobis eſt notatum. Ex quo non leve de tota ipſius tractatione præjudicium contra ipſum oriri neceſſe eſt.

Tertiam contrarietatem in eo vult apparere pag. 28, quod ex *Gen.* 4. 7 *clariſſime conſtat, hominem poſſe peccati tentationes domare, &c*; *Paulus contra, nihil apertius docet, quam quod homines nullum imperium, niſi ex ſingulari Dei vocatione & gratia, in carnis tentationes habent.* Primum, ſi hæc duo inter ſeſe pugnarent, eadem à Paulo negari, quæ à Deo apud Moſem affirmari deberent. Apud Moſem vero dicit Adverſarius patere, hominem poſſe N.B. *peccati tentationes domare*, à Paulo vero dici *carnis tentationes* extra hominis imperium eſſe, niſi ſingularis accedat gratia divina. Sed levius hoc eſt. Quid ſi vero quis utrumque negaverit, quid tum? an ſufficiet Adverſarium hæc tam intrepide, abſque ulla adſtructione affirmare? Primo, quamvis concedam verum eſſe, *hominem per Dei gratiam peccati tentationes poſſe domare*, nego tamen id ex Gen. 4. 7, nedum *clariſſime conſtare*, ſic enim ibidem legitur: *nonne ſi benefeceris elevatio, & ſi non benefeceris, ad oſtium peccatum cubat. Et ad te appetitus ejus, & tu dominaberis in eum.* Quæ poſteriora verba, ſi concederetur de peccato eſſe intelligenda, nihil tamen ei, quod Paulum docere Adverſarius affirmat, contrarium continerent: non enim ibi affirmatur hominem in peccati appetitum, abſque ſingulari divina gratia dominari, quod tamen dici deberet, ſi Pauli verbis repugnantia dici mererentur. Deinde nego verba Dei ad peccatum reſpicere, ſed potius ad Abelem referri poſſe, ut ſic Deus

Kaïnum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Kaïnum à propoſito Abeli noxam inferendi, eo argumento avertere ſtuduerit, quod quamvis Abelis Sacrificium magis ipſi acceptum fuerit, Kaïn tamen, ut primogenitus, dominium in Abelem obtineret. Atque hunc potius verborum eſſe ſenſum, ex Gen. 3. 16 colligo, ubi iiſdem plane verbis Adamo in conjungem dominium aſſeritur. De iis quæ Paulo tribuit, eum ad Rom. 9. 10 docere, nihil habetur; error eſt in citatione. Sed ne caucæ deſimus, loca ubi Paulus id quod Adverſarius vult docere videtur adſcribam, ea ſunt ad Rom. 7. 15, 18, 19, 21, 23, in quibus locis aperte Paulus docet, homines peccatum vincere non poſſe, abſque non *ſingulari*, prout Adverſarius dicit, ſed *generali*, quę cuivis patet, *gratia.* Quod quia Gen. 4. 7 non negatur, nec etiam ullibi in tota Sacra Scriptura, omnis quam prætexit Adverſarius repugnantia, penitus evaneſcit. Præterquam quod peccata, quæ Chriſtiani, ex præſcripto Novi Federis fugere tenentur, longe alterius ſunt naturæ, quam ea quæ in Veteri peccata erant, prout alibi fuſius demonſtravimus.

Adjicit pag. 28 loca *ad Rom.* 3. 5. v1. 19, *ubi* [Paulus] *Deo juſtitiam tribuit* [ſed] *ſe corrigit, quod humano more ſic loquatur, & propter carnis imbecillitatem.* Si Adverſarius hæc & ſimilia accuratius propoſuiſſet, verbo uno vel altero fucus facile detegeretur, nunc vero, cum audacter hæc profert, abſque probatione, prolixius ſunt examiminanda. Non indicat etiam Adverſarius quorſum hæc poſtrema ex Paulo adferat, ſed ſuſpicor ipſum Paulum Moſi opponere velle, qui Deum juſtum eſſe docuit. Adverſarius enim, nec juſtitiam, dominium, iram, amorem, odium, miſericordiam, nec quicquam ſimile in Deo proprie loquendo agnoſcit, quod facere non poteſt, quia hoc Univerſum Dei nomine intelligit. Admodum perverſe, ut ſolet, verba Scripturæ allegat, & duo iſta Pauli loca, quaſi de eadem re agerent confundit: prior enim de juſtitia divina, alter vero de liberatione hominis à ſervitute peccati agit. Nec etiam Rom. 3. 5 Paulus dicit ſe humano more juſtitiam Deo tribuere, ſic enim verba ſonant: *quid ergo dicemus, num Deus injuſtus eſt, quando iram nobis inducit? dico humano more.* Ubi manifeſtum eſt Paulum non dicere ſe humano more loqui, quando Deo juſtitiam tribuit, ſed in eo, quod Adverſariorum de Dei injuſtitia ſententiam recenſeat, Deum videlicet injuſtum eſſe, quando peccata, ex quibus gloriam adipiſci poſſit, punit id quod verſu 6 de Deo negat, quia ſi Deus injuſtus eſſet, idoneus judex eſſe non poſſet. Optaſſem ſane Adverſarium omnia iiuſmodi loca, quę ei ſecum invicem pugnare, vel abſurdas opiniones continere videbantur, in medium protuliſſe, ut eadem opera ad omnia ſimul reſponderi poſſet. Sed dubio procul pręcipua ipſi cognita produxit, quæ cum adeo ſint frivola, de reliquis idem erit ſentiendum. Nos vero Deo volente, omnia iſtiuſmodi loca annotabimus, & earum reconciliationem adjiciemus, nequid in tam gravi controverſia ſupereſſe videri poſſit.

Ante pugnam igitur Triumphum canit Adverſarius pag. 28, dum addit: *Ex his itaque ſatis ſuperque conſtat id quod oſtendere proponebamus, nempe Deum revelationes captui & opinionibus Prophetarum accommodaſſe.* Nihil enim minus, ſed plane contrarium conſtat. Quare ea quæ tam ruinoſo poſtea ſuperſtruit fundamento, penitus corruere eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

neceſſe. Sed mirum eſt quam ſtulte frequenter loquatur Adverſarius, cujus rei, ne in nimiam molem excreſcat noſtra diſputatio, unicum ſpecimen notabo. Dicit: *concludimus itaque nos Prophetis nihil aliud teneri credere, præter id quod finis & ſubſtantia eſt revelationis, in reliquis, prout unicuique* N.B. *libet, liberum eſt credere.* Quaſi quiſque quicquid libet, credere poſſit. Non libet cum eo ſerram contentionis reciprocare, niſi in illis rebus quæ materiam quæſtionum, quæ inter nos & illum intercedunt, ſpectant, & ab ipſo ad ſuæ ſententiæ confirmationem adferuntur. Alias multa adhuc eſſent animadverſione digna: omnia videlicet quæ pag. 29 de divinis revelationibus & miraculis, abſque ulla demonſtratione, more ipſi familiari effutit.

Responsio ad Caput III.

De Hebræorum vocatione, & an donum Propheticum Hebræis peculiare fuerit.

Contenta capitis Primi.

C*Apite primo de* Prophetia *oſtendere ſtuduit Adverſarius, eam nihil aliud fuiſſe, quam phantaſmata & imaginationes, hominibus phanaticis, melancholicis & delirantibus, vel vigilantibus, vel ſomniantibus objectas; atque eas Dei mentem, revelationem, ſive decreta fuiſſe appellatas, quemadmodum pag.* 13. *lin.* 24 *& ſeqq. expreſſe declarat. Ad quod demonſtrandum ne unicam quidem rationem profert, ſed nil niſi captiunculas. Et per longas ambages, quibus rudiorum animum obruit & conturbat, cum ad rem revera nihil faciant, ut quo iſta tendant percipere nequeant, efficere conatur, ut quid Scriptura dicere velit capere nequeant, & ſuſpicionem ipſis moveat, quod Scriptura ipſa per* Prophetiam *nihil præter imaginationes Prophetarum intelligat, quod ipſe optime novit plane eſſe falſum.*

Secundi capitis contenta.

Quo pacto cum lectorum animos, per ea quæ ipſe novit eſſe falſa, confuſa reddidit, ſecundo capite nihil aliud intendere videtur, quam oſtendere, Prophetas fuiſſe homines fanaticos, qui ſibi multa vana & ridicula ſe videre & audire imaginabantur, ſtupidos & ad quidvis audendum promptos, quales noſtro ævo fuere Giftheil, Rothæus, Sebathai Sebi *aliique ſimiles, qui Regibus nonnunquam formidoloſi extitere, & populum inſanum in ſuas partes abduxerunt. Quod ex iis quæ in ipſa Scriptura de Prophetis ſcripta reperiuntur, oſtendere fuit conatus. Quæ adeo ridicula & abſurda eſſe innuit, ut ab homine ſagaci facile deprehendi poßit, ea ab inſanis potius quam à ſapientibus eſſe profecta & recepta. Nos vero utrobique docuimus, rem longe aliter ſeſe habere, & nihil ibi reperiri, quod non verum ſit & ſapienter dictum atque prolatum. Et Adverſarium nihil eorum quæ aſſeruit, oſtendiſſe eſſe verum.*

Capitis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Capitis Tertii contenta.

Hoc Capite tertio, contra vulgarem Theologorum opinionem aſſerit, Hebræis nihil præter terrena commoda à Deo fuiſſe conceſſa vel expreſſe promiſſa; ſed præter iſtud, eos nihil felicitatis præ reliquis nationibus habuiſſe, nec habere potuiſſe. Quod ut evincat, pag. 31 & 32 declarat, ſe nullum præter ipſam Naturam Deum agnoſcere, atque reſpectu hominum nullam aliam eſſe Dei directionem, præter humanam ſolertiam atque prudentiam. Ac præterea declarat ſe credere, omnia què in toto Univerſo vel fiunt vel exiſtunt, neceſſario ab ipſius Naturæ curſu neceſſario & inevitabili proficiſci. Quas adeo veſanas & abominandas opiniones in toto tractatu ne verbulo quidem oſtendere conatur eſſe veras. Et tamen ex iſtis omnia quæ poſtmodum differit, concludit eſſe certa. Ac primo quidem Hebræos nihil omnino præ ceteris nationibus ſingulare potuiſſe habere. Quod etiamſi optime noverit, à Scriptoribus librorum Biblicorum longe aliter fuiſſe creditum, ſimulat tamen ſe oſtenſurum, nullam aliam iſtorum fuiſſe mentem. Atque in eum finem magna cum ſubitilitate multa Scripturæ loca ſcurriliter profert. Quæ omnia, propter imperitiores, nihil ſimile continere demonſtramus.

PRimo non aſſentior ipſi, quod donum Propheticum, nec non promiſſiones iſtæ Hebræis non fuerint peculiares, minime enim nos in eo convincit, nec cuiquam ſatiſfacere poteſt, quia adverſus apertiſſima Sacrarum teſtimonia, quæ plane oſtendunt quod donum Propheticum,& promiſſa de vitæ hujus tranquillitate & commodis, Hebræis ſolis fuerint peculiaria, nihil aliud reponat pag. 20, quam *Deum ad eorum tantum captum loqui* (id eſt aperte mentiri) id quod ſe ſuperiori capite oſtendiſſe, falſo gloriatur. Nos enim jam clariſſime demonſtravimus, ipſum nihil minus oſtendiſſe. Ut autem facilius cuivis perſuadeat, Hebræorum vocationem nihil præ cæteris nationibus habuiſſe peculiare, oſtendere conatur, nihil in eo eſſe, quod quis aliquid poſſideat, quo alii carent: idque ex eo evinci putat, quod alii rebus, quarum poſſeſſio nos beatos reddit, careant; vel decedat ex eo, quod alii nobiſcum eadem poſſideant.

Quod etſi prima fronte ſpecioſum ſit argumentum, nullius omnino efficaciæ eſt. Quia felicitatis incrementum vel decrementum in eo non conſiſtit, quod nobis aliquid accedat vel decedat, ſed in ſolo valore ſive pretio rei quam poſſidemus. Quod ſane multum ex eo vel augeſcit, vel minuitur, quod plures eandem vel plane ſimilem rem poſſideant, vel non poſſideant. Lapidum, aquæ, terræ vel pulveris pretium propterea nullum ferme eſt, quia omnes iſta habere poſſunt. Adamantes, uniones, aurum & ſimilia, nullam aliam ob cauſam pluris fiunt, & meliora ſunt iſtis, quam quia cuivis ita non ſunt obvia. Et quo pauciores rem aliquam habere poſſint, eo res eſt melior, Quod in iſtis etiam locum habet, quorum contactus nos voluptate afficit, quales ſunt eſculenta & ſimilia. Quæ non ſunt in pretio, niſi raræ ſint, quamvis guſtum magis quam rariora iſta oblectent. Ex quo apparet Scripturam non ad hominum captum loqui, ſed rem adæquate explicare, quæ Hebræorum felicitatem ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

eo extollit, quod cæteræ nationes eo modo quo ipſi, à Deo non ſint vocati nec dilecti. Quamvis vero nos non lateat, Adverſarium non iſtud velle (quod in aliis plurimis rebus quoque locum habet) ſed tantum, Hebræos nihil præ cæteris Nationibus habuiſſe peculiare, oportet tamen frequenter cum ipſo loqui, ne quis ipſius cavillationibus in errores abducatur.

Antequam vero oſtendat, quid iſtud ſit, ad quod Hebræi præ cæteris nationibus à Deo electi fuerint, primum pag. 31, 32 explicat *quid per Dei directionem, perque Dei auxilum externum & internum, & quid per Dei electionem, quid denique per fortunam,* & tandem per Deum ipſum *intelligat.* Attendite quæſo lectores, & intelligite an non merito ipſum cum ſuis ſociis Atheum appellemus, quamvis iſtud pag. 16 initio, pro dolor! Adverſarius deplorat. Si enim illi tantum Athei ſunt dicendi, qui nulli enti nomen Dei imponere volunt, tum fateor immerito eos Atheos dici; ſed etiam nullos unquam Atheos fuiſſe nec futuros eſſe. Nos Vero Atheos vocamus, qui iſtiuſmodi ens pro ſolo Deo altiſſimo non agnoſcunt, quod totius Univerſi ſit creator & moderator.

Ait igitur circa finem pag. 31, *Per Dei directionem intelligo fixum illum & immutabilem Naturæ ordinem, ſive rerum naturalium concatenationem.* Novimus ſatis, quid per Deum, & per ejus directionem intelligat, ſed oportuit ipſum ſententiam ſuam argumentis demonſtrare eſſe veram.

Pergit pag. 32: *diximus enim ſupra, & in alio loco jam oſtendimus, leges Naturæ univerſales, ſecundum quas omnia fiunt & determinantur, nihil eſſe niſi Dei æterna decreta, quæ ſemper æternam veritatem & neceſſitatem involvunt.* His oppono, me ſupra plane contrarium dixiſſe, & in alio loco oſtendiſſe. Si cui minus abſurdum videtur, *omnia per univerſales neſcio* quas *Naturæ leges determinata eſſe,* & neceſſario fieri, etiam ab ipſis hominibus, quos tamen per ſe liquet libere, non ulla neceſſitate coactos agere, quam credere, eſſe Deum, omnium creatorem & gubernatorem, qui ſit ens per ſe ſubſiſtens, intelligens &c: valeat cum ſua opinione. Adverſarius ſaltem nihil horum probat. Et nos non agnoſcimus iſtiuſmodi *leges univerſales,* vel Deum nihil aliud quam Naturam eſſe.

Pag. 32. *Sive igitur dicamus, omnia ſecundum leges naturæ fieri, ſive ex Dei decreto & directione ordinari, idem dicimus.* Non mirum, cum nullum præter Naturam Deum agnoſcatis, quod ſequentia verba clarius ad huc oſtendunt, ais enim: *Deinde, quia rerum omnium naturalium potentia, nihil eſt niſi ipſa Dei potentia* (nullam enim aliam potentiam præter eam quæ rebus naturalibus ineſt, Adverſario judice, poſſidet) *per quam* N.B. *ſolam omnia fiunt & determinantur, hinc ſequitur, quicquid homo, qui etiam pars eſt naturæ, ſibi in auxilum, ad ſuum eſſe conſervandum parat, vel quicquid* N.B. *Natura, ipſo nihil operante, ipſi offert, id omne ſibi à ſola Divina potentia oblatum eſſe &c.* Conſequentiam hanc legitimam eſſe fateor, *ſi rerum omnium naturalium potentia, nihil eſt niſi ipſa Dei potentia.* Sed quando hoc falſum eſt, quemadmodum id falſum eſſe contendimus, falſum etiam erit totum quod inde elicitur conſectarium. Reliqua quæ ſub-

ſubnectit, ejuſdem ſunt Naturæ, & ſolidiſſime probari deberent, antequam à quoquam admitti poſſint.

Athei, qui omnia religionis & Scripturæ capita ratiocinii examini ſubjiciunt, & omnia ad rationis naturalis obruſſam examinare volunt, ſententiam de fatali omnium entium in agendo neceſſitate amplectuntur. Cum enim Mundum, & quæ in eo ſunt, ab æterno extitiſſe, & in eadem mutatione & motu verſaſſe credant, credere etiam coguntur ea nunquam peritura. Quod abſque omnipotenti totius Univerſi directore concipere impoſſibile eſſe credunt, niſi omnia certis legibus, id eſt neceſſitati in motu & actionibus eſſent alligata.

Sed ſi omnium entium proprietates expendamus, eas in entia ratione penitus deſtituta, & ratione prædita diſpeſcere oportet. Duorum iſtorum generum ſi ſpecies conſideremus, & earum affectiones, quædam earum moveri, quædam autem agere dici debent. Quæ moventur (ut reliqua ad ſcopum non neceſſario pertinentia prætерem) vel in circulum, vel retrogrado motu perpetua viciſſitudine aguntur. (Quod in entibus ratione deſtitutis, abſque cauſa impellente fieri nequit.) Ea vero ſunt orbes & corpora ætherea, globus terreſtris (ut non pauci exiſtimant) maria, flumina &c. Quorum omnium motum eſſe neceſſarium facile concipi poteſt, quia perpetuo eodem modo moventur. Sed in hominibus ratione præditis, & ſi quæ alia entia ratiocinandi facultate pollent, neceſſitatem in agendo ſtatuere, idque in omnibus actionibus certa & determinata ratione, & quidem ita ut nemo ſe neceſſario agere ſentire poſſit, quid eſt cum ratione inſanire, ſi hoc non eſt?

Motus qui vel ab inſita naturali proprietate, vel à cauſa impellente proficiſcitur, actio dici non poteſt, ſed mera paſſio eſt, idque nullam aliam ob cauſam, quam quia id quod movetur, non libere, ſed neceſſario, & ab alia cauſa coactum movetur. Quapropter in tali motu nulla deliberatio locum habere poteſt.

Qui igitur ſtatuit eandem in actionibus humanis neceſſitatem locum habere, quæ eſt in motu orbium cæleſtium, Lunæ, Planetarum cæterorum, maris, fluviorum &c: id non tantum abſque ratione, ſed plane contra rationem ſtatuit. Præſertim cum videamus homines ante actiones ſuas plerumque deliberare, vel ſaltem ſemper deliberare poſſe, utrum ea ad effectum perducere velint nec ne. Quæ deliberandi facultas (poſita omnium actionum fatali neceſſitate) omnium quæ homini inſunt facultatum nobiliſſima, fruſtra homini eſſet innata, ſi nulla in actionibus eſſet libertas. Ipſa iſta deliberatio neceſſario fieret, & ſic nemo unquam laude vel reprehenſione dignus eſſet.

Hoc vero unum omnibus conſiderandum exhibeo. Si omnes humanæ actiones neceſſariæ eſſent, tum ad eas maxime proni & proclives eſſent homines, nec ullo modo impediri poſſent ne eas efficerent: naturali enim proclivitate ad eas inclinarent. Quod aliter in rebus ad quas quis naturali neceſſitate determinatus eſt habere ſe non poteſt. Jam vero videmus homines ſæpiſſime vi cogi, vel admodum invitos, urgentibus quibuſdam rationibus, ſine quibus aliter agerent, ad hoc vel illud agendum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

impelli, vel ab eo quod agere omni conamine tentabant, avelli. Quod ſane non eſſet poſſibile, ſi aliter quam agunt agere non poſſent, & fatali adigente neceſſitate omnia agerent. Hæc ratio tanti mihi momenti eſſe videtur, ut cum eo qui non videt fatalem in hominum actionibus neceſſitatem merum eſſe commentum, fruſtra diſputari credam.

Præterquam quod ſic nullæ actiones in tota Natura vel Univerſo ederentur, & omnia nihil aliud quam moverentur, neceſſario & inevitabili coacti fato. Et ſic actiones hominum nihil à motu maris, globi terreſtris (qui illi tribuitur) planetarum, cometarum, lapidum &c, differrent: omnes enim ab eadem fatali neceſſitate, & iiſdem Naturæ legibus, ſive cauſarum naturalium concatenatione procederent. Sed de his cap. ſeq. nec non lib. 2. cap. 6. pluribus acturi ſumus.

Finem propter quem homo vivit deſcripturus, inquit ibid. pag. 32: *Omnia quæ honeſte cupimus, ad hæc tria potiſſimum referuntur, nempe res per primas ſuas cauſas intelligere. Paſſiones domare, ſive virtutis habitum acquirere. Et denique ſecure & ſano corpore vivere.* Miſeros & fatuos qui nihil præter iſta cupiunt! Ergo ex mortuis reſuſcitari, & æternum in cælis beate vivere, *honeſte cupere non poſſumus*, quę enim impoſſibilia ſunt, non honeſte cupimus. Iſtud vero Adverſarius, prout capite ſexto apparebit, impoſſibile eſſe exiſtimat. Negamus autem hæc tria honeſte ab omnibus hominibus, & quidem ſola expeti. Quando enim tota noſtra beatitudo, ex Adverſarii ſententia hac vita terminatur, nemo beatus eſſe poteſt, niſi ea poſſideat ex quorum fruitione delectationem percipiat: Si quis ergo *cognitione rerum per ſuas cauſas* non oblectatur, nihil ipſi proderit, atque adeo eam non honeſte cupit. Pręterea cognitio iſta non niſi magno labore & tædio acquiri poteſt Eccleſ. 1. 18. Cur igitur quis ad iſtam cognitionem adſpiret, qui ea non delectatur? Si quem iſtiuſmodi cognitio, ſive vera, ſive imaginaria (in paucis enim res per cauſas vere cognoſci poſſunt) voluptate afficit, is tantum honeſte eam cupit. Si quis à vino abhorret, non honeſte cupit vinum, non enim ipſi utile eſt, quamvis ſua natura homines delectet & magnam utilitatem adferat. Si ergo poſt hanc vitam nihil expectamus, nemo magis eſt beatus vel ſapiens, quam is qui illis rebus fruitur quæ ipſum gaudio afficiunt, quamvis vilia, ſtulta & ridicula eſſent. *Paſſiones domare*, non honeſte cupimus, niſi tales intelligas paſſiones quæ nobis moleſtæ ſunt, & triſtitia vel tædio nos afficiunt. Et quamvis aliquo modo ſint moleſtæ, non tamen erunt domandæ, ſi moleſtia quam domatio iſta nobis creat, major ſit illa quam ex paſſionibus percipimus. Tertium quod ſtatuit Adverſarius, id demum honeſte cupimus, quia nullam voluptatem fere percipere poſſumus, niſi *ſecure ſano corpore* (addo etiam, ſana mente, quam Adverſarius omnino addere debuit, ut quæ omnis felicitatis ſit unicum in homine fundamentum) præditi, vivamus: qui enim ſana mente eſt deſtitutus, parum refert an ſecure & ſano corpore vivat nec ne. Quandoquidem vero iſtius felicitatis cura nos parum tangit, de mediis quibus ea acquiri & conſervari poſſit, non ſumus ſolliciti. Relinquemus iſta Adverſario cum ſuis, nos ſpem ad altiora erigimus, Deo noſtro curam corporalium & naturalium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

lium committentes, conſcii quam parum ſæpe vires & prudentia humana in iſtis valeat. Judæis terrena commoda, ſi Deo obtemperarent, erant promiſſa, & ſic, ſi vellent, certi erant de rebus proſperis, quod de aliis nationibus probari nequit. Talibus promiſſis Athei carent, ſimiliter & Chriſtiani, quibus poſterioribus nihil in hac vita, præter neceſſaria ad vitam ſuſtentandam, ſed poſt hanc vitam multo excellentiora bona ſunt promiſſa, quæ ſub promiſſis Veteris Fœderis, inſciis tamen Judæis, erant adumbrata.

Cum vero Adverſarius, ex eo ſolo quod præſupponat (nec ullum verbum ad id probandum profert) nullum eſſe totius mundi creatorem vel gubernatorem, & omnia ex prædeterminato & naturaliter inſito Naturæ ordine agere, moveri & exiſtere, deducat Hebræos nihil potuiſſe habere, quod ex ipſa Natura non neceſſario flueret, qua in re omnibus aliis populis entibuſque penitus non ſint ſimiles, non eſt quod ad iſtas nugas quidquam reponamus. Concedimus enim omnia optime procedere, modo præſuppoſitus Atheiſmus certa ſit opinio. Quam cum non tentaverit quidem demonſtrare, non eſt quod ipſius conſequentias curemus.

Ad ea quæ pag. 36 & ſeqq. de dono Prophetico diſputat, breviter reſpondeo, Noachum, Enochum, Abimelechum, Jobum, Melchiſedechum, & tandem Bileamum (quem verum fuiſſe Prophetam negare nolim) omnes ante erectam Hebręorum Rempublicam, atque adeo electionem executioni mandatam extitiſſe, & propterea iſta exempla minime oſtendere, donum Propheticum Hebræis peculiare non fuiſſe. Præterquam quod omnes fere Judæorum fuerint progenitores. Multo minus id ex eo evincitur, quod Hebræorum Prophetæ, aliis nationibus etiam Prophetaverint. Hoc enim tanto magis confirmat, donum iſtud ipſis peculiare fuiſſe.

Quæ pag. 40 adfert ex Epiſtola ad Romanos, ut oſtendat Judæos & Gentes plane fuiſſe ęquales, reſpectu Divinę vocationis & electionis, ad rem non faciunt: tunc enim privilegium iſtud, Judęis ad id uſque tempus conceſſum, à Deo jam antiquatum erat.

Hebræos præ aliis omnibus terræ nationibus à Deo fuiſſe in ſuum populum peculiariter electos, ex Sacra Scriptura apertiſſime conſtat. Reliquas nationes eo modo à Deo electos fuiſſe, nullibi dicitur. Qui id aſſerere audet, id aliunde probare debet. Quod Adverſarius pag. 32 de *Dei auxilio externo*, id eſt de *cauſis extra humanam naturam*, & *de Dei auxilio interno*, id eſt de *eo quod natura humana, ex ſola ſua potentia præſtare poteſt* garrit, nihil moramur: nam primo ſat certo novit hæc in Sacra Scriptura non ita explicari. Et nullum aliud eſſe Dei auxilium, nec etiam alium Deum quam ipſe vult, argumentis oſtendere debuit: quod quoniam non facit, eodem jure hæc rejiciuntur à nobis, quo ab illo affirmantur. Ut ergo ad propoſitum revertamur, fatetur Adverſarius pag. 34, *ſibi non ſatis conſtare, an Deus aliis nationibus leges peculiares præſcripſerit, & earum legiſlatoribus ſeſe Prophetice revelaverit &c.* In eo ergo ab aliis nationibus Judæos fuiſſe diſtinctos tantiſper credendum eſt, donec illi ea de re melius conſtet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Sed addit pag. 34, *hoc ſaltem ex ipſa Scriptura patet, alias etiam nationes, ex Dei directione externa* (per quam nihil niſi omnia quæ Natura hominibus extra proprias eorum vires concedit, intelligit) *imperium legeſque ſingulares habuiſſe.* Iſtud vero ex Scriptura probare non fuit opus, cum nemo id negaturus ſit. Sed probandum erat, alias nationes poſtquam Judæi terram Chananæorum occupaſſent, eodem modo quo Scriptura id de Hebræis narrat, *imperium legeſque ſingulares habuiſſe.* Quocirca Melchizedeci & Jobi hiſtoria ad quæſtionem nihil pertinet, illi enim ante iſtud tempus vixerunt. Locus Malach. 1. 10, 11 non probat id totum quod in quæſtione erat, nimirum *alias nationes, per Dei directionem externam, N. B. imperium legeſque ſingulares habuiſſe*, ibi enim non de *imperio*, quod erat præcipuum, ſed de *legibus* tantum agitur. Satis perſpexit Adverſarius (cum ipſi modus loquendi, Hebręis familiariſſimus, quo pręſens pro futuro tempore frequentiſſime ponunt, non ſit incognitus) nos excepturos, illa de futuro tempore eſſe intelligenda, propterea temeraria affirmatione, abſque ulla probatione, more ipſi admodum familiari, iſti exceptioni obviam ibit p. 35 dicens, *quandoquidem* [verba illa] *nullum aliud tempus quam præſens pati poſſunt, niſi iis vim inferre velimus.* Nos vero negamus ea nullum aliud quam pręſens tempus pati poſſe, niſi *Malachiæ menti vim inferre velimus*, qui adeo impudens mendacium ſuę nationi in os objicere auſus fuiſſet, affirmans ea quæ omnes falſa eſſe ſcirent, adeo ut plane inſanum fuiſſe Malachiam, vel quemcumque hujus libri authorem, ſtatuendum ſit, cum id nunquam ex ejus mente locum habuerit, *ut ab ortu ſolis uſque in ejus occaſum nomen Dei magnum fuerit inter Gentes, & ubique ſuffitus ipſi allatus fuerit, & munus purum.* Cum igitur res ipſa doceat Malachiam, pro more omnibus Hebręis, & ipſi etiam Malachiæ admodum familiari, præſens tempus pro futuro poſuiſſe, nihil ex iſtis oſtendere poteſt Adverſarius pro ſua aſſertione adſtruenda. Ipſe enim non credit hæc unquam locum habuiſſe, eo ſenſu quo à Propheta hæc prolata fuerunt. Potuit tamen etiam ſenſum aliquem, ut eſt in talibus peritus artifex, hic affingere, per *oblationes & munus purum* paſſionum domitionem, vel ſimile quid intelligens, quemadmodum terram, ligna, lapides & omnia naturalia ſimul conjuncta *Deum* appellat.

Reliqua in hoc capite miſſa facio, nullius enim ſunt momenti, nec ad ſcopum inſtitutę diſputationis collimant. Tranſeo igitur ad

---

CAPUT IV.

De Lege Divina.

Contenta.

ADverſarius hoc capite, ſub titulo Legis Divinæ *explicationis, lectoribus ſuam de omnium entium, per naturalium cauſarum æternam & immutabilem concatenationem opinionem inſuſurrat, non quidem eam ulla demonſtratione fulciendo (quod toto iſto tractatu in illis quæ*

audacter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

dacter aſſeverat factitat) ſed tantum per ambages & amphibolias eam ita explicando, ut quamvis nihil minus faciat, eam probare videri velit. Ubi pag. 44 miris modis ſe torquet, ad explicandum quomodo humanæ leges, quas homines ex fatali Naturæ neceſſitate ferre ſtatuit, ab hominum tamen placito pendere dici poſſint. Quod æque facile aſſequitur, quam ſi quis aſſereret, ignem ex placito ſuo urere vel calefacere. Cumque Naturam pro Deo habeat, vel potius nihil præter eam agnoſcat, docet hominis ſummum bonum in cognitione & amore rerum Naturalium conſiſtere, quod & præcedenti cap. 3. pag. 32, 33 fecerat. Idque ex ipſa Scriptura ſe oſtendere ſimulat. Quibus omnibus noſtram refutationem oppoſuimus.

L*Egis nomen, abſolute ſumtum, ſignificat id* (ait Adverſarius p. 43) *ſecundum quod unumquodque individuum, vel omnia, vel aliquot ejuſdem ſpeciei, unâ eademque certa ac determinata ratione agunt.* Adverſarius pro ſuo more, quaſi dictator aliquis, abſque probatione præſcribit definitionem *Legis*; nos vero definitionem iſtam minime admittimus, eamque legitimam eſſe negamus, adeoque ipſi incumbit onus, ut oſtendat ſe recte *nomen legis, abſolute ſumtum* deſcripſiſſe. Præſupponit autem iſta definitio id quod præcipuum quęſtionis eſt caput, omnia videlicet Naturalia neceſſario agere, & ſic petitionum principii manifeſto committit: deinde non deſcribit id quod neceſſitatem iſtam efficit vel imponit. Si enim clare & diſtincte mentem ſuam exprimeret, dicere debuit, legis nomen abſolute ſumtum, ipſi ſignificare legem quam nemo unquam tranſgredi poſſit, id eſt fatalem omnium entium in agendo & exiſtendo neceſſitatem. Iſtud vero nomen legis abſolute ſumtum inter Philoſophos ſignificare falſum eſt. Ubi quæſo, apud quos populos, apud cujus ſcientiæ profeſſores iſta vocis legis abſolute ſumtæ, ſignificatio obtinet? Nonne Philoſopho dignum eſt, tam bellas definitiones, in re quæ ſummum bonum concernit, abſque ulla probatione, contra manifeſtam veritatem, & Adverſariorum ſuorum opinionem tradere, eiſque totam ſuam argumentationem ſuperſtruere? hic enim non ludit, ut in cęteris, ſed ſerio ſententiam ſuam profert. Quandoquidem vero Adverſarius nihil profert, ad hominum in agendo determinatam neceſſitatem adſtruendam (præter ea quæ cap. præced, ad ipſius aſſertionis falſitatem detegendam, in medium adduximus) argumentum quo alii idem probare conantur, hic excutiemus. Iſtud vero eſt, quod homo, quia determinatam habet eſſentiam, & determinatas facultates, non niſi ſecundum Naturæ ſuæ determinationem agere poſſit, ac proinde non libere, ſed neceſſario.

Quæ quidem argumentatio optime procederet, niſi fallacia hic in voce determinationis ſubeſſet: ea enim vel ſignificare poteſt humanas facultates certos habere limites, quos tranſgredi nequeant, vel etiam limitationem abſolutam, adeo ut non modo intra facultatum iſtarum fines ſubſiſtere in agendo cogantur; ſed etiam nunquam aliter quam agunt agere poſſe. Atque iſto ſenſu poſteriori negamus humanas facultates determinatas eſſe, & ſic argumentum iſtud nihil efficit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Prærerquam, quod ſi determinatæ hominum facultates & eſſentia, neceſſitat n in eorum actionibus evincunt, profecto Dei indeterminatæ facultates & eſſentia, in agendo libertatem omnino oſtendent.

Cumque voluntas & actiones humanæ res ſint Naturales, quarum affectiones lumine Naturali indagari aliqua ex parte queant, ulterius procedere lubet, & diligentius inquirere, num principium aliquod expiſcari valeamus, ex quo vel libertas, vel neceſſitas earum clarius adhuc innoteſcat. Scriptionis qua nunc manus mea eſt occupata, ſive ſcribendi actionis (ut cęterarum omnium, ſive animi, ſive corporis) cauſa impellens, voluntas eſt. Ea vero ſi libere jubeat manum ſcribere, actio iſta libera dici debet; ſin ipſa determinetur ab alia cauſa, ut hoc momento non poſſit non injungere manibus ut ſcribant, tum actio iſta minime erit libera.

Videamus igitur in quam partem judicium noſtrum inclinare debeat. De experientia, qua quiſque videt ſe libere hoc vel illud eligere, aut ego ipſe nunc plane certus ſum, me ſtatim aliud poſſe velle & agere, ſuperiori capite egimus. Sacram Scripturam aperte hominibus libertatem in agendo tribuere, nunc non urgebimus. Iſtud modo diſquiramus, utrum aliquid in rerum natura detur, quod ipſam voluntatis electionem in certam aliquam partem ſemper determinet, adeo ut nihil aliter quam facit eligere poſſit. Si quid autem iſtiuſmodi in rerum natura exiſteret, id vel in ipſo homine, vel extra ipſius eſſentiam deliteſcere deberet. In ipſo homine ſi reſideret, vel ita ibidem exiſtere deberet, ut homo ipſe ſentiret tale quid in ſua natura reperiri, vel adeo occulte ibidem deliteſceret, ut nullo modo animadvertere poſſit iſtiuſmodi cauſam, voluntatis ſuæ determinatricem, naturæ ſuæ ineſſe.

Si regeras, cauſarum Naturalium concatenationem determinationis iſtius cauſam exiſtere, jam ipſa in principii petitione refugium quæris. Præterquam quod iſta cauſarum concatenatio in homine ipſa non reſideat.

Videamus igitur an extra hominis eſſentiam, prę ter imaginariam iſtam cauſarum concatenationem, cauſa voluntatem abſolute determinans inveſtigari poſſit. Iſta vero nihil eſſe poterit præter objecta, quorum qualitas voluntatem determinare queat. Cum vero omnes experiamur, objecta voluntatem noſtram non cogere, qua ratione quis iſtam determinationem demonſtrare valeat, nulla ratione perſpicere poſſum.

Regeres fortaſſe, nos non magis demonſtrare poſſe voluntatem abſque ulla cauſæ incognitę determinatione agere.

Ad quod reſpondeo, me ſuperius & poſtea cap. 7. lib. 2, non contemnendas demonſtrationes, niſi fallor, pro libertate voluntatis protuliſſe. Cum igitur omnes experiamur, nos non tantum aliud quam nunc volumus, circa idem objectum & eandem actionem, velle & eligere poſſe, non tantum quando aliud objectum voluntatem ad aliud flectit; ſed etiam abſque ullo objecto, & nullum alium in finem, niſi ut oſtendamus nos libere eligere, idque ſemper, quandocunque voluerimus: iſtud ſane pro certiſſima demonſtratione haberi debet. Niſi enim tum libere ageremus, protinus quan-

do

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

do libertatis experimentum exhibendi animum ſubit cogitatio, cauſarum æterna concatenatio parata eſſe debet, quæ nos ad experimenti exhibitionem, vi irreſiſtibili, idque nobis non animadvertentibus, cogat: quieſcat autem iſta concatenatio, quando experimentum capere nolo. Cum igitur pecco, & impoſſibilitatem objicio à peccato abſtinendi, alter neceſſitatem puniendi vel reprehenſionis oggannìet. Et ſic tota noſtra vita & omnes humanæ actiones, quantumvis ſeriæ & maximi momenti, nil niſi ludus & ſcuriiis ſcena, atque mera cachinni exercitatio, rem penitius inſpicientibus erit. Atque iſtud eſt ad quod deſcendere cogimur, quando Numinis, hujus Univerſi conditoris, agnitionem deſerimus, ſcilicet ad ſummum ſapientiæ faſtigium, ab hominum deliriis & commentis elevati. Quando quæſtionem aliquam expendo, de opinionis alicujus veritate vel falſitate diſquiro, ad quod nullam mihi naturalem inclinationem adeſſe ſentio, ab aliis ut id faciam rogatus; dum pergo, deſino, experior an non quando volo deſinere, quando lubet pergere poſſim; dum aliis noceo, dum juvo aliquem; dum mentior, dum furor, dum de aliquo interimendo delibero; dum me homicidam alius ulciſcitur: dum quis adulteria, inceſtus, rapinas, direptiones, regionum & populorum interneciones exercet, & quidquid ad humani generis perniciem excogitari poteſt; nemo unquam reprehenſione erit dignus vel pœna. Pœna tamen & reprehenſio ſi qua obtingit, non minus quam ipſa flagitia neceſſario exercentur. Virtus, quam omni molimine, contra innatas animi & corporis inclinationes quis exercet, æquè neceſſario exercetur, quam vitium, in quod naturalis inclinatio, & maxima voluptas, quam ex ejus exercitio percipimus, nos deturbat. Valeant ſane, qui hæc veriora eſſe credunt, quam ea quæ libris Novi Fœderis traduntur.

Inſtabis, intellectuum rem nunquam aliter concipere poſſe, quam ea intellectui per verba, imagines vel cogitationes repræſentatur. Adeo ut id quod tanquam verum vel bonum ei repræſentatur, nunquam ut malum vel falſum percipere poſſit, & vice verſa. Cum ergo nihil unquam agamus, niſi ob certas rationes, quia id quod agimus, ab intellectu vel ut utile, vel ut jucundum percipitur, intellectus autem in iſta perceptione, prout nunc oſtenſum eſt, nullam habeat libertatem, judicium vero practicum (ut in ſcolis loquentur) ab intellectu determinetur, ſequitur nullam actionibus noſtris ineſſe libertatem.

Hæc quamvis ſubtiliter diſputata, ſi animum in noſtram naturam, & actionum noſtrarum qualitatem firmiter deflectamus, & oculis mentis expendamus, utrum in actionibus ullam neceſſitatem experiri valeamus, nihil nos movebunt, nec aſſenſum extorquere poterunt: quamvis nihil ad ea reſpondere poſſes. Non magis quam ſi quis ſubtiliſſimis cavillationibus alicui perſuadere conatur, cum legit, ambulat, aut aliud agit, eum dubitare debere, vel non certum eſſe quod iſta agat, quia ſomnians ſibi aliquando firmiſſine perſuaſerit ſe ſimilia agere. Adeo ut merito me pronunciare credam, quamvis argumentum iſtud diſtincte enodare non poſſem, me ex ipſa experientia, de qua paulo ante egimus, ſatis de actionum noſtrarum libertate eſſe certum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

At præter hæc ſpero me ſolidam iſtius argutationis refutationem daturum. Dico igitur me voluptatem vel utilitatem, quam ex actione me percepturum ſpero, inter rationes quę me ad agendum movent, admiſſurum. Concedo præterea intellectum in perceptione non eſſe liberum eatenus, ut rem aliter quam ſibi reprę ſentatur, non percipere poſſit, non magis quam oculus imagines objectorum aliter menti exhibere poteſt, quam eas accipit. Nego tamen inde neceſſitatem actionum elici poſſe (quod enim de determinatione intellectus, per judicium practicum adjicitur, à me minime admittitur). Actiones enim vel mentis ſunt, qualis eſt conſideratio, vel corporis, puta ambulatio. Perceptionem nunquam inter actiones admitto, quia nihil aliud eſt quam imaginum receptio, quemadmodum in ſpeculo fit, in qua nulla libertas locum habet, quando intellectum aperio, vel ſpeculum non obvelo. Conſiderationem vero, quæ deumm eſt actio, ex perceptione neceſſario fluere, planiſſime nego, non modo ante, ſed etiam poſt perceptionem. Exemplo rem illuſtrabo. Eſt qui de libero arbitrio me alloquitur: aures ſonum diſtinctum percipiunt, cujus imaginem menti exhibent (quid enim *liberum*, quid *arbitrum* ſit, jam ex vulgari vocum ſignificatione mihi innotuit) nihil ad huc de libero arbitrio prędicavit, ſed ſe de eo diſſerere velle. Sentio me poſſe detrectare, quidquam cum eo agere, vel ulterius ea de re meditari. Certum quidem eſt me ob aliquam cauſam iſtud renuere, quæ me moveat quo minus de quęſtione iſta meditari volo. Sed in eo cardo rei verſatur, an iſta cauſa me cogat. Quod tantum abeſt ut demonſtrari poſſit, ut certo certius experiamur, nos ab iſta cauſa minime cogi; ſed vel contrarium, vel diverſum, quotiescunque voluerimus, eligere poſſe. Quà in re cujuſque conſcientiam appello. Adeo ut nulla ratiocinatio contrarium mihi perſuadere poſſit. Non magis quam quis mihi perſuadere potis eſt, quod ſomnio, quando vigilo, vel quod non edo, quando edo &c. His adde quæ libro ſecundo cap. 7 de hac materia diſſeruimus.

Cum vero Adverſarius legem in eam quæ *à neceſſitate Naturæ, & quæ ab hominum placito dependeat* diſpeſcit, aperte fatetur ſe nullam legem agnoſcere quam Deus hominibus ferat, alias enim debuiſſet addidiſſe etiam legem quę à Dei placito dependeat. Atque adeo palam eſt ipſum nullum Deum pręter Naturam agnoſcere. Quod verba ejus p. 44 clariſſime confirmant, ait enim: *Et quamvis abſolute concedam omnia ex legibus univerſalibus* N.B. *Naturæ determinari* N.B. *ad exiſtendum & operandum, certa ac determinata ratione.* Ergo nullus aliud Deus eſt pręter Naturam. At non erat tempus ut abſolute iſtud concederes, ſed ſolide probares: iſtud enim baſis totius Atheiſmi eſt. Fatetur poſtmodum ipſe Adverſarius, *nomen legis per tranſlationem ad res Naturales applicatum videri*, eamque poſtea deſcribit *nihil aliud eſſe quam rationem vivendi, quam* N.B. *homines ob aliquem finem, ſibi vel aliis præſcribunt*, innuens interim ſe nullum Deum qui leges ferat vel ferre poſſit agnoſcere.

Poſtquam aſſeruit, homines neceſſario quæcumque faciunt agere, duabus rationibus pag. 44 vult oſtendere, leges quibus homines ſibi vel aliis modum vivendi præſcribunt, *ab hominum placito pendere*, quod perinde eſt ac ſi diceret ignem, qui neceſſario

neceſſario urit; nihilo minus ex ſuo placito urere. Quod ex humano placito pendet, id plane in hominum arbitrio eſt conſtitutum, adeo ut id facere vel non facere poſſint, prout vox *placiti* ſua natura neceſſario indicat. Videamus autem Adverſarii rationes. Prima eſt pag. 44, quod, quamvis neceſſario agat homo, tamen ſine legibus ex placito ipſius dependentibus concipi poſſit. Merum hoc eſt ſophiſma, quamvis enim abſque iſtiuſmodi legibus homo concipi poſſit, inde tamen nullo modo ſequitur leges iſtas arbitrarias, ſive ex hominum placito dependentes poſſe appellari, quia ab ipſius placito non pendet leges iſtas ferre vel non ferre; ſed fati neceſſitate (ex Adverſarii hypotheſi) eas ferre cogitur. Quod autem ab alicujus placito dependet, id plane in ipſius eſt poteſtate facere vel non facere. Haud ſecus quam lapidis motus naturalis ad inferiora, non poteſt dici à placito lapidis pendere, quia lapis abſque tali motu poteſt concipi. Adde quod lapis ita conceptus, quemadmodum & homo abſque iſtiuſmodi legibus naturalibus, ex Adverſarii ſententia, aliter concipitur quam qualis revera eſt vel unquam eſſe poteſt. Quod enim addit, *quatenus homo res ſub ratione veri & falſi percipit*, id nihil ad quæſtionem facit, quia perceptio iſta, reſpectu fati, rerumque concatenationis, non minus eſt neceſſaria, quam lapidis motus ad inferiora. Merito igitur negamus, leges iſtas, poſita fatali omnium humanarum actionum neceſſitate, ullo modo poſſe dici, nedum *optime*, ab hominum placito pendere.

Altera ratio p. 44 adhuc magis eſt ridicula, *quia res per proximas ſuas cauſas definire & explicare debemus*, proxima enim legem cauſa ſtatuitur hominum placitum, quod, conceſſo fato, nullum plane in rerum natura exiſtit. Atque adeo proxima legum cauſa ipſa fatalis neceſſitas eſſet. Quod addit pag. 44 de noſtra, *quomodo res revera ſint concatenatæ ignorantia*, ac propterea *melius ad uſum vitæ, imo neceſſe eſſe res ut poſſibiles conſiderare*, id plane abſurdum eſt: ſic enim conſiderabimus res aliter quam revera ſe habent, adeoque falſo. Quod quamvis ad uſum vitæ neceſſarium foret (quod minime concedo) non tamen evincet ea quæ omnino ſunt neceſſaria, libera, ſive *ex hominum placito dependentia* recte poſſe appellari. Adde, ſi neceſſe eſt res ut poſſibiles conſiderare, id nullam aliam ob cauſam neceſſe eſſe poſſe, quam quia revera tales ſunt (non enim neceſſe eſt ut mentiamur) vel quia id poſſumus facere quando volumus, alias ridiculus eſſet Adverſarius, qui nos ad id permovere ſtudet. Si crediidiſſet omnia neceſſario fieri, cur librum conſcripſit, quo hominibus Atheiſmum inſinuaret, niſi putaverit, id abſque iſto libro non fuiſſe futurum.

Pergit pag. 45: *Cum itaque lex nihil aliud ſit, quam ratio vivendi, quam homines ob aliquem finem, ſibi vel aliis præſcribunt, ideo lex diſtinguenda videtur in Divinam & humanam.* Si homines rationem vivendi præſcribunt, quomodo divina iſta lex appellari poteſt, niſi quia Naturam, cujus homo pars eſt (prout pag. 32 dicit) Deum appellando, per Deum homines ipſos, qui Naturæ pars ſunt, intelligat.

Ait porro ibid. quod per legem *divinam* eam intelligit, *quæ ſolum ſummum bonum, hoc eſt veram Dei cognitionem & amorem ſpectat.* Sed non exſpectamus explicationem tuæ ſententiæ, ſed demonſtrationem eam eſſe veram. Negamus itaque *legem quæ ſolum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ſummum bonum ſpectat, videlicet quod vere ſit ſummum bonum, quale eſt vita æterna, ab hominibus poſſe præſcribi. Negamus itidem ſummum bonum eſſe *veram Dei cognitionem & amorem*, quamvis per Deum Natura ſive tota hæc Univerſi machina intelligatur. Atque hoc Adverſarius clare & diſtincte explicare debuit, ſi candide agere voluiſſet, atque eo ſenſu oſtendere, ſummum bonum in iſtius Dei vera cognitione & amore conſiſtere, ſic futilitas probationum quas adfert, melius apparuiſſet. In eo enim tota quęſtionis cardo verſatur. Quamvis enim concederem, nullum præter Naturam eſſe Deum, nullo tamen modo aſſentirer ipſi, ſummum bonum in ejuſdem vera cognitione & amore; ſed in ſola ejuſdem delectabili fruitione conſiſtere; prout mox oſtendemus.

Oſtenſurus igitur Adverſarius ſe ſummum bonum recte deſcripſiſſe, ait: pag. 45. *Cum melior pars noſtri ſit intellectus, certum eſt, ſi noſtrum utile revera quærere velimus, nos ſupra omnia conari debere, ut eum quantum fieri poteſt, perficiamus, in ejus enim perfectione ſummum noſtrum bonum conſiſtere debet.* Quamvis melior noſtri pars eſſe intellectus, nullo tamen modo exinde conſequitur, in perfectione intellectus *ſummum noſtrum bonum conſiſtere debere*. Conſequentiæ iſtius rationem nullam adfert Adverſarius, ego vero eam nego. Præterea, ſi Natura Deus eſſe ſtatuatur, intellectus non poterit melior ſive optima noſtri pars haberi, niſi quatenus quis eum exolendo delectatur. Illi vero quos carnales voluptates magis oblectant, eæ facultates per quas voluptates percipiunt, melior pars ipſorum erit. Nihil cuiquam eſſe bonum, niſi quo delectatur, neminem negaturum confido: ea igitur res qua quis magis delectatur, majus erit ipſi bonum. Hinc ſequitur, rem qua omnes quammaxime delectantur eſſe ſummum bonum. Iſtiuſmodi vero nihil in toto mundo reperiri poteſt: quidquid enim in mundo eſt quo unus delectatur, id alterum minime oblectat, quin potius tædio afficit. Si ergo poſt hanc vitam non datur alia vita, in qua oblectationem ſperare poſſimus, quæ Adverſarii eſt ſententia, prout inferius clarius adhuc apparebit, ſequitur nihil eſſe quod omnibus ſummum bonnm ſit, ſed prout cujuſque fert inclinatio & genius, id cujuſque eſſe ſummum bonum, cujus fruitione maxime lætatur. Si quem igitur rerum naturalium cognitionis deſiderium maxime capit, ea ipſi ſummum erit bonum; ſi vero quis ex aliarum rerum poſſeſſione magis voluptate afficitur, illæ ipſius erunt ſummum bonum. Si quid vero exiſteret, vel aliquando inveniri poſſet, quo omnes æque delectarentur, & quidem quammaxime, id revera ſua natura pro ſummo bono reputari deberet. Tale autem eſt vita æterna, quam nos à Deo noſtro, omnium Rege, judice & gubernatore, exſpectamus. Quod an cum fundamento à nobis fiat, poſtea videbimus. Fruſtra igitur Adverſarius, in *intellectus perfectione*, id eſt *in rerum naturalium per cauſas cognitione*, ſummum bonum conſiſtere, abſque nulla probatione præſupponit.

Priori iſti aſſertioni, quam temere præſupponit eſſe veram, multas ſimiles adjungit, addit enim pag. 45: *Porro quia omnis noſtra cognitio & certitudo, quæ revera omne dubium tollit, à ſola Dei cognitione dependet.* Verum hoc fortaſſis certo reſpectu foret, ſi Na-

ſi Natura vel hoc Univerſum Deus eſſet: niſi enim talis eſſet Deus, ne cogitare quidem poſſemus, imo in rerum Natura non exiſteremus: Cum vero Deus ens independens, Mundi creator, exiſtere creditur, nullo modo admitti poteſt iſta Theſis. Sive enim Deum eo ſenſu recte ſive male cognoſcimus, nihilo minus certam rerum plurimarum cognitionem habere poſſumus. Imo quamvis Adverſarii de Deo opinio eſſet vera, minime tamen hęc theſis admitti poſſet: ipſe enim maximam hominum partem circa Dei cognitionem toto cælo errare credit, cum tamen negare non poſſit, eos multarum rerum certam habere cognitionem. Sciunt ſane omnes, nec id à Dei cognitione dependet, bis duo eſſe quatuor, ſe homines appellari, ſe ſui ipſius cauſam non eſſe, & infinita alia, quæ vera & certa ſunt, quamvis nullam Dei cognitionem homines haberent. Falſum igitur eſſe primum iſtud fundamentum recte concludimus.

Nec magis ad rem facit alterum quod ibid. pag. 45 ſubjicit, nimirum *tum quia ſine Deo nihil eſſe, neque concipi poteſt.* Si per Deum idem quod dixi intelligas, veriſſima eſt hęc theſis: niſi enim hæc cęli terræque moles exiſteret, neque homines eſſent, & conſequenter nihil ſine Deo, cujus homines reliquaque entia partes ſunt, concipi poteſt. Sed nos negamus hoc Univerſum eſſe Deum, vel potius non eſſe Deum, præter hoc Univerſum, quod Adverſarius probare debuit, non vero præſupponere. Tandem ſi per Deum tale ens, quale à nobis ſtatuitur, intelligatur, non minus falſa erit iſta theſis, eo quo accipi debet ſenſu intellecta, nimirum nihil poſſe eſſe vel exiſtere, quod ſit abſque Deo, ſive quod pars non ſit Dei. Si autem Adverſarius hoc ſibi velit, nos nihil poſſe concipere, ſi vera Dei cognitione deſtituimur, ne ſic quidem admittimus iſta, & plane cum prima theſi hæc coïncidit, & mera erit tautologia. Denique ſi hæc verba ita accipi velit, ut nihil à nobis poſſit concipi, neque permanere, niſi Deo permittente, totum concedimus, ſed tum extra oleas vagabitur, nullo modo enim ex tali præmiſſo, conſequentia Adverſarii extrudi poteſt.

Claudit pag. 45 Adverſarius his verbis. *Tum etiam, quia de omnibus dubitare poſſumus, quamdiu Dei nullam claram & diſtinctam habemus ideam.* Hoc, ipſo Carteſio urgente, plane falſum eſt, is enim unice urget, nihil prius nec certius eſſe in noſtro conceptu, quam cogito, ergo ſum, atque ex iſto ſuppoſito tandem ad Dei cognitionem adſcendit. Quidquid vero Carteſiani obſtrepant, nos negamus, quandiu nullam claram & diſtinctam Dei habemus ideam, nos de omnibus dubitare poſſe, merito videlicet, vel ſaltem ſerio. Poſſumus forte ex mera petulantia & contradicendi purigine, omnia in dubium vocare, non modo antequam, ſed etiam poſtquam claram & diſtinctam Dei ideam habemus (ſi modo eam vere habere poſſumus, quod nos planiſſime negamus) ſed quod ſerio quis de omnibus dubitare poſſit unquam, id neminem niſi præfracte aſſerere poſſe crediderim. Quis enim, quamvis ne mentionem quidem Dei unquam fando audiverit, vel numinis ullam ſupicionem unquam habuerit, ſerio dubitare poſſit an cibo & potu paſcatur, an vigilet cum vigilat, an ſcribat, ambulet, pecuniam manu teneat, emat, vendat &c, cum iſtorum aliquid agit. Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quis ſe ſerio in talibus dubitare affirmat, næ is ut fuſte dubitatio hæc ei eximatur dignus eſt, qui ſi tergum ipſius duriter peteret, credo ipſum dubitare non poſſe an dolorem perciperet. Sed apage iſtas verſutias.

Disjecto itaque tergemino iſto fundamento, id quod ei ſuperſtructum eſt conſiſtere nequit, videlicet quod pag. 46 Adverſarius infert: *hinc ſequitur ſummum noſtrum bonum & perfectionem, à ſola Dei cognitione pendere.* Primo enim concluſio hæc cum primo fundamento, quod ita ſonat: *Porro quoniam omnis noſtra cognitio & certitudo, quæ revera omne dubium tollit, à ſola Dei cognitione dependet*, mera eſt tautologia, idem per idem probans. Duo ſequentia fundamenta ſunt plane, prout jam oſtendimus, falſa.

Addit pag. 46: *Deinde cum nihil ſine Deo nec eſſe nec concipi poſſit.* (Iſtud vero prius erat probandum antequam bis præſupponi potuit) *certum eſt omnia, quæ in Natura ſunt, Dei conceptum pro ratione ſuæ eſſentiæ ſuæque perfectionis, involvere atque exprimere.* Nec hoc, etiam conceſſo fundamento cui innititur, certum eſt, niſi per Deum Naturam ipſam, ſive res naturales intelligas, quod abſque valida probatione, in tam ardua & ponderoſa quæſtione, minime fieri debuit. Quod ſi quis iſta admittere poſſit, non mirum eſt ipſum omnia Chriſtianæ fidei capita in dubium vocare, imo penitus reſpuere poſſe.

Pergit eadem pag. 46. *Ac proinde nos, quo magis res naturales cognoſcimus, eo majorem & perfectiorem Dei cognitionem acquirere.* De rebus ſupranaturalibus nihil, illas enim nullas agnoſcit Adverſarius. Poſſemus ad ſequentia omnia tacere, donec probaſſet Deum nihil eſſe præter Naturam ſive hoc Univerſum. Sed necubi cauſæ deëſſe videamur, ad omnia reſpondebimus. Si igitur Deus eſt iſta Natura, recte argumentatur, ſi autem rector pręter & ſupra Naturam, peſſime. Si hæc legitime & ſufficienter diſcuterentur, omnino debuit Adverſarius mentem ſuam clariſſime explicare, & argumenta quibus innixa eſt, proponere. Non conſiſtit ſummum noſtrum bonum in Dei veri cognitione, ſed in ejus fruitione. Si Deus mihi benefacere nolit vel nequeat, ipſum plane ignorare malo, quam ejus cognitione meipſum fatigare, quemadmodum certe nec poſſe, nec velle poteſt, ſi Univerſum iſtud Deus eſt.

Vel (quoniam cognitio effectus per cauſam nihil aliud eſt, quam cauſæ proprietatem aliquam cognoſcere) quo magis res naturales cognoſcimus, eo Dei eſſentiam (quæ omnium rerum cauſa eſt) perfectius cognoſcere. Mera eſt petitio principii, ignotum enim per æque ignotum, vel potius falſum, probat. Supponit enim Naturam ſive hoc Univerſum eſſe Dei eſſentiam, quod probandum erat.

Pag. 46. *Atque adeo tota noſtra cognitio, hoc eſt ſummum noſtrum bonum, non tantum à Dei cognitione dependet, ſed in eadem omnino conſiſtit.* Si clare & diſtincte argumentum proponatur, tale erit: Quandoquidem tota Natura, ſive omnes res naturales Dei eſſentiam conſtituunt, hinc ſequitur, rerum naturalium cognitionem ſummum noſtrum eſſe bonum. Atqui &c: Si pro cognitione fruitionem ſubſtituas, bene procedet conſequentię ratio; falſum vero eſt antecedens, atque adeo totam Adver-

ſarii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ſarii argumentationem meram principii petitionem eſſe, cunctis eſt manifeſtum.

Sed fortaſſis cognitionem poſuit pro fruitione, quia ex eo quod homines, ex ipſius ſententia non recte de Deo ſentiunt, ipſum Mundi factorem eſſe putantes, qui leges ſibi præſcripſerit; quibus ſi non paruerint, horrendi cruciatus ipſis ſint metuendi. Ex quo non modo inutilis & puerilis metus, ſed etiam à multis jucundiſſimis rebus abſtinentia conſequitur. A quibus omnibus, ſi ſcirent nullum iſtiuſmodi Deum exiſtere, penitus eſſent immunes. Contra, ſi aliter res ſe habeat, miſerrimi ſunt, qui verum Deum ignorantes, non tantum propter incredulitatem, ſed etiam propter plurima, quæ ex ea emanant peccata, ipſum non cognoſcunt. Iſto ſenſu concedo, ſummum bonum in Dei cognitione conſiſtere. Sed tum controverſia de Dei vera cognitione manet: nec eam in rerum Naturalium cognitione conſiſtere præſupponi poteſt.

Subjicit ibidem, *Quod etiam ex hoc ſequitur, quod homo, pro natura & perfectione rei, quam præ reliquis amat, eo etiam perfectior eſt, & contra: adeoque ille neceſſario perfectiſſimus eſt, & de ſumma beatitudine maxime participat, qui Dei, entis minirum perfectiſſimi, intellectualem cognitionem ſupra omnia amat, eademque maxime delectatur.* Bene eſt quod delectationem amori adjungat. Qui ergo Dei cognitione non delectatur, ſed alia re, quæ ipſum non minus delectat, quam alterum cognitio entis perfectiſſimi, nihilo minus erit beatus. Felicitas non in rei alicujus cognitione, ſed ejuſdem delectabili fruitione conſiſtit. Nihil enim beatum reddit præter delectationem, quacunque tandem re quis delectetur. Si ergo nullus præter iſta naturalia eſſet Deus, non rerum Naturalium cognitio, quantumvis certa & ſublimis, per ſe nos beatos redderet, niſi cognitio iſta nos oblectaret. Sed ſi quis magis aliarum rerum fruitione delectaretur, is perinde ac alter iſte beatus foret. Prius ergo probandum erat Naturam eſſe Deum. Si enim Chriſtiani & Judæi veram Dei cognitionem habent, ſummum bonum nequaquam in ſola Dei cognitione, ſed bonorum quæ ille poſſidet fruitione omninò conſiſtere debet. Malo ergo cum Sacra Scriptura inſanire, quam cum Adverſario ſtultè ſapere, de mediis ad ipſius ſummum bonum parum ſolicitus. Et parum curans ipſius legem divinam, quam violenta vocis *legis* ad ſua commenta applicatione ſibi ipſe finxit. Hoc ſaltem negari non poteſt, vitam nunquam finiendam, eamque in ſumma perfectione, quantum humana natura, ad ſummam perfectionem evecta, capere poteſt, & in ſummis gaudiis tranſigendam, majus eſſe bonum, quam id quod Adverſarius indicat. Hinc neceſſario ſequitur, eum ſummum bonum perperam deſcripſiſſe.

Pag. 46. *Cum itaque amor Dei ſumma ſit hominis felicitas.* Deus ipſi Natura ſive Mundus eſt. Amor mundi itaque, id eſt rerum mundanarum, ſumma hominis eſt felicitas, nihil enim poſt hanc vitam exſpectat. Si Deus eſt mundus, ſi poſt hanc vitam nullum pietatis exſpectamus præmium; *Edamus, bibamus, cras enim morimur* 1. Cor. 15. 32. Si vero per Deum eum quem nos explicavimus, intelligimus, negamus Adverſarii ſententiam eſſe veram. Amor enim, nihil aliud eſt quam deſiderium rei quam amamus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

potiundæ. Quocirca non Dei amor, ſed ejuſdem fruitio ultimus actionem noſtrarum ſcopus eſt. Amor abſque fruitione, non felices ſed miſeros reddit amantes, quod apud omnes in confeſſo eſt.

Pergit p. 4: *ſequitur eum tantum legem divinam ſequi, qui Deum amare curat.* Recte, modo veram Dei, ejuſque voluntatis cognitionem habeat. Atque adeo de eo non digladiandum eſt, quid Deus, quid lex divina, quid Prophetia, fucata verborum ſpecie, appellari poſſit. Sed de eo, quid vel quis Deus appellari debeat, & num mundus & quæ eo continentur, ab una aliqua cauſa prima intelligente ſit creatus, idque aperte, non præſupponendo talia dogmata, quæ ab aliis negari poſſunt, ſed ſolidis rationibus ea fulciendo.

Addit: *non ex timore ſupplicii.* Ne igitur ſupplicii metu Adverſarius ſententiam ſuam aperte exponere & defendere detrectet. Magiſtratus enim ipſius ſolus eſt Deus qui punire poteſt. Deum *ex ſolo timore ſupplicii amare*, plane eſt impoſſibile: quem tantum metuimus, odimus. Sed ſubjicit ibid.

Neque præ amore alterius rei, ut deliciarum, famæ &c. Cur non dixit, *neque ſpe præmii?* ita enim membra directe ſibi invicem reſponderent. Nemo poteſt amare, niſi id quod eum delectat. Non itaque rem propter ſe ipſam, ſed propter gaudium, quod ex rei amatæ fruitione ſperamus, amare poſſumus. Alias ſequeretur, nos ea debere amare quæ plurimi, vel prudentiores optima eſſe judicant, quamvis nobis ea minime placerent, ſed tædio afficerent. Exemplo rem illuſtrabo. Vinum ab omnibus fere laudatur & amatur, ego vero à vino abhorreo, & nec palato, nec ventriculo meo placet, quin potius moleſtum eſt: ego tamen vinum amare deberem, quia bonum eſt. Vinum autem Adverſario Dei pars eſt. Multa alia ſunt in hoc mundo, quibus plerique homines non delectantur modo, ſed quæ corporis ſanitatem confirmant, quæ tamen nonnulis nocent, alii ea faſtidiunt & averſantur. Quare falſum eſt quod Adverſarius aſſerit, Deum non debere amari præ amore alicujus rei delectabilis, quâ ab ipſo potiri ſperemus. Ingenue profiteor, me Deum nec cultu, nec obſequio proſequi deberi exiſtimare, niſi ab ipſo gaudia exſpectari poſſent. Quod Sacræ Literę prepetuo confirmant, nos ſpe vitæ æternæ & gaudiorum cæleſtium, ad ipſius amorem & obſequium ſtimulantes. Vide ſis 2 Cor. 7. 1. IV. 17, 18. Col. 3. 4, 5. Hebr. 12. 28, & infinitis pene locis.

Pag. 46. *Sed ex eo ſolo quod Deum novit, ſive quod novit Dei cognitionem & amorem ſummum eſſe bonum.* Sic plane errabit: nec etiam hoc à quoquam fieri poteſt, niſi qui voluptatibus mundanis delibutus, cognitione rerum naturalium maxime delectatur. Quæ ipſa delectatio, non ex iſta ſola cognitione naſcitur, ſed ex eo quod alii ipſum propter ingenii acumen & diligentiam amant, honorant, laudant & juvant. *Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter*, videlicet homo, vel Deus, qui te juvare velit & tibi benefacere.

Addit pag. 47. *Hoc enim idea Dei dictat, Dei cognitionem & amorem finem eſſe ultimum &c.* Sed amabo, nobis hoc oſtendas, nec dicas tantum: nunquam enim mihi ex Dei idea iſtud in mentem venit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Pergit pag. 47: *homo tamen carnalis hæc intelligere nequit.* Sint ergo carnales, qui carnis voluptates abnegant, & propter fidem quam ſunt amplexi, quævis atrocia ſuſtinere non detrectant, quo Dei experimentali cognitione & viſione poſt hanc vitam frui poſſint, ipſe vero cum ſuis, qui Mundum hunc pro Deo habent, eoque quantum ſanitas & tranquillitas corporis concedere poſſunt, frui conantur, ſpirituales. Attollat cachinum cum ſuis, non invidemus.

Pergit pag. 47. *Si jam ad naturam Legis Divinæ Naturalis, ut eam modo explicuimus attendamus, videbimus &c: eam non exigere fidem hiſtoriarum.* Lex iſta divina naturalis, nihil aliud eſt quam rerum naturalium fatalis concatenatio. Eam non exigere fidem hiſtoriarum, non negamus; ſed talem eſſe Legem Divinam, nec alium Deum quam Adverſarius ſtatuit, id prius probandum erat. Conceſſit paulo ſuperius hac eadem pag. 47, legem Moſis poſſe appellari divinam, quæ tamen nec univerſalis erat, nec hiſtoriarum fide carere poterat. Lex Chriſti univerſalis eſt, nec tamen ex humana natura deduci poteſt, & legum humanarum, quas Adverſarius deſcripſit, genio, quammaxime adverſatur. Leges humanæ commoda hujus vitæ ſola pro ſcopo habent, lex Chriſti nihil minus. Illæ carni grata jubent, hæc contraria: adeo ut nulla lex magis legi divinę quam Adverſarius fingit, pernicioſa ſit, quam lex Chriſti. Atque hæc cauſa eſt cur Adverſarius eam, fucata veritatis & pietatis ſpecie, penitus proſternere conetur.

Ex iis quæ diſſeruit quatuor elicit conſectaria p. 47, quorum primum eſt, *legem Divinam Naturalem eſſe univerſalem.* Nos vero nullam iſtiuſmodi legem Divinam Naturalem (per quam Adverſarius nihil præter fatum intelligit) agnoſcimus, multo minus talem, quæ ſit univerſalis. Nec ulli legi nos eſſe ſubjectos concedimus, niſi Chriſti quam homo libere, nulla fatali neceſſitate coactus, præſtare tenetur. Alterum conſectarium eſt, *eam non exigere fidem hiſtoriarum.* Quod facile de Adverſarii lege Naturali conceſſerim.

Tertium conſectarium, quod Adverſarius ex falſis ſuis hypoteſibus pag. 48 elicere conatur, eſt: *legem hanc divinam Naturalem non exigere ceremonias &c.* Quod itidem facile conceſſerim de eodem fato: ſed ſi Deus eſt Mundi creator, nil prohibet quominus is ceremonias, ad futura bona repreſentandum, homini præſcribere poſſit, nec ulla in eo abſurditas comparet.

Quartum conſectarium ibidem eſt, *legis divinæ præmium eſſe ipſam legem, nempe Deum cognoſcere &c:* Inſigne profecto præmium, & Herculeis laboribus ut quęratur dignum! Valeat cum ſuo præmio Adverſarius, quod nihil aliud eſt, niſi poſt indefeſſa ſtudia, rerum Naturalium cognitionem fruſtraneo conatu indagare. Contemnat præmium vitæ externæ, quod ſuo maximo malo facile reſpuere poteſt. Sed oſtendere debebat illud præmium aliquam abſurditatem, impoſſibilitatem, & falſitatem in ſe continere. De impoſſibilitate agit cap. 6, ubi ad illius objectiones nos pleniſſime reſponſuros confidimus.

Jam ad aliarum quatuor quæſtionum diſcuſſionem progreditur pag. 48: quarum prima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

prima eſt, *num lumine Naturali concipere poßimus Deum veluti legiſlatorem, aut principem, leges hominibus præſcribentem.* Adverſarius negativam tuetur, ſed ad ſententiæ ſuæ propugnationem, cum eam palam prodere non audeat, nil niſi meram ſpermologiam profert. Qui Mundum pro Deo habet, fateor Deum non poſſe ut legiſlatorem concipere. Itaque prius de Dei eſſentia diſceptandum, & adverſario probandum erat Naturam eſſe Deum, & rationes in contrarium ab aliis prolatas refutare debuit. Nunc lectoribus tantum fucum facit, & nihil probat. Deum non poſſe lumine Naturali concipi ut legiſlatorem concedo. Sed cum Adverſarius iſtud ex natura voluntatis divinæ deducere vult, quam nihil aliud quam Dei intellectum eſſe, abſque ulla probatione aſſerit, id æquali jure à nobis negatur. Divinam voluntatem, & ejuſdem intellectum in ſe reverſa unum & idem eſſe, nemo, niſi qui Naturam pro Deo habet, ſtatuere deberet: & hac de re libro 2 cap. 7 egimus. Si oſtendere poteſt nullum eſſe Univerſi creatorem & rectorem, res erit confecta. Si hoc demonſtrare nequit, non crediderim ipſum magis affirmaturum, Dei voluntatem & intellectum unum & idem eſſe, quam id de hominibus aſſerere, vel ſaltem demonſtrare poſſit. Si per voces voluntatis & intellectus idem quod nos intelligat, & Deo utramque ſerio & proprie loquendo attribuat (quod facere non poteſt, quia Univerſum Deum appellat, ex quo ejus creatorem excludit) nemo adeo inſanire poteſt, qui per Dei intellectum & voluntatem idem plane intelligere poſſit. Quocirca hęc, ut per jocum & ludibrium dicta, negligi debent. Nemo enim ſibi ipſi perſuadere poteſt, intellectum (quæ nihil aliud quam facultas intelligendi eſt) vel etiam actionem intelligendi, & voluntatis actum vel etiam facultatem volendi, plane unum & idem eſſe. Non magis quam loquelam & auditum, viſum & ambulandi facultatem plane eſſe unum & idem. Quandoquidem autem oſtendimus, voluntatem planiſſime eſſe liberam, adeo ut quidquid velit eligere poſſit, quod de intellectu dici nequit, tum nullo modo ſtatui poteſt, Dei intellectum idem cum ipſius voluntate eſſe. Sed de his cap. 6 fuſius acturi ſumus. Poſtea mentem ſuam, exemplo trianguli ita explicat, ut plane intelligi nolle videatur. Quæ dicit huc redeunt, quod videlicet natura trianguli, à neceſſitate divinæ naturæ, non ab ipſa trianguli eſſentia pendeat, ac propterea naturam trianguli ut æternam veritatem concipi, quia Deus ideam trianguli habet, ac ideo iſtum divinum intellectum, eſſe Dei decretum & voluntatem. Hoc ſolum eſt quod Adverſarius profert, ad probandum, divinam voluntatem nihil aliud quam ejus intellectum eſſe. Nos vero negamus naturam trianguli à neceſſitate divinæ naturæ pendere (quando videlicet per Deum non Naturam, ſed ejus creatorem intelligimus). Natura trianguli eſt eadem, ſive Deus ſit, ſive non, ſive quis eam intelligat, ſive nullus intelligat. Negamus etiam, nos propterea naturam trianguli recte dicere ex intellectu vel decreto Dei profluere, qui in Dei natura continetur &c: Quando Univerſum hoc Deus eſt, tum certum eſt naturam trianguli in Dei natura contineri, falſum autem, ſi Univerſum ab illo eſt creatum. Dei decreta, voluntas, attributa reliqua, nihil ſunt Adverſario præter fatalem neceſſitatem ex ipſa Natura,
nullo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

nullo decernente fluentem, quam ille præſupponit, nullibi probat, nos negamus.

Pergit pag. 49. *Si itaque Deus Adamo dixit, ſe nolle ut de arbore cognitionis boni & mali comederet, contradictionem implicaret Adamum de illa arbore poſſe comedere &c.* Ergo mendacium eſſe vult Moſis, vel Pentateuchii ſcriptoris, qui Deum Adamo id dixiſſe refert. Quod probandum ipſi fuit. Negamus enim id contradictionem implicare. Deum alicui loqui, Adverſario nihil aliud eſt, quam hominem rem aliquam fato determinatam percipere, prout ſub finem pag. 50 diſertis verbis explicat. Cum quis rem vere percipit, tum Deus de mente ad mentem alicui loquitur, cum falſo, tum Deus ſe hominum opinionibus accommodat: quæ omnia hoc ſolo fundamento nituntur, quod Natura, ſive Mundus ipſi Deus ſit. Ex quo facile perſpicitur, totum controverſię cardinem circa hoc caput verſari. Et quandiu ſuum Atheiſmum Adverſarius non demonſtravit, rationibus in contrarium productis refutando, nihil omnino effeciſſe eſt cenſendus. Et fruſtra Chriſtum & Paulum ſecum ſenſiſſe contendit, quod ipſe non credit. Quicquid igitur de æternis veritatibus garrit, nihil eſt, eas enim nos non admittimus eo ſenſu quo ille vult. Nec ſufficit ipſum dicere, ea quæ in Sacra Scriptura tanquam leges proponuntur, propter hominum pertinaciam tantum, non quia revera ſe ita habent, ita proponi: ſimiliter quæ de Deo pag. 50 aſſerit, eum *nec rectorem mundi, nec legiſlatorem, nec juſtum, nec miſericordem &c* eſſe. Nihil enim probat. Notandum autem hic eſt, quod Adverſarius pag. 50 & 51 de Chriſto aſſerit, ipſum *res revelatas vere & ex notionibus communibus, iiſque veris, vere & adæquate percepiſſe*; Chriſtum vero docuiſſe Deum eſſe legiſlatorem, Regem, miſericordem, juſtum, creatorem cæli & terræ, & cætera quæ Apoſtoli de Chriſto tradiderunt, Adverſarius non niſi impudenter & contra propriam conſcientiam negare poteſt. Cum igitur pag. 51 aſſerit Chriſtum, dum ęternas veritates tanquam leges præſcripſit, & iſtiuſmodi dogmata homines docuit, *ſeſe ingenio populi accommodaſſe*, Adverſarium aperte & impudenter mentiri ſtatuendum eſt. Nec etiam quidquam eorum quæ ibi dicit, ullo indicio oſtendit. Præſertim vero cum ex loco Math. 13. 10 &c. (ubi Chriſtus diſcipulis dicit, *ipſis datum eſſe myſteria regni cælorum noſſe*) oſtendere vult, Chriſtum cæteris per parabolas locutum fuiſſe, diſcipulis vero *res ut æternas veritates docuiſſe.* Ibi enim Chriſtus Parabolam de fertili & ſterili ſemine explicans, verſu 39 ſe per inimicum Diabolum intellexiſſe ait, & alia non pauca, quæ Adverſarius inter æternas veritates nullo modo numerari vult. In quem finem loca quædam Pauli, volens prudens in ſenſum à mente Pauli alieniſſimum malitioſe detorquet. Quod oſtendere ſupervacaneum foret, cum nemo iſtud ignorare poſſit, qui modo loca Rom. 3. 28. VII. 6. VIII. 9. IX, 18. 1Cor. 3. 1, 2, ab Adverſario citata inſpicere volet.

Videamus jam ſecundam quæſtionem, *quid* videlicet *Sacra Pagina de hoc lumine naturali, & hac lege Divina doceat* pag. 51 in fine. Ubi nihil aliud agit, quam ut verba quædam Salomonis & Pauli, in ſenſum plane ab Authorum ſcopo alienum detorqueat, quem ipſe ſatis novit eos minime intendiſſe. Et cum ſatis ſciat quam innumeris locis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

contrarium clare indicetur, nihil ad ea reſpondet. De Hiſtoria Adami, quam pro parabola ſeu fabula habet, nihil opus eſt dicere: cum ipſe fateatur, ſe non eſſe certum, an ipſius explicatio cum ſcriptoris mente conveniat. Nec de Salomone etiam opus eſt contendere; fateor enim ipſum nullam præter naturalium & politicarum, nec non medicinalium, id eſt rerum terrenarum ſcientiam habuiſſe, quamvis eam non ex ſolo ratiocinio, ſed ab ipſo Deo præcipue acceperit, prout expreſſe 1 Reg. 3. 12 indicatur. Judæis enim nulla præter ſecularia bona erant promiſſa. Paulus ad Rom. 1. 20 de lumine naturali agit, & indicat homines ejus ductu, (poſtquam Univerſum hoc à Deo creatum eſſe ex revelatione ſive traditione acceperunt, vide cap. 9 circa finem libri ſecundi) ex rebus creatis Dei æternam virtutem & divinitatem poſſe cognoſcere. (Quo ipſo ſeſe acutiſſime pungit, qui Deum nulla virtute vel potentia cum perfectiſſimo intellectu præditum impie contendit) non vero de Dei mandatis agit, quæ ille ex iſtis deduci poſſe aſſerit, nos vero negamus. Atque ita oſtendimus ipſum nihil plane probaſſe.

CAPUT V.

De ratione cur Cæremoniæ inſtitutæ fuerint, & de fide Hiſtoriarum, nempe qua ratione & quibus ea neceſſaria ſit.

Contenta.

QUintum caput de ceremoniis primum agit, deinde de fide hiſtoriarum. De prioribus (inter quas p. 62 orationes externas id eſt perces anumerat) oſtendere conatur, eas nec ad virtutem pertinere p. 55 l. 12, 13, & quod mirere, nec ad legem divinam: quod perinde eſt ac ſi diceret, eas non exerceri ex fatali omnium entium in agendo neceſſitate, quam tamen mordicus defendit, omnibus rebus ineſſe. Idque non ſecus ac præcedentia, ex ipſa Scriptura ſe demonſtraturum ſubdole prætendit; easque ad nihil aliud à Moſe vel Chriſto eſſe confictas, quam ut nugis iſtis hominum ſtupidiſſimorum animi ad ſervilem devotionem incitarentur. Deinde pag. 62 circa finem de Hiſtoriis Biblicis agere incipit, atque oſtendere, vel potius indicare, non opus eſſe ut quiſquam eas eſſe veras credat, præter eos quibus propter ingenii ſtupiditatem perſuaderi nequit, omnem religionem in gratiam eorum qui rempublicam regunt, eſſe confictam, ut ſubditos in officio continere poſſint pag. 64 & alibi. Quæ omnia à nobis falſa eſſe oſtenduntur.

PAg. 55 Adverſarius ſe oſtendiſſe dicit *ſuperiori capite, legem divinam, quæ homines vere beatos reddit, & veram vitam docet, omnibus eſſe Univerſalem &c:* Oſtendiſſe enim ſe credit homines neceſſario agere & exiſtere, una cum beſtiis & reliquis entibus, nec quidquam aliter agere poſſe quam agunt, idque naturali cauſarum concatenatione coacti. Hanc neceſſitatem legem divinam vocat

cat ad omnium Chriſtianorum ludibrium. Nos ad cuncta quæ ibi protulit reſpondimus, judicet lector de utriuſque noſtrum prolatis.

Ceremonias ad legem divinam non pertinere certum eſſe affirmat propterea, *quia maxima ex parte ab univerſa ſocietate ſimul* (*quod tamen omnino falſum eſt*) *non vero ab unoquoque* (ſeorſim debuit addere) *exerceri potuerunt.* Hęc quia per jocum ab ipſo dicuntur, refellere non eſt opus: nec quamvis ea ſerio proferret, ullo legitimę conſequentię nexu cohærent. Cum enim per legem Divinam nihil præter fatalem iſtam in exiſtendo & agendo neceſſitatem intelligat, nemo noſtrum adverſabitur, Cæremonias ad iſtam legem divinam non pertinere: quia omnes fatentur, eas ex libero Dei decreto eſſe inſtitutas. Adverſarius autem, cum omnia ex naturali neceſſitate ab hominibus fieri expreſſe urgeat, ac idcirco Ceremonias ex eadem neceſſitate, à Moſe inſtitutas, & à populo Judaico obſervatas eſſe credat, qua quęſo fronte eas ad legem Divinam pertinere, niſi contra propriam conſcientiam negare poteſt? Imo omnes, cujuſcunque tandem principis, legislatoris, Prophetę, quim & nebulonis, impoſtoris, fatui leges, & quidquid tandem in tota rerum univerſitate contingit, docetur, vel agitur, ad legem Divinam neceſſario pertinere, ſtatuere debet, & fateri cogitur, ſive ſint adulteria, latrocinia, rapinæ, bella &c: Omnia enim ex eadem Naturę, quæ ipſius Dei eſt, judice Adverſario) potentia, legibus, æterno & immutabili decreto, ſive naturali, neceſſaria & inevitabili cauſarum concatenatione profluunt. Cæremonias autem non pertinere ad legem quam Moſes tulit, iſtud Adverſarium ſerio velle, *credat hoc Judæus apella.* Quocirca nihil opus eſt ad ea quæ ex *Eſaia* & Pſalmis profert reſpondere. Ipſe enim optime novit, eos nihil minus indicare, quam id quod ipſe videri vult ex illis demonſtrare. Nam ſi Adverſarius crederet Scripturam docere, nullum præter hoc Univerſum eſſe Deum, & omnia fatali neceſſitate agere, pluris eam faceret quam nunc facit. Cum vero ſuperius ipſe expreſſis verbis dixerit, & hoc eodem capite pag. 63 dicat, *Scripturam docere, dari Deum ſive ens quod omnia* N.B. *fecit, & ſumma ſapientia dirigit & ſuſtentat, & quod hominum piorum ſummam curam habet, reliquos autem multis ſuppliciis punit* & multa ſimilia, apparet ipſum in re ſeria ludere & nugas agere.

Ut igitur omnia quæ hic de ceremoniis profert, quo imperitorum animos irretiat & confundat, contra id quod ipſemet verum eſſe credit, negligamus, ingenue confitemur eas, una cum hiſtoriis, de quibus pag. 65 diſſerit, ad legem divinam Adverſarii, fatalem videlicet omnium rerum in agendo & exiſtendo neceſſitatem, non pertinere, quamvis Adverſarius id nullo modo dicere poſſit. Nos vero, qui iſtam legem divinam minime agnoſcimus, & pro ſpinoſi cerebri figmento habemus, id concedere merito poſſumus. Alias nemo inficiari poteſt, eas ad cultum divinum, ex Dei mente inſtituendũ, omnino, requiri. Et negamus quemquam, noſtrum qui Novi Fœderis hiſtorias ignorat, ſalutares opiniones & veram vivendi rationem habere poſſe. Cum enim ceremoniæ à Moſe Dei nomine inſtitutæ ſint, eæque non minus quam cætera ipſius mandata, fidem in Deum pro fundamento habeant, quę ex hiſtoriis peti & confirmari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

debet: cum etiam ceremoniæ quas Chriſtus inſtituit, ſolam Dei voluntatem pro fundamento habeant, quemadmodum reliqua Novi Fœderis præcepta, (prout libro ſecundo Cap: 10 demonſtratum eſt) inter quæ fides in Jeſum Chriſtum, in cælum evectum, præcipuum & cæterorum eſt fundamentum; nemo ignorare poteſt, neminem abſque hiſtoriis, ſive relationibus de miraculis, in Chriſtum credere poſſe. Atque ita hiſtorias ad legem divinam quam nos pro ea habemus, maxime pertinere, per ſe patet, & ipſi Adverſario id ſatis conſtat. Fatemur tamen Deum à Judæis ceremonias ita non exigere, ut cum eas obſervarent, licitum ipſis fuerit cętera legis pręcepta negligere, aut ad eas, quando à patria extorres eſſent, obligatos fuiſſe. Deus enim maluit ut eas quam reliqua ipſius mandata non obſervarent: imo quando cætera mandata non obſervabant, ceremonias obſervari noluit.

Sed Adverſarius ex ipſa Scriptura (quando apud Theologos ratio, quantumvis ſolida, inquit, non multum valet) vult oſtendere, ceremonias, *ſi in Veteri Fœdere ad legem Dei referantur, id propterea tantum fuiſſe factum, quia ex revelatione, vel ex fundamentis revelatis inſtitutæ fuerunt.*

At id nemo negabit, nec oſtendere fuit opus. Quod etiam ſolam corporis temporariam felicitatem reſpexerint (quemadmodum cætera legis præcepta) non refragabor. Sed eas propterea nec ad legem Divinam (Moſaicam nimirum, non ab Adverſario confictam omnium rerum in agendo fatalem neceſſitatem) nec ad beatitudinem & virtutem pertinere, negamus. Nec Adverſarius quidquam iſtorum oſtendere conatur.

Ad legem Moſaicam non pertinere (quamvis ipſe contrarium credat eſſe verum) ex Veteri Fœdere probare ſcilicet annititur. Primum quod profert eſt locus Eſa. I. 10, quem affirmat *gentem ſuam vocare, ad legem divinam ex ſe audiendam: ex qua prius omnia genera ſacrificiorum* (inquit) *excludit, & omnia feſta*: & præterea docere *illam legem Univerſalem &c.*

De lege Univerſali nihil dicam, cum de ea ſuperius ſatis ſit actum. Sed nego quidquam eorum eſſe verum, quæ Adverſarius, abſque ulla probatione (ut ſolet) aſſerit. Quod quamvis hic ſufficere poſſet, malumus oſtendere Eſaiam nihil minus docere, quam id quod iſte clariſſime eum indicare dicit. Hæc igitur *Eſaiæ* ſunt verba verſu 10: *audite verbum Domini, Principes Sodomæ! auſcultate ad legem Dei, popule Gomorrhæ!* Ubi per *Verbum Domini* & *legem Dei* idem ſignificari manifeſtum eſt (quod & Adverſarius agnoſcere videtur) & nihil niſi lex Moſaica intelligitur, ad cujus obſervationem Principes & populum rebellem *Eſaias* hortatur, non vero ad aliam legem Dei: quia Prophetæ per *Legem Dei* nunquam aliam intelligunt, nec ipſe Eſaias vocem iſtam aliter unquam uſurpat. Vide Eſa. 5. 24. VIII. 16, 20. XXX. 9, XLII. 21, 24. Præterquam, quod hic ſufficit, verba hoc ſenſu accipi poſſint.

Sequentia, quibus Deus omnis generis ſacrificia & feſta repudiat, non opus eſt (quod hic ſatis eſt) nec poſſunt ita accipi, quod Deus iſta rejiciat, quatenus in Pentateucho injuncta ſunt, ſed tantum quatenus ab hominibus obſervarentur, qui Sodomitis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

mitis & Gomorrhæis impietate erant ſimiles, prout verſu 10 expreſſe indicatur. Quam ob cauſam perpetuo dicitur, Deum averſari (non ſimpliciter ſacrificia & dies feſtos, ſed) *illorum* victimas, holocauſta, ſuffitus &c. Indicans ſibi minime accepta eſſe talia, ab iis qui cætera mandata Legis non obſervant. Confer Prov. 15. 8. XXI. 27. Eſa. 66. 3, 4. Jer. 6. 19, 20. Amoſ. 5. 4, 5 & ſeqq. 21 & ſeqq.

Secundus locus ex Pſal. 40. 7, 9 deſumptus eſt, quæ verba ſic citat Adverſarius: *Sacrificium & munus non voluiſti, aures mihi perfodiſti* (in margine addit, *eſt Phraſis ad ſignificandum perceptionem*, ſed errat, phraſis ſignificat æternum ſervitium) *& peccati oblationem non petiiſti. Tuam voluntatem exequi, mi Deus! volui: nam lex tua eſt in viſceribus meis.* Spero lectores memores eſſe, hæc loca à me non adferri, ut aliquid probarem, ſed ab Adverſario, ac proinde ſatis eſſe, ſi oſtendero verba aliter poſſe explicari, quam Adverſarius vult. *Vocat igitur* (inquit) *illam tantum Legem Dei, quæ viſceribus vel menti inſcripta eſt, & ab ea ceremonias ſecludit.* Utrumque negamus, & Adverſarius nihil præterea addidit, quo ſua confirmet.

Animadvertendum igitur eſt (ut ex ſuperabundanti oſtendam, verba alium habere ſenſum) Pſalmum illum continere gratiarum actionem, pro inſigni quo ejus author à Deo affectus eſſet beneficio, quod ex verſu 2, 3, 4 apertiſſime liquet: *Diu*, inquit Pſaltes, *exſpectavi Jehovam, & ſe* [tandem] *ad me inclinavit, & clamorem meum exaudivit: ex lacu tumultuoſo, & luto cœnoſo me educens, ſtatuit ſuper petram pedes meos, firmavit greſſus meos. Denique indidit ori meo canticum novum, laudationem Deo noſtro &c.* Indubie ad Regiam Majeſtatem, Davidi poſt multas tribulationes conceſſam, reſpicit. Pro quo beneficio verſu 7 declarat, nulla ſacrificia in Lege eſſe præſcripta, ſed ſe æternum per illud ad Dei ſervitium obſtrictum eſſe (quod voces *aures perfodiſti mihi*, ſignificant, ab herorum conſuetudine deſumptæ, qui ſervi Hebræi, ſeptimo anno libertatem recipere nolentis, aures perforare, ex præſcripto Legis conſueverant) ac propterea verſu octavo & nono declarat, ſe nunc adeſſe, ut Regiam potentiam ex Dei nutu exerceat. Si hic verborum ſenſus eſt (quem profecto nemo negare poteſt eſſe poſſe) quivis videt ea nihil pro Adverſarii prætextu facere.

Addit quidem, alia in Scriptura, quæ idem teſtentur, reperiri, quæ tamen adducere opus non eſſe exiſtimat, quaſi hæc duo teſtimonia ſufficiant. Non menimi ſimile quid extare, quod omnino cum loco Eſaiæ conveniat, prętęrquam Pſal. 51. 18, 19, ubi Propheta declarat, pro peccatis (adulterio videlicet & homicidio) quę commiſerat, nullum in lege Sacrificium eſſe pręſcriptum: nec in talibus quidquam præter profundiſſimam pœnitentiam valere. Quod nihilo magis pro Adverſario facit. Ratio, quam apud Theologos parum valere dicit, nihil hic magis prodeſſet, ſi eam Adverſarius adhibuiſſet, quemadmodum cap. 10 libro 2 a nobis oſtenditur, ubi ad rationem reſpondemus.

In ſequentibus, uſque ad pag. 59 Adverſarius nihil aliud agit, quam quod oſtendere conetur, Scripturam pro Ceremoniis nihil præter corporis commoda, & pro ſola lege divina univerſali, beatitudinem promittere, quam pag. 57 lin. 8 à fine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

mentem ſanam corpore ſano eſſe dicit. Cum vero per legem Univerſalem neceſſitatem omnium entium, in agendo & exiſtendo intelligat, quam omnes norunt in Scriptura nullibi ita appellari, non eſt quod iſtis ſannis examinandis tempus teramus. Præſertim cum ipſe Adverſarius dixerit pag. 34 lin. 18 &c, Hebræorum ſocietati, pro conſtanti legum obſervatione, nihil aliud quam vitę ſecuritatem, ejuſque commoda promitti potuiſſe, inter quæ mens ſana in corpore ſano præcipue ſunt numeranda.

Reliqua de Hebræorum Republica, & quod ceremoniæ inſerviebant, ad eorum rempublicam conſervandam, quibus multa impia, abſurda & ſcurrilia immiſcet, multa etiam bona continent, non opus eſt attingere, quia partim ad cauſam nihil faciunt, & quatenus faciunt, ex dictis ſatis ſuperque ab unoquoque refutari poſſunt.

CAPUT VI.

De Miracolis.

Contenta.

Hoc capite, ex præſuppoſito quod omnia neceſſario, per inſitam Naturæ omnium cauſarum æternam & immutabilem concatenationem (quam nunquam demonſtrare eſt conatus) fiunt & exiſtunt, oſtendere conatur, nulla vera Miracula, id eſt res quæ ex ipſo Naturæ ordine neceſſario non fluunt, unquam eſſe facta, vel fieri poſſe. Et quæcumque talia in Scriptura reperiuntur, nihil eſſe quam relationes rerum mala fide traditas pag. 76, 77, 78; nimirum vel cauſas naturales, à quibus iſta ſint producta ſilentio involvendo, & mendacia quædam adjiciendo, vel etiam quod ſcriptor delirus crediderit ſe audire & videre, quæ nullibi quam in ipſius phantaſia per imaginationem extarent. Quod poſtquam fruſtraneo conatu demonſtrare tentavit, ſecundo conatur, velſaltem ſimulat ſe velle oſtendere, ex Miraculis non poſſe evinci eſſe Deum. Cui tertio ſubjungit ſimulatam probationem, in ipſa Scriptura per miracula nihil præter fatalem omnium rerum in agendo neceſſitatem intelligi. Cui quarto loco ſubnectit diſſertationem, qua id quod primo loco ipſum oſtendere velle indicavi, ulterius perſequitur. Quibus omnibus non modo noſtras refutationes, ſed etiam contrarias demonſtrationes oppoſuimus.

Cum nihil ſit quod Atheos magis vexet quam Miracula, & nullum efficacius argumentum pro Dei exiſtentia, omnipotentia & providentia ſit, quam miracula, ea omni conatu nobis eripere Adverſarius noſter ſatagit, & probare nulla Miracula, qualia Sacra Scriptura innumera recenſet, unquam facta eſſe, nec fieri poſſe. Deinde, ex Miraculis nec Dei exiſtentiam nec providentiam cognoſci poſſe. Videamus quo ſucceſſu. Ea quæ de vulgi circa Naturam & Miracula opinionibus calumnioſe præmittit, (inter quę & iſtud numerat, quod *vulgi ſtultitia fingit, hominem præcipuam Naturæ eſſe partem,* quem ipſe pro præcipua parte Naturæ minime agnoſcit) multaque ei falſo adſcribit, miſſa facio, ſed ad ipſius probandi

bandi modum me confero. Ait ergo pag. 68, *ad primum quod attinet, id facile oſtenditur ex iis quæ in cap. 4 circa legem dividam demonſtravimus.* Rogamus igitur lectores, ut ea quę Adverſarius ibi dixit, & nos ibidem reſpondimus, recte conſiderent. Docuimus enim non tantum Adverſarium nihil probare, ſed oſtendimus præterea quæ dixit eſſe falſa & abſurda.

Declaraturus quid ibi demonſtravit addit: *omne id quod Deus vult ſive determinat, æternam neceſſitatem involvere, &c.* Hoc nec demonſtravit, nec dixit, nec etiam ad quæſtionem quidquam facit; ſed iſtud voluit, omnia in rerum natura (præter quam nullum Deum agnoſcere Adverſarium palam fecimus) neceſſario fieri, quod tamen minime oſtendere potuit: Prout unicuique, noſtra cum iis quæ Adverſarius protulit conferenti, manifeſto conſtituturum eſſe confido. Cætera quæ uſque ad lineam penultimam adjicit, nihil aliud continent, quam relationem eorum quæ ſe cap. 4 demonſtraſſe aſſerit, quę nos ibidem refutavimus. Quare his prætermiſſis, ad ea quæ de novo adjungit, ut oſtendat, *nihil contra Naturam contingere, ſed ipſam æternum, fixum & immutabilem ordinem ſervare*, me accingo.

Addit igitur ibidem. *Cum autem nihil niſi ex ſolo divino decreto neceſſario verum ſit.* Ecce quam ſolida demonſtratione utatur! Nos hoc negamus, quod hic ſufficit, quia defendentis parrtes agimus, Adverſarius vero opponentis. Bis duo quatuor eſſe, verum eſt, & æterna veritas, quamvis nullus in rerum natura Deus exiſteret, & quamvis nullus hoc ſciret.

Pergit. *Hinc clariſſime ſequitur, leges Naturæ univerſales, mera eſſe Dei decreta.* Quando antecedens negamus, de conſequenti non eſt quod ſimus ſoliciti. Natura Adverſarii Deus eſt, leges Naturæ neminem fixiſſe, ejus eſt ſententia, & ſic in voce *decreti* ludit. Nos vero, quando Naturæ leges Univerſales pro Dei decretis agnoſcimus, non concedimus Deum omnes hominum actiones certis legibus (quos Adverſarius vocat) adſtrinxiſſe, id eſt hominem à Deo ita creatum eſſe ſive determinatum, ut nihil aliter agere poſſit quam agit. Præterea, quamvis multa ſint in rerum natura, quæ certa & determinata ratione agere, vel potius moveri videantur, non tamen concedimus Deum eorum motum ita determinaſſe, ut ipſe qui iſtum motum illis indidit, eum aliquando non poſſit interrumpere, & ad tempus inhibere vel invertere. Si enim motum illis indidit, per ſe liquet, quod eundem ſiſtere, invertere & penitus deſtruere poſſit. Sed Adverſarius naturalem & neceſſariam cauſarum concatenationem per *divinum decretum* intelligit, & per *Deum* ipſam Naturam. Quę duo ſi vera ſint, nihil quod ad ipſius argumentationem reſponderi poſſit, ſupereſſe poteſt. Si enim omnia quæ in tota Natura ſunt vel fiunt, indiſſolubili & æterna cauſarum concatenatione cohærent, impoſſibile eſt ut ulla Miracula (id eſt talia quæ contra vel præter Naturæ ordinem fiunt) unquam fieri potuerint. Sed nullibi iſtud ad Adverſario èſt oſtenſum, imo ne tentatum quidem. Sed quivis profecto facile videre poteſt, Adverſarium non debere ſupponere, ſed ex principiis naturalibus demonſtrare, *nihil neceſſario poſſe eſſe verum*, id eſt nihil poſſe in Natura

evenire

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

evenire, *niſi ex ſolo decreto Divino*, hoc eſt, niſiper æternam & immutabilem omnium cauſarum naturalium concatenationem: Iſtud enim eſt quod quæritur, non quod verba ambigua præ ſe ferrevidentur. Promiſit ſe primo loco oſtenſurum, *Naturam æternum, fixum & immutabilem ordinem ſervare*. Pro eo autem quod iſtud oſtenderet, in ipſo demonſtrationis primordio totum hoc præſupponit. Quo pacto non erit ipſi difficile, victoriam obtinere.

Subjicit pag. 69 *Si quid igitur in Natura contingeret, quod ejus univerſalibus legibus repugnaret, id decreto & intellectui & naturæ divinæ etiam neceſſario repugnaret*. Negavimus ejuſmodi leges Naturę univerſales & immutabiles, Adverſarius non probavit eas dari. Sed attende quæſo. Inter Naturæ leges univerſales eſt, quod corpora gravia deorſum moveantur. Ea lex ſi immutabilis plane foret, adeo ut nunquam interrumpi poſſet, nunquam fieri poſſet ut corpora gravia ſurſum moverentur: quod tamen homo, ea ſurſum projiciendo facile efficere poteſt. Quemadmodum igitur homo Naturæ leges univerſales interrumpere poteſt, ita Deus, qui Naturæ leges fixit, eas quandocunque vult ad tempus inhibere poteſt. Sed Adverſarius forte reſpondebit, etiam hanc Naturæ legem eſſe, ut corpora gravia, vi externa accedente, contra ſuam naturam moveantur. Sed ſimul ei fatendum eſt, idem ſemper reſponderi poſſe, quando aliquid vel contra, vel ſupra Naturam (quę pro eodem haberi vult) accidit. Nihil igitur repugnat naturæ divinæ, quod interdum contra Naturæ leges faciat. Quare fruſtra addit:

Pag. 69. *Aut ſi quis ſtatueret Deum aliquid contra leges Naturæ agere, is ſimul etiam cogeretur ſtatuere, Deum contra ſuam naturam agere*. Si Natura Deus eſt, bene procedit, argumentum, ſed ſi Deus Naturæ author & rector eſt, peſſime.

Cum igitur negamus Naturam eſſe Deum, negamus etiam, Deum qui Naturæ eſt author & gubernator, contra naturam ſuam aliquid agere, quando ejus ordinarium curſum interrumpit ad breve tempus, ut ipſe aliquod extraordinarium opus, quod Natura ordinario ſuo curſu efficere nequit, producat. Æquivoce dici poteſt, Deum contra ſuam Naturam, id eſt contra Univerſum hoc (quod ſuum, id eſt Dei eſt) quod creavit & regit, facere quando miracula edit. At vero in tam arduo negotio non oportet ludere. Agimus de divinæ eſſentiæ Natura, id eſt de natura Naturæ conditoris. Quem quamvis Adverſarius non agnoſcit, debet tamen, ſi ſerio diſputare velit, ambiguitatem quantum poteſt vitare, quam quantum poteſt ſectatur. Non igitur Divinæ naturæ repugnat, aliquid contra leges Naturę (quas univerſales, æternas & immutabiles eſſe negamus) facere. Leges enim iſtas Naturæ, non ſibi fixit. Natura leges mutare non poteſt, quas Deus illi fixit. Sed omnibus rebus univerſales & immutabiles leges, ſive neceſſitatem in agendo eſſe conſtitutas vel innatas, iſtud eſt quod quæritur, & in quo tota cauſa conſiſtit. Quamvis autem Adverſarius non auſus fuit demonſtrationes, quibus iſtam neceſſitatem evinci poſſe exiſtimat proferre, nos tamen lib. 2 cap. 6, 7, 8 quaſcunque reperire vel excogitare potuimus, proponere, examinare, & refutare non dubitavimus.

Adjungit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Adjungit pag. 69, *Idem etiam ex hoc facile poſſet oſtendi, quod nimirum potentia Naturæ ſit ipſa divina potentia & virtus, divina autem potentia ſit ipſiſſima Dei eſſentia, ſed hoc impræſentiarum libentius omitto.* Poſſemus etiam nos omittere, ſed ne cauſæ aliquatenus deeſſe videamur, & hoc argumentum diſcutiemus. Potentiam Naturæ divinam eſſe potentiam, ambiguum eſt. Et Adverſario nihil aliud ſignificat, quam nullam aliam præter Naturalem potentiam ullibi exiſtere. Eo ſenſu negamus, Potentiam Naturæ divinam eſſe potentiam, eam enim credimus à Naturæ conditore Naturæ eſſe inditam. Quod ſi verum eſt, neceſſario conſequitur Dei potentiam ſe longe ſupra Naturæ vires exſerere. Præterea negamus divinam potentiam ipſiſſimam Dei eſſentiam eſſe, nec iſtud ita abſque probatione aſſeri debuit, in quo tota argumenti vis eſt ſita. Nec id magis concedere tenemur, quam ſi quis dicat, humanam potentiam, ipſiſſimam eſſe humanam eſſentiam. Quamvis autem Dei attributa, revera ab ejus eſſentia diſtincta concipiamus, inde tamen Adverſarius minime inferre poteſt, Deum eſſe compoſitum, & conſequenter non eſſe æternum. Ipſe enim, quamvis in Natura partes, & ſic compoſitionem agnoſcat, eam tamen æternam eſſe contendit. Qua de re ſuperius, nec non lib. 2 cap. 8 egimus.

Adverſarius, metuens ne omnia, quæ paſſim contra & præter Naturam accidiſſe, tum in Sacra tum in prophana hiſtoria memoriæ prodita extant, falſitatis arguere poſſit, ea etiam Naturæ legibus ſubjicere conatur. Addit enim pag. 69: *nec ulla ſana ratio ſuadet, Naturæ limitatam potentiam & virtutem tribuere, ejuſque leges ad certa tantum, & non ad omnia aptas ſtatuere.* Si Naturæ leges ad omnia ſe extendant, ſequitur etiam ut ad ea quæ contra & præter Naturam fieri dicuntur, ſe extendat, adeo ut mortuos in vitam revocare, deſperatos morbos momento, abſque medicamentis ſanare, omnium linguarum cognitionem unico momento docere, membra quibus quis caret reſtituere, Solis vel globi terreſtris motum ſiſtere, & rurſus in ordinem redigere, ſub Naturæ leges cadat. Si Adverſarius ea pro impoſſibilibus habet, ſub vocibus ludit. Deinde non debuit dicere nullam ſanam rationem ſuadere, Naturæ potentiam eſſe limitatam: ſed eſſe illimitatam probare debuit, deinde etiam ad rationes, quibus probari ſolet Naturæ potentiam eſſe limitatam, reſpondere. Ex eo enim quod *virtus & potentia Naturæ ſit ipſa Dei virtus & potentia,* minime ſequitur Naturæ potentiam eſſe infinitam, niſi demonſtraret Deum omnem ſuam potentiam in Naturam tranſtuliſſe, quod non tantum abſurdum, ſed etiam plane impoſſibile eſt. Abſurdum eſt, quia ſic Deus (Univerſi creator, quem Adverſarius abnegat) nullam amplius potentiam retinuiſſet: impoſſibile, quia Deus totam ſuam naturam perverteret, ſeque ipſum diſtrueret, ſi omnem ſuam potentiam in Naturam conferret. Quamvis igitur Naturæ potentia & leges, Dei ſint potentia & leges, hinc nullo modo ſequitur, nullam potentiam, nullas leges amplius à Deo procedere poſſe: eſt enim Deo adhuc major potentia, qua Naturæ leges ad tempus ſiſtere, immutare, deſtruere & aliam Naturam condere, vel eam non reſtaurare, pro lubitu ſuo poteſt. Noc opus eſt ut naturę potentia ſit infinita. Ratio qua Adverſarius id evincere conatur, non ſtrin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

git; ſic enim pergit pag. 69, *alias enim quid ſtatuitur, quam quod Deus Naturam adeo impotentem creavit.* Quis eſt iſte Deus? cum nullum Deum pręter Naturam agnoſcat Adverſarius. Si Deus Naturam creavit, non omnipotentem creare potuit, ſed finitam ei potentiam indere debuit, ut Naturæ dominus manere poſſet: quod non poſſet, ſi (quod impoſſibile eſt) infinitam ei potentiam indidiſſet. Ipſe Adverſarius negat miracula poſſe fieri, ergo Naturæ potentiam non infinitam eſſe concedit. Ut enim miracula fiant, contradictionem minime implicat.

Ejuſque leges & regulas adeo ſteriles ſtatuerit, ut ſæpe de novo ei ſubvenire cogatur, ſi eam conſervatam vult. Nullo modo id ſtatuitur, quando Naturæ potentiam finitam eſſe ſtatuimus: injuriam nobis iſtud affingendo facit. Miracula enim non ad Naturæ conſervationem, ſed ad ſupranaturalium fidem adſtruendam adhiberi credimus. Et interdum, ut pars aliqua Naturæ conſervetur, alias interitura.

Addit pag. 69, *& ut res ex voto ſuccedant.* Nihil in eo eſt abſurdi, quod Deus, ut res ex voto ipſius & piorum ſuccedant, id eſt, ut homines ad ſupranaturalium rerum cognitionem, ad quam Naturę legibus adduci nequeunt, adducantur, *Natura* aliquando *ſubvenire cogatur.* Quare non eſt quod hoc à ratione (nullo ex quo id pateſcat allato argumento) alieniſſimum eſſe exiſtimet. Non eſt ipſius quid exiſtimet inculcare, ſed ſuam opinionem rationibus confirmare.

Pag. 69, 70. Ex quibus jam liquido conſtat, nullo modo admittendum eſſe, *nomen miraculi, non niſi reſpective ad hominum opiniones intelligi poſſe, & nihil aliud ſignificare, quam opus, cujus cauſam naturalem exemplo alterius rei ſolitæ explicare non poſſumus &c.* Per miracula enim nihil aliud intelligimus, quam opus quod à cauſa naturali minime dependet, & vires Naturæ frequenter longiſſime ſuperat, quale eſt mortuos reſuſcitare, membra quibus quis caret, vel nunquam habuit, alicui dare, & ſimilia. Refert enim Sacra Hiſtoria Κυλλοὺς, id eſt membro aliquo carentes, à Chriſto ſanatos fuiſſe Matth. 15. 30 coll. cum cap. 18. 8.

Falſum etiam eſt quod pag. 70 addit: *Verum quoniam miracula ad captum vulgi facta fuerunt, quod quidem principia rerum naturalium plane ignorabat, certum eſt antiquos id pro miraculo habuiſſe, quod explicare non poterant eo modo, quo vulgus res naturales explicare ſolet &c:* Quia Adverſarius nullum poſt hanc vitam præmium nec pœnam expectat, & nullum Naturæ creatorem agnoſcit, perinde ipſi eſt, ſive vera, ſive falſa proferat, modo ad id quod intendit conducat. Sed ſibi ipſi vel aliis ſi ita ſatisfacere poteſt, noſtra nihil refert. At vero cur nullibi probat quæ hic dicit de miraculis, & quod propterea antiqui ita de miraculis ſenſerunt, quemadmodum ipſe falſo, abſque probatione aſſeverat?

Pergit pag. 70. *Antiqui itaque & omnes fere, in hoc uſque tempus, nullum præter hanc normam miraculi habuerunt.* Mirum eſt quod adeo impudenter hoc, abſque ulla probatione aſſerat. Credo vix quenquam, niſi forte ſtolidum, inter antiquos vel recentiores repertum fuiſſe, qui hanc miraculi normam habuerit, quod videlicet miraculum opus ſit ex Naturæ immutabilibus legibus profluens, *cujus cauſa ex principiis rerum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

rerum naturalium, lumine naturali notis explicari nequit. Hæc vero miraculi nobis eſt norma, ſi nimirum aliquid fiat quod eo modo & tempore fieri nequeat, quando Natura motum ſuum retinet. V. G. ſi homo, qui vere mortuus & ſepultus eſt, ad vitam vere redeat, ſi lumen ſolare 24 horis continuo ſplendeat, ſi is qui à nativitate vel caſu oculis vel membro aliquo privatus fuerit, membrum iſtud ſubito recipiat. Vel ſi id quod per cauſas naturales alias fieri poteſt, manifeſto appareat, non per cauſas naturales factum eſſe, quale eſt, ſi æger momento temporis ita valetudini reſtituatur, ut ſtatim ordinaria vitæ negotia exercere, lectum videlicet quo decubuit portare, aliis miniſtrare, ſaltare & curerre poſſit.

Pergit Adverſarius pag. 70. *Quare non dubitandum eſt, quin in Sacris Literis multa tanquam miracula narrentur, quorum cauſæ ex principiis rerum naturalium notis facile explicari poſſunt.* Iſtud in quibuſdam miraculis non negaverim, ſi narrationi S. Scripturæ fides detrahatur; ſed tum prius probari deberet, hiſtoriam non eſſe fideliter deſcriptam. Nam de eo quod tempore Joſuæ ſol ſteterit, jejunas admodum naturales cauſas Adverſarius pag. 22 indicavit, refractionem videlicet radiorum ſolarium ex glacie, tum temporis in aëre exiſtente, productam, vel pareliorum fulgorem, quę diem duplo longiorem reddere nequeunt; nec umbram in horologio retrocedere, naturaliter efficere poſſunt. Poſtquam cavillationes Adverſarii, quibus miraculorum poſſibilitatem refutare & in dubium vocare frivole admodum conatur, ſatis contudimus, cum ipſo ad ſecundum quod probare ſuſceperat, tranſeamus.

Videlicet pag. 70. *Nos ex miraculis nec Dei eſſentiam, nec exiſtentiam, nec providentiam poſſe intelligere* (non debuit dici *intelligere*, ſed *concludere* vel *demonſtrare*, quia vox intelligere eſt ambigua, & tam de modo quo quid fiat, quam de reipſa accipi poteſt) *ſed contra, hæc longe melius percipi ex fixo atque immutabili Naturæ ordine.* Dicere debuit, *ſed contra hæc ſolum ex fixo &c:* quia his verbis videtur concedere ex miraculis iſta etiam poſſe concludi, quamvis melius ex Naturę ordine: cum tamen ſuſceperit ſe demonſtraturum, ea minime ex miraculis poſſe intelligi, ſed potius contrarium, prout pag. 72 expreſſe dicit.

Pag. 70. *Ad quod demonſtrandum*, inquit, *ſic procedo. Cum Dei exiſtentia non ſit per ſe nota* (An ergo Naturæ & hujus Univerſi exiſtentia, quæ Adverſarius Dei nomine intelligit, non ſunt per ſe nota? Iſtius vero in quem nos credimus Dei exiſtentiam, per ſe notam non eſſe concedimus) *debet neceſſario concludi ex notionibus.* Ita Adverſarius ex ſua hypotheſi loqui non poteſt, & ex noſtra ſententia non concedimus. Si Deus ſuam exiſtentiam hominibus non revelaſſet, non credo eam ex notionibus concludi certo poſſe, multo minus *neceſſario debere*; ſed ex ſola ipſius revelatione hauriri debere, prout libro ſecundo fuſius demonſtravimus

Ex qualibus autem notionibus, ejuſmodi, videlicet, *Quarum veritas adeo firma & inconcuſſa ſit, ut nulla dari neque concipi poſſit potentia, à qua poſſint immutari.* Vellem Adverſarium notiones iſtas indicaſſe: tunc enim earum veritatem adeo firmam & inconcuſſem non eſſe, facile cuivis apparuiſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Addit pag: 70. *Nobis ſaltem ab eo tempore quo ex iis Dei exiſtentiam concludimus, ita apparere debent, ſi ex ipſis eam extra omnem dubitationis aleam concludere volumus.* Ecce quam inconcuſſæ veritatis eſſe debeant iſtæ notiones! Nos vero negamus iſtiuſmodi inconcuſſam certitudinem de Dei exiſtentia, qualem Adverſarius reliquique Athei, antequam in Deum credere velint, requirunt, neceſſariam eſſe, vel etiam unquam haberi poſſe vel debere. Quando autem pręſupponitur miracula eſſe facta, nos ea pro notionibus inconcuſſæ veritatis, Dei exiſtentiam evincentibus, merito agnoſcimus, præſertim ſi quis ea patraverit in teſtimonium veritatis eorum, quæ Dei nomine prædicat. Verbi gratia: ſi quis hominem vere mortuum ad vitam revocaverit, ejuſmodi miraculum evidens Dei exiſtentiæ erit argumentum: quandoquidem iſtud per nullam aliam præter divinam plane potentiam fieri poteſt. Qua de re poſtmodum pluribus (Deo annuente) agemus. Adverſarius autem abſque ulla demonſtratione præſupponit 1. Deo exiſtentiam per ſe non eſſe notam (contra quam Carteſius ſtatuit, qui ejus Ideam nobis eſſe innatam aſſerit) 2. eam neceſſario concludendam eſſe ex notionibus (quaſi Deus ſe exiſtere hominibus non poſſit alio modo revelare, ſive viva voce, ſive in mente hominis quod exiſtat, evidentia indicia imprimere) 3. notiones iſtas adeo certas & indubitatæ veritatis eſſe debere ſtatuit, ut nulla potentia dari neque concipi poſſit, à qua poſſint immutari: quæ omnia à nobis negantur, & longe aliter ſeſe habere libro ſecundo demonſtravimus.

Id quod ſubjicit pag. 70: *nam ſi poſſemus concipere, ipſas notiones ab aliqua potentia, quæcumque ea demum fuerit, mutari poſſe, tum de earum veritate dubitaremus.* Admodum obſcurum eſt, & ad rem minime pertinere mihi videtur. Obſcurum, quid enim eſt *notiones mutare?* num efficere ut id quod verum eſt ſit falſum? quis unquam de eo dubitavit? an vero, efficere ut id quod alicui certum & verum eſſe videtur, falſum eſſe appareat? Minime gentium. Adverſarius enim vult, ut de Dei exiſtentia omnino certi ſimus. Id vero quod certum videtur, non raro incertum & falſum eſt. Negamus autem Dei exiſtentiam ex adeo certis notionibus, à naturali videlicet ratione petitis, vel poſſe, vel debere concludi; ſed tantum ex iſtiuſmodi, quarum veritas nullo invincibili argumento expugnari poteſt. Ac omnino ſufficere arbitramur, ſi quis de Dei exiſtentia talibus argumentis ſit convictus, ut nulla ratio excogitari poſſit, quæ ipſum de ea dubitare cogat, quamvis alicubi quid hæreat, quod hæſitationem aliquam forte parere alicui poſſit; idque non propter rei incertitudinem, ſed propter mentis noſtræ, quæ Dei eſſentiam perfecte capere nequit, imbecillitatem. Concedimus omnino, ſi potentia iſtiuſmodi dari poſſet, quæ ipſas notiones mutare poſſet, ſive efficere ut quod verum eſt, eſſet falſum, nos nunquam de Dei exiſtentia, vel quacumque alia re certos eſſe poſſe. De eo autem non eſt quęſtio, ſed an adeo certæ notiones ad id neceſſario requirantur, ut de Dei exiſtentia abſque ulla dubitatione perſuaſi eſſe neceſſario cogamur, quod Adverſarius minime probat. Nec unquam de aliqua re dubitare cogimur, niſi cum rationes dubitandi, quas nullo modo amoliri poſſumus, occurrunt, vel ab aliis objiciuntur.

Addit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Addit Adverſarius eadem pag. 70. *Deinde nihil cum Natura convenire, vel ei repugnare ſcimus, niſi id quod oſtendimus cum iſtis principiis convenire, vel iis repugnare.* Iſtud ſi concederemus, oſtendendum erit Adverſario, miracula cum principiis iſtis (quæ notiones modo appellavit) pugnare, quod tamen, prout oſtendemus, minime fecit. Ambiguum autem eſt, quid per voces, *Naturæ repugnare* intelligat: aut enim ſignificare poſſunt id quod impoſſibile eſt ut fiat, aut quod per naturalium cauſarum potentiam fieri nequit. Si prius intelligit, extra oleas vagatur, nullus enim aſſerit talia unquam poſſe evenire; ſin poſterius, negabimus principiis ſive notionibus certis repugnare, ut talia fiant, quæ Naturæ vires excedunt vel iiſdem repugnant. Ex quo patet Adverſarium, ſub verborum obſcurorum involucro, nil niſi meras principii petitiones committere. Et proinde concluſio, quam ex iſtiuſmodi præmiſſis elicit, nihil veri continere poteſt, quod quidem in quæſtione eſt, cum addit ibid. pag. 70. *Quare ſi concipere poſſemus aliquid in Natura, ab aliqua potentia (quæcumque demum ea fuerit) poſſe fieri, quod Naturæ repugnet, id primis iſtis notionibus repugnabit.* Senſus enim eſt, nos non poſſe concipere, aliquid fieri poſſe, quod ut fiat ſit impoſſibile, ſive quod Naturæ repugnat ut fiat, quemadmodum Naturæ repugnat ut calor ſit frigus, lux ſint tenebræ, duo ſunt tres & ſimilia. Talia autem eſſe miracula, non modo negamus, ſed & Adverſarius id oſtendere ne tentavit quidem. Sin per voces *quod Naturæ repugnet* ſignificare vult (ut diximus) id quod per Naturæ vires fieri nequit, negamus id Naturæ repugnare, ut aliquid per Dei potentiam fiat, quod Natura ipſa, propriis viribus efficere nequit: non magis quam ſi corpora gravia, contra naturalem ſuum motum, violento alterius corporis compulſu, ſurſum vel aliorſum moveantur. Ut quis qui lingua caret loquatur, per leges Naturæ (ut cum Adverſario loquar) fieri nequit: quando vero per Dei potentiam aliquis qui linguam non habet, vel cui tota lingua abſciſſa eſt, loquitur diſtincte, id quamvis Natura efficere nequit, propterea de prima iſta notione, quod videlicet is qui mutus eſt loqui non poſſit, non eſt dubitandum: manet id verum, videlicet niſi divina potentia accedat, quæ ex muto non mutum faciat. Similiter per leges Naturæ fieri non poteſt, ut is qui vere mortuus eſt in vitam revocetur, ſed per divinam omnipotentiam id fieri poteſt, quam Adverſarius ipſi Naturæ adſcripſit pag. 69. falſo aſſerens, *omnino credendum eſſe, potentiam Naturæ eſſe infinitam*, qualem potentiam ad miraculorum patrationem non ſufficere, quis ſanæ mentis affirmare audeat? Fruſtra igitur Adverſarius concludit pag. 71, *longe abeſſe ut miracula nobis Dei exiſtentiam oſtendant.* Certum eſt, ſi nullus præter ipſam Naturam ſtatuatur eſſe Deus, quæ ex æternis & immutabilibus legibus agit, omnino de omnibus nobis eſſe dubitandum, ſi quid in Natura contra iſtas leges contingeret. Sed quando id negatur, & Deum Naturæ conditorem eſſe creditur, tum ipſe Adverſarius ſat novit, nihil in eo eſſe abſurdi, ſi is Naturæ ordinem aliquando inhibeat, interrumpat, vel etiam deſtruat. Nam præterquam quod Adverſarius contrarium minime demonſtravit, prout hactenus oſtendimus, manifeſtum omnino eſt, miracula Dei exiſtentiam apertiſſime oſtendere. Quod ſic evinco. Quando is qui revera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

mortuus, & per aliquot dies ſepultus fuit, reviviſcit, certum eſt id nec naturalibus mediis, nec per Naturę potentiam fieri poſſe. Hinc neceſſario ſequitur, id per aliam potentiam, Naturæ potentiam longiſſime ſuperantem, factum eſſe. Ea vero nulla alia eſſe poteſt quam talis, quæ omnia contradictionem non implicantia, efficere poteſt; & quidem in aliquo reſidens, qui nullus alius præter Deum eſſe poteſt. Nam potentia iſta non poteſt extra aliquod ſubjectum ſubſiſtere. Jam ſi homo aliquis, puta Jeſus Chriſtus, mortuum reſuſcitet, & ſancte teſtetur, poteſtatem iſtam ſibi ab aliquo ente, quod Deus eſt, eſſe communicatam, an non inde firmiſſime Dei exiſtentia concluditur? Non enim jam quęritur, utrum ea miracula fieri poſſint, vel unquam edita fuerint, ſed ſi ederentur, an inde Dei exiſtentia oſtendi poſſit, an vero tum de primis notionibus eſſet dubitandum? Fateor, ſi Adverſarius id inter primas notiones reputat, mortuum nunquam poſſe reviviſcere, mirum non eſſe ſi conſequentias ejusmodi nectat: nos autem notionem iſtam, pro prima notione vel vera theſi non admittimus.

Pergit Adverſarius pag. 71. *At ponatur id eſſe miraculum, quod per cauſas naturales explicari non poteſt.* Sed non opus eſt iſtud ponere, non enim hoc requirimus. Belle ſibi inermen fingit Adverſarium, quem nullo negotio confodere poſſit.

Addit pag. 71: *Quod quidem duobus modis poteſt intelligi, vel quod cauſas naturales quidem habet, quæ tamen ab humano intellectu inveſtigari non poſſunt, vel quod nullam cauſam præter Deum, ſive Dei voluntatem agnoſcit.* Mera tautologia eſt, ſub verborum involucro abſcondita: per *Deum* enim, ſive Dei voluntatem, nil niſi *naturales cauſas*, ſive *fixum & immutabilem Naturæ ordinem* intelligit. Non ergo duos, ſed unicum tantum modum deſcripſit. Nec illud pro miraculo agnoſcimus, quod cauſas naturales, quamvis nobis incompertas, habeat.

Pergit ibid. *Verum quia omnia, quæ per cauſas naturales fiunt, ex ſola Dei potentia & voluntate etiam fiunt, neceſſario huc tandem perveniendum, nempe miraculum, ſive id cauſas naturales habeat, ſive minus, opus eſſe quod per cauſas explicari non poteſt.* Nuſquam minus quam eo eſt deveniendum: quamvis enim Dei voluntas & potentia, cauſarum & effectuum naturalium ſit cauſa, inde non ſequitur nihil niſi per cauſas naturales fieri. Quamvis autem in miraculo nulla cauſa naturalis agat, poteſt tamen per cauſam explicari, quæ eſt Deus, ens omnipotens, ſumma ſapientia preditum, nec non vitæ principio & fine carens, & omnia ſciendi virtute &c prędítum, ipſius Naturæ omniumque naturalium cauſarum author. Quomodo vero iſtud ens miracula faciat, fortaſſis non magis explicere poſſumus, quam Adverſarius vel ullus hominum, quomodo Natura ab æterno extiterit, quomodo ventus oriatur & tempeſtas, vel quomodo Natura hominem in utero mulieris, vel plantam ex terra generet. Atque adeo male concludit Adverſarius, miraculum nihil aliud eſſe, quam opus quod captum noſtrum ſuperat.

Pag. 71: *Sed ex opere, & abſolute ex eo* (quid hic ſibi velit non intelligo) *quod captum humanum ſuperat, nil intelligere poſſumus.* Hoc enim plane falſum eſt (præterquam quod

quod etiam falſum eſt, quemadmodum jam oſtendimus, miracula captum noſtrum ſuperare, non magis quam omnia Naturæ opera) ex opere enim quod captum noſtrum ſuperat, firmiſſime concludimus, inſignem eſſe artificem qui iſtud effecerit: & quo magis captum noſtrum ſuperat, eo magis iſtius authorem admirabimur. Et ſi eouſque captum noſtrum ſuperat, ut manifeſto intelligamus iſtud non niſi per maximam potentiam effici potuiſſe, tanto manifeſtius concludimus, cauſam ejus rei eſſe potentiſſimam. Quando vero tantam requiri potentiam cernimus, qualis in naturalibus cauſis minime exiſtit, prout in mortuorum reſuſcitatione, membri plane deficientis reſtitutione requiri res ipſa docet, neceſſario ad ipſam Naturæ cauſam deveniendum eſt. Adeo miracula non ſuperant noſtrum captum abſolute: quando enim, v. g. videremus mortuum in vitam revocari, facile inde concludere poſſemus, id à nemine niſi Deo, qui omnia poſſit, proficiſci poſſe. Ex quo conſequenter colligimus, eum totius Naturæ eſſe authorem. Certum enim eſt, non majorem potentiam requiri, ad Mundi & totius Univerſi creationem, quam ad eſſentię humanæ productionem, vel ejuſdem penitus deſtructæ reſtaurationem. Superat quidem aliquatenus captum noſtrum, quo pacto Deus mortuum reſuſcitet, ſed idem locum habet in omnibus fere naturalibus rebus, v. g. in motu Planetarum, quos moveri videmus, ſed quomodo motum acquirant, captum noſtrum ſuperat.

Mare quotidie fluere & refluere videmus, idque ſecundum Lunę motum & mutationem; ſed quomodo iſta ſibi invicem cohęreant, vel ſe mutuo ſequantur, ignoramus. Corpus humanum in utero mulierum creſcere & nutriri ſcimus, quomodò autem id fiat, non item. Sic non ſuperat captum noſtrum mortuos reſuſcitari, ſed modus tantum quo id fiat. Et quamvis ipſa reſuſcitatio captum noſtrum ſuperare dici poſſet, inde non ſequitur nihil ex ea intelligi poſſe, non magis quam ſi machinam aliquam, ex pulvere tormentario confectam, miris flammarum præſtigiis, in aërem adſcendere videam, quod captum meum plane ſuperat, quatenus modum compoſitionis ignoro: aliquid tamen inde concludere poſſum, videlicet eam ab artifice aliquo eſſe fabricatum, quod hic unice quæritur. Adeo ut plane falſum ſit, ex opere quod captum noſtrum ſuperat, nihil intelligi poſſe. Cum vero circa miracula multas circumſtantias intelligamus, fruſtra hic in vocibus ambiguis præſidium quærit.

Rationem ſuæ aſſertionis hanc adfert Adverſarius Pag. 71. *Nam quicquid clare & diſtincte intelligimus, id per ſe vel per aliud, quod per ſe clare & diſtincte intelligitur, nobis debet innoteſcere.* Ea vero nihil aliud evinceret, ſi firma eſſet, quam nos miracula non clare & diſtincte intelligere, de quo nunc non eſt diſputandi locus. Aliud enim eſt, *rem clare & diſtincte intelligere*, aliud, *ex opere aliquo aliquid intelligere*: poſſumus enim ex opere aliquo, ut jam oſtenſum eſt, aliquid intelligere, quamvis iſtud clare & diſtincte non intelligamus, id eſt modum quo efficitur non diſtincte noverimus. Deinde non concedimus ita generaliter hanc hypotheſin: poteſt enim nobis aliquid innoteſcere, quamvis quid id ſit, clare & diſtincte non intelligamus. Omnibus enim notum eſt quid ſit panis, & reliqua eſculentorum & potulentorum genera, quamvis illorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

illorum eſſentias, ortum, conficiendi modum &c, clare & diſtincte non intelligant. Præterquam quod etiam merito dici poſſit, nos quid ſit miraculum, clare & diſtincte intelligere, opus videlicet quod Naturæ vires ſuperat, atque adeo iſtud captum noſtrum minime ſuperare.

Et quamvis etiam concederem, omnia quæ clare & diſtincte intelligimus, vel per ſe, vel per aliud quod ita intelligimus debere innoteſcere, male tamen infert Adverſarius pag. 71: *Quare ex miraculo, ſive opere quod captum noſtrum ſuperat, nec Dei eſſentiam, nec exiſtentiam, nec abſolute aliquid de Deo & Natura intelligere poſſumus.* Nihil enim aliud ad ſummum ex Adverſarii pręmiſſis concludi poteſt, quam nos, quid ſit miraculum, clare & diſtincte non intelligere, nempe ſi Adverſarius demonſtraſſet miracula nec per ſe, nec per aliud per ſe notum nobis innoteſcere. At ne iſtud quidem fecit. Falſo itaque & fruſtra aſſerit, *nos ex miraculo, ſive opere quod captum noſtrum ſuperat, nec Dei eſſentiam, nec exiſtentiam nec abſolute aliquid de Deo & Natura intelligere poſſe.* Quod adhuc magis confirmabitur, ſi ponamus (quod Adverſarius negat) Mundum non ab æterno, ſed certo demum tempore exſtitiſſe, quod ſane verum & ingens eſſet miraculum. Iſtud vero miraculum, quamvis captum noſtum ſuperaret, nihil impedit quo minus ex eo merito concludi debeat, aliquam exiſtentiæ mundi eſſe cauſam, eamque non brutam, fortuitam, nec conſilio aut ratione deſtitutam: proinde Dei exiſtentiam optime exinde intelligere poſſumus, ejuſdemque infinitam potentiam, reliquaque divinę naturæ attributa. Quod ſi quis malit credere, nos nihil iſtorum ex iſtiuſmodi miraculo intelligere poſſe, per nos licet; ſed quid eſt cum ratione inſanire, ſi hoc non eſt?

Pergit pag. 71. *Sed contra: cum omnia à Deo* (id eſt Natura, cujus homo pars eſt) *determinata & ſancita eſſe ſcimus* (egregie ſane, abſque ulla probatione. Repono igitur: *cum non omnia à Deo determinata & ſancita eſſe ſcimus*) *& operationes Naturæ ex Dei eſſentia conſequi* (recte, ſi Natura Deus eſt, alias plane falſum) *Naturæ vero leges, Dei æterna decreta & volitiones eſſe.* Naturæ leges Dei decreta & volitiones eſſe, non negaverim, ſed an æterna ejus ſint decreta, plane incertum eſt. Nec id ad quæſtionem pręſentem quidquam facit. Nec etiam debuit Adverſarius dicere, *Naturæ leges eſſe æterna Dei decreta*; ſed ſolas Naturæ leges omnia Dei æterna decreta continere. Quamvis enim concederem Naturæ leges, eſſe ęterna Dei decreta, per ea tamen miracula minime excluderentur, quia poſſunt quædam à Deo ab æterno, præter Naturæ leges, eſſe determinata, vel etiam liberrime ab eo produci. Negamus igitur, nihil præter Naturæ leges fieri (quod hic poni debet, ſi contra nos concluſionem formare velit), nec ab Adverſario quidquam ad id, in quo totius quæſtionis cardo verſatur, probandum adfertur. Ita ex falſis præmiſſis rurſus falſam elicit conſequentiam, quæ nequidem conceſſis præmiſſis admitti poteſt, quia aliud & plus continet quam fuerat in præmiſſis: quæſtio enim erat, *an aliquid de Deo ex miraculis concludi poßit*, non vero, an cognitis rebus naturalibus, eo melius Deus ejuſque voluntas cognoſcatur, & cætera quę Adverſarius admiſcet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Addit pag. 72. *Porro quamvis ex miraculis aliquid concludere poſſemus, nullo tamen modo Dei exiſtentia inde poſſet concludi.* Contrarium ſatis manifeſte modo oſtendimus; ſed audiamus rationem, qua ſuam ſententiam ulterius probat Adverſarius: *nam cum miraculum opus limitatum ſit, nec unquam niſi certam & limitatam potentiam exprimat.* Niſi poſterius membrum prioris ſit explicatio, utrumque negabimus: creatio enim Cæli & Terræ, ſive totius Univerſi, ipſiuſque denique Naturæ (ut de mortuorum reſuſcitatione, membrorum deficientium reſtitutione, Naturæ ipſius deſtructione, quarum potentia Deo minime denegari poteſt, ſi Deus eſſe concedatur, quod Adverſarius facere videri vult, nihil nunc dicamus) opus limitatum appellari nequit, quatenus *certam & limitatam potentiam exprimit.* Nunc enim iſtud miraculum in medium proferimus, quod ſane ſi ponatur factum eſſe, non finitam vel limitatam, ſed infinitam potentiam exprimit, quemadmodum & cætera quę modo innuimus miracula. Præterea, ipſe Adverſarius contendit, potentiam Naturę eſſe infinitam, pag. 69 & hic paulo inferius, id vero inde vult concludere, quod Naturæ potentia ſit ipſa Dei potentia. Unde vero magis conſtat Dei potentiam eſſe infinitam, niſi ex miraculo creationis Cæli & Terræ, ipſiuſque adeo Naturæ. Quod ſi igitur Dei potentiam infinitam eſſe credit Adverſarius, quo pacto unquam negare poteſt, ipſum aliquid pręter vel contra Naturæ leges agere poſſe? Quandoquidem impoſſibile eſt, ut is qui aliquid fecerit, idem deſtruere non poſſit. Si ergo Deus Naturæ leges, quas ipſe fixit, vel in univerſum, vel ad tempus deſtrueret, quo quæſo pacto quis propterea de primis notionibus vel de omnibus rebus & ipſa Dei eſſentia, unquam vel minimum dubitare poſſet? Nulla itaque eſt cauſa, cur Deus nihil contra Naturæ ordinem faciat, quam quia Naturæ ordinem nunquam, ne ad breve quidem tempus, interrumpere velit. At vero unde conſtat Adverſario, Deum hoc nunquam facere velle? Hic ipſi aqua hæret, nec quidquam proferre poterit, niſi quod per Deum Naturam ipſam intelligat, cujus potentia (quod etiam aliquoties indicat) non ſit libera ſed determinata, qualem Deum Athei magno ſuo malo fingunt. Probet igitur Naturam eſſe Deum, & Deum neceſſario, non libere agere.

Pergit pag. 72: *Certum eſt nos ex tali effectu non poſſe concludere exiſtentiam cauſæ, cujus potentia ſit infinita.* Primum negavimus, miracula ſemper limitatam potentiam exprimere, & exemplo creationis totius Univerſi planum fecimus nos id merito negaſſe: quare falſa eſt hęc Adverſarii concluſio. Addimus præterea, multa recenſeri in Sacra Hiſtoria miracula, quæ non minus infinitam exprimant potentiam, qualia ſunt motus ſolaris inhibitio, mortuorum reſuſcitatio, & creatio membrorum in corpore alicujus hominis, plane deficientium, quales Græci Κυλλὸς, latine multilos appellant, & à Chriſto ſanitati reſtitutos eſſe Matth. 15. 30 expreſſe indicatur. Talia vero procul dubio infinitam potentiam ejus qui ea facit, omnino arguunt, quia inter vitam & mortem, tanta eſt diſtantia, ut infinita potentia ad talia efficiendum requiratur.

Addit pag. 72. *Sed ad ſummum cauſæ, cujus potentia major ſit.* Non exprimit cau-

ſas, quarum potentia iſta potentia major ſit, ſed neceſſario erunt homines, qui talia vident, quæ nemo ipſorum præſtare poteſt. Si ergo talia miracula potentiam aliquam omni humana, imo reliquarum naturarum viſibilium potentia, majorem arguunt, nulla alia iſta potentia, præter divinam, quæ ad omnia ſe extendit, eſſe poterit, accedente præſertim argumenti proxime à nobis prolati robore.

Addit pag. 72. *Dico ad ſummum: poteſt enim etiam conſequi, ex multis cauſis ſimul concurrentibus opus aliquod, cujus quidem vis & potentia minor ſit potentia omnium cauſarum ſimul, ac longe major potentia uniuſcujuſque cauſæ.* In creatione autem cæli & terræ nullæ cauſæ naturales potuerunt concurrere, quia omnes cauſæ naturales cælo & terra continentur, quę ſeipſas producere non potuerunt. Earum ergo productio, unam aliquam cauſam, cujus potentia, ſcientia & artificium plane ſint infinita, apertiſſime evincit.

Pag. 72. *At quoniam Naturæ leges (ut jam oſtendimus) ad infinita ſe extendunt.* Nos vero te id non oſtendiſſe non modo; ſed etiam id plane falſum eſſe, reſponſione ad pag. 69 oſtendimus. Negat Adverſarius miracula fieri poſſe; miracula autem ſub *omnibus* comprehenduntur, quare ipſo Adverſario judice, non ad omnia ſe Naturæ leges extendunt, nec ad infinita.

Et ſub quandam æternitatis ſpecie à nobis concipiuntur. Ita falſo concipiuntur. Iſtud enim ita ſe habere negamus.

Et Natura ſecundum eas certo atque immutabili ordine procedat. Et hoc falſum eſſe aliquoties diximus & oſtendimus; à te vero probari debuit.

Ipſæ nobis eatenus Dei infinitatem æternitatem & immutabilitatem aliquo modo indicant. Sed quis eſt iſte Deus, cujus æternitatem &c, Naturę leges indicant? Deum tu Naturam eſſe fingis: Naturæ vero leges (ad minimum nobis incognitæ, revera autem ab Adverſario confictæ) ſui ipſius æternitatem &c, indicare non poſſunt, & multo quidem minus quam miracula, ſive opera cauſę ſuperioris, quæ terminos, immenſè à ſe invicem diſtantes connectere potens eſt, prout jam oſtendimus. Reliqua quæ ſequuntur omitto, quia nihil continent præter repetitionem eorum quæ antea ab ipſo dicta & à nobis refutata ſunt.

Ad tertium quod ſe probaturum ſuſceperat, antequam progrediatur, pag. 73 oſtendere conatur ex ipſa Sacra Scriptura, *quod ex miraculis Deum non poſſumus cognoſcere*, idque non expreſſis S. Scripturæ teſtimoniis facit, ſed per conſequentias. Concedit vero ipſe Adverſarius, circa finem pag. 74, *miracula facere, ut homines concedant dari Numen, omnibus rebus ipſis notis potentius.* Quo conceſſo, cauſa plane cecidit. Hoc enim conceſſo planum eſt, nos ex miraculis Dei exiſtentiam intelligere poſſe. Nota enim erant tunc hominibus Sol, Luna, aſtra, Natura, totus Mundus, & tot hominum & beſtiarum potentiſſimorum myriades: quibus omnibus nihil potentius eſſe poteſt præter ipſum Deum, iſtorum omnium creatorem. Sed argumenta Adverſarii examinemus.

Pag. 73. Primum ex eo eſt deſumtum, quod Scriptura, Deut, 13. (& alibi) indicat, mira-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

miracula à falſis etiam prophetis edi poſſe. *Ex quo conſequitur homines, niſi vera Dei cognitione & amore probe ſint muniti, æque facile ex miraculis falſos Deos ac verum poſſe amplecti.* Fatetur homines *æque facile verum ac falſos Deos ex miraculis,* teſte Scriptura, *amplecti poſſe.* Ergo ſaltem etiam verum Deum poſſe cognoſci ex miraculis, hoc ipſo argumento, Scripturam docere oſtendit. Quid quod ex miraculis, à falſis Prophetis editis, per conſequentiam ipſam veri Dei exiſtentiam intelligere non ſit difficile, quatenus ea tali ſunt, quæ humana potentia producere nequit, qualia ſunt, pluvias, ſerenitatem, tempeſtates & ſimilia excitare. Quæ cum ab ejuſmodi ſubſtantiis effici poſſint, quas S. Scriptura dæmones & nomine diabolorum appellat. Iſti autem à Natura non ſunt producti, & à nemine niſi ab Univerſi conditore produci potuerunt, ex ipſis iſtis miraculis veri Dei exiſtentia recte concluditur. De loco Deut. 13. lib. 2. Cap. 3. Art. *de Propheta ſeductore* diſſeruimus. Quibus hic addimus, locum hunc non docere, ex miraculis (nedum ex omnibus miraculis) quibuſdam, ſed ex hortatione miracula quædam exhibentium, etiam falſos Deos homines poſſe amplecti, quod ex verſus 2 & 3 collatione eſt manifeſtum.

Pag. 73. Alterum argumentum petit Adverſarius ex eo, quod illi qui multa miracula viderant; *nullum tamen de Deo ſanum conceptum formare potuerunt.* Atqui nos negamus eos non *potuiſſe ullum* ſanum de Deo conceptum formare. Ex eo enim quod aliquis non fecit, non poteſt concludi eum id non potuiſſe facere. Negamus preterea eos nullum ſanum conceptum de Deo formaſſe. Manifeſtum enim eſt, eos multos ſanos conceptus de Deo formaſſe. Deum videlicet eſſe omnipotentem, omniſcium, Mundi gubernatorem, bonum, vita & intellectu præditum, & innumera alia, quorum in Sacris Literis expreſſa eſt mentio, homines iſtiuſmodi de Deo conceptus habuiſſe: atque adeo valde temerarie ab ipſo dicitur, *eos* N. B. *nullum de Deo ſanum conceptum formare* N. B. *potuiſſe.* Adverſarius credit, neminem, niſi qui Naturam Deum eſſe credit, id eſt, qui Atheus eſt, ullum ſanum conceptum de Deo formare poſſe.

Pag. 73. Adverſarius, ut oſtendat *Iſraëlitas nullum de Deo ſanum conceptum formare potuiſſe,* experientiam teſtem advocat, & exempla aliquot adducit, quibus illud confirmet. Quamvis autem nullus Iſraëlitarum unquam ullum ſanum de Deo conceptum habuiſſet, inde minime conſequitur, neminem eorum, qui ex miraculis Dei exiſtentiam & alia attributa intelligere ſtudent, *potuiſſe ullum* ſanum de Deo conceptum formare. Id tantum ſequeretur, illos debitam ad id diligentiam non adhibuiſſe. Adverſarius exiſtimat ſe ſuoſque ſaniores de Deo conceptus habere, quam omnes ferme Philoſophi, per multas ſeculorum decades habuerunt, nec tamen inde concludere debet, neminem ante Carteſium vel ſe ipſum alioſve id facere potuiſſe. Præterquam quod jam oſtenderimus, ex Iſraëlitis plurimos, multos ſanos conceptus de Deo habuiſſe.

Pag. 73. Quod vitulum conflaverunt, exinde minime concludi poteſt *vitulum eorum Dei ideam fuiſſe,* quod Adverſarius abſque ulla probatione aſſerit. Conſtat ex antiquis monumentis, Ægyptios (quibus *Apis,* id eſt vitulus, vel bos candidus ſummum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Numen repræſentabat) Dei ęternitatem, omnipotentiam, omniſcientiam, & multa alia divina attributa cognita habuiſſe, quemadmodum *Kircherus* in **Oedipo** ſuo *Ægyptiaco* prolixe oſtendit: quorum religionem cum Judæi exprimere vellent, ex vituli confectione minime concludi debet, illum Dei ideam ipſis expreſſiſſe, nec eos ullum ſanum de Deo conceptum formare potuiſſe, vel etiam formaſſe.

Pag. 73. Quod de Aſapho quoque minime affirmari poteſt ex eo, quod de providentia divina dubitaverit: quandquidem ex tot ipſius Pſalmis manifeſtum eſt, ipſum multa egregie de Deo ſenſiſſe. Quod autem Adverſarius addit, verum de beatitate conceptum, remedium ipſius dubitationi attuliſſe, id more ipſi familiari, abſque ulla probatione dicit: cum in Pſalmo 73 ne gry quidem ea de re habeatur. Ipſe autem *Aſaph* dicit, ſe, cum in Dei ſanctuarium ingrederetur, recordaſſe, Deum impiorum proſperos ſucceſſus intempeſtiva morte præcidere ſolere verſu 17, 18, 19. Atque iſtud eſſe declarat, quo omnem dubitationis nebulam ex animo ſuo ejecerit.

Pag. 73. Quod de Salomone affirmat, eum ſuſpicari omnia caſu contingere, idque ex Eccl. cap. 3. 19, 20, 21. IX. 2, 3 &c probare conatur, id nimis temerarie ipſum facere, perſpicuum eſſe poteſt, verſum ſexti capitis nonum, & cap. 3. 13, 14, 15 inſpicere volentibus, ne alia innumera, quæ contrarium apertiſſime indicant, commemorem.

Addit denique Pag. 73, 74 *omnibus Prophetis*, *valde* etiam *obſcurum fuit*, *quomodo ordo Naturæ & hominum eventus*, *cum conceptu quem de providentia Dei formaverant*, *poſſent convenire*. Quod ego minime negaverim, quamdiu ab hoſtibus ſuis oppreſſi fuerunt. Poſtquam autem ex anguſtiis liberati fuerant, agnoverunt Deum ad breve tempus impiis hujus vitæ gaudia concedere, ut impietatis pœnitentiam agant, quam poſtquam fruſtra exſpectavit, tanto acerbiora ipſis ſunt ſupplicia, quanto majoribus antea abundaverant voluptatibus. Piis vero tanto ſuaviora ſunt gaudia, quanto majoribus antea ob delicta quædam, doloribus circumvallati fuerunt. Vide Pſal. 32. 16, 20, 22, 24. XXXIV. 5, 11, 17, 22, 23. XXXVII. 1, 2, 3, 4. XLIX. 17, 18. Eſai. 3. 10, 11, & alibi paſſim.

Pag. 44. Id quod apertiſſime Scriptura indicat, Deum videlicet *miracula edidiſſe*, *ut hominibus innoteſceret* (vide inter innumera loca Exod. 3. 2 & ſeqq. uſque ad verſum 13. cap. IV. 1, 2, 3, 4, & præcipuę 5) eludere conatur, dicendo miracula id revera non docere, ſed tantum ex præjudiciis Judæorum. Aperte miraculis Deum id intendiſſe teſtatur S. Scriptura, ille vero contendit, Deum ad id tali medio fuiſſe uſum, quod id per ſe efficere non poſſit. Quod etiamſi certum eſſet, tamen hic (ubi ex Scriptura ſe argumentaturum promiſit) non erat iſtud adferendum. Dicit quidem ſe capito ſecundo clare oſtendiſſe, revelationes Propheticas præconceptis hominum, quamvis abſurdis opinionibus fuiſſe accommodatas, nos vero contrarium clare oſtendimus: quare lector, ab utroque noſtrum prolata examinet.

Nunc ad tertium, quod Adverſarius demonſtrare ſuſceperat, procedamus pag. 74 in fine & 75, nimirum ut *ex Scriptura oſtendat*, *Dei decreta & mandata*, *& conſe-*

quenter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quenter providentiam, nihil eſſe revera præter Naturæ ordinem. Non credo Adverſarium id ſerio velle oſtendere (quod propria ipſius confeſſio paulo inferius declarabit: novit enim optime, nihil S. Scripturæ magis eſſe contrarium) ſed tantum ut omnia confundat, & inexercitatorum animos turbet. Statum vero queſtionis clarius explicaturus addit: *hoc eſt, quando Scriptura dicit hoc vel illud à Deo, vel Dei voluntate factum, nihil aliud revera intelligere, quam quod id ipſum ſecundum leges & ordinem Naturæ fuerit factum.* Si Scriptura hoc intelligeret, tum ea deberet ſimul docere, quod Natura Deus ſit: quod quam longe ab ejuſdem ſcopo abſit, non opus eſt pluribus oſtendere: cum ipſe Adverſarius pag. 24 & 25 apertiſſime oſtendat, Scripturam contrarium docere: videlicet *humanas actiones non ex ſolo decreto dirigi: Deum mundum hunc viſibilem ex Chao in ordinem redegiſſe, ſeminaque* N. B. *Naturæ indidiſſe, adeoque in omnia ſummum jus & ſummam potentiam habere: eum ſolam Hebræam nationem curare, reliquas autem nationes curis reliquorum Deorum, à ſe ſubſtitutorum reliquiſſe, & multa ſimilia.* Ex quibus manifeſtum eſt Adverſarium credere, Moſem ſive Scripturam per Dei decreta & voluntatem, longe aliud intelligere, quam *quod aliquid ſecundum leges & ordinem Naturæ factum fuerit:* cum ipſe dicat Moſem docere, Deum Naturę eſſe authorem & creatorem, dum mundum hunc creavit, & Naturæ ſemina indidit: quod profecto *ſecundum leges & ordinem Naturæ factum fuiſſe* iſtorum ſcriptor non potuit credere.

Pergit Pag. 75: *Non autem, ut vulgus opinatur, quod Natura tam diu ceſſavit agere, aut quod ejus ordo aliquando interruptus fuerit.* Audiamus quo pacto per conſequentiam (directe enim Scripturam id non docere fatetur) id quod aſſeruit oſtendat. Ea vero talis eſt: quod multa in Sacris Literis Deo adſcribantur, de quibus tamen non apparet, ea aliter quam naturalibus mediis eſſe facta. Deinde, quod Naturę quædam actiones etiam Deo adſcribantur, ut cum ventus & ignis Dei miniſtri appellantur, cum Deus Iridem in cælo collocaſſe dicitur, & ſimilia. Ad quæ reſpondeo primo: cum Adverſarius pag. 2 & 15 expreſſe voluerit, quicquid de rebus ſupernaturalibus dicere poſſumus, ex ipſa Sacra Scriptura peti debere, ipſi non licere quidquam de talibus affirmare, niſi ex ipſa Sacra Scriptura oſtendat, eam docere id ita ſe habere. Quando igitur Scriptura dicit Deum aliquid feciſſe, quod tamen per Naturalia media factum eſſe docet, omnino concludendum eſt Scripturam docere, Deum, Naturæ curſum, quæ alio ſe vertere potuiſſet, ita direxiſſe, ut is quem voluit, nec alius eventus ſequeretur. Ita cum famulus Saulis author ei fuit Samuelem adire, quod 1 Sam. 9. 15, 16 divinæ miſſioni adſcribitur, id ita accipiendum eſt, quod Deus Saulis ſervo hanc deliberationem in mentem venire fecerit, ut Samuelem adirent, & Samueli in animum induxerit, ut Saulo obvius fieret.

Pag. 75. Ex eo quod Pſal. 105. 24 Deus dicatur Ægyptiorum animos mutaſſe, ut Iſraëlitas odio haberent, cum tamen Exod. 1. naturalis iſtius odii cauſa, multiplicatio videlicet copioſa Iſraëlitarum, referatur, Adverſarius non debet concludere, Scripturam docere Deo adſcribi nuda Naturæ opera; ſed eam docere, Deum Na-

turæ curſum pro ſuo arbitrio moderari, & multiplicationis iſtius Iſraëlitarum proprie dictam cauſam efficientem remotiorem fuiſſe. Atque hanc Scripturæ eſſe mentem ex eo eſt manifeſtum, quod Scriptura doceat, fatente Adverſario pag. 24. 25, Deum Naturam ſive mundum hunc creaſſe eamque gubernari. De Iride etiam expreſſe dicitur, Deum eam in cælo collocaſſe, ex quo concludimus Scripturam docere, Deum Naturam tum demum ita diſpoſuiſſe, ut tempore pluvio nonnunquam iris appareat, quod ante iſtud tempus non contigerat. Probet Adverſarius ex Scriptura (nam de eo nunc tantum quæritur quid illa docuerit, non autem an res ita ut Scriptura docet revera ſe habeat) vel etiam aliquo alio modo, ante iſtud tempus unquam iridem apparuiſſe. Quamvis enim concederem, quod tamen non conſtat eſſe verum, *iridem nihil aliud eſſe, præter radiorum ſolis refractionem & reflexionem, quam ipſi radii in aquæ guttulis patiuntur*, nondum tamen ſequeretur, Scripturam nihil aliud intelligere, cum dicit, Deum iridem in nube dare, de quo nunc quęſtio eſt. Denique cum Scriptura glaciem, nivem & pruinam verbo Dei decidere & rurſus liqueſcere dicit, ventus, frigus & ignis Dei miniſtri vocantur, non apparet eam *nihil aliud velle* indicare, *quam ipſam Naturæ actionem & ordinem.* Sed apertum eſt eam propterea Deo iſta adſcribere, quia expreſſe docuit, Deum non tantum Naturæ vires indidiſſe ad iſta producendum, ſed etiam quia Deus non raro directe iſta præter & contra Naturæ ordinem excitat, quemadmodum ex Exod. 7. 10, 20. VIII. 6, 17, 18, 24. IX. 6, 10, 18, 24. X. 13, 14, 19. XII. 29. XIV. 21, 27. XVI. 13. aliiſque locis manifeſtum eſt. Adde quod, innuente Adverſario pag. 77, multa in Scripturis referantur, de quibus manifeſtum eſt, ea ex legibus Naturæ (quas vocat) conſequi non potuiſſe, vel etiam Naturæ legibus repugnare, de quibus ſaltem dici non poteſt, Scripturam iſta eo quo Adverſarius vult modo, Deo adſcribere. Hinc eſt quod ad talia loca (ad quæ alias ſi cauſæ ſatiſfacere voluiſſet, omnino reſpondere debuit) nullum aliud effugium invenire potuit, quam dicere pag. 77, *plane credendum id à Sacrilegis hominibus Sacris Literis adjectum fuiſſe.* Sed non ſufficit hæc ſacrilego ore vel calamo proferre, probandum hoc ipſi erat. Credendum potius eſt Adverſarium, cum per ejuſmodi relationes S. Scripturæ planiſſime de Dei exiſtentia (entis nimirum quod ipſam Naturam & totum hoc Univerſum creaverit) eſſet convictus, nullum pertinaciæ effugium habuiſſe, quam impudenter & præfracte iſta repudiare, & pro falſis habere, quia directe opinionibus ſuis repugnare cognoverat.

Rationem adſertionis ſuæ hanc adfert pag: 77. *quicquid enim contra Naturam eſt, id contra rationem eſt, & quod contra rationem id abſurdum eſt, ac proinde etiam refutandum.* Vereor ne dedita opera lectores decipere conetur Adverſarius: aliud enim eſt *contra Naturam*, aliud vero *ex Naturæ* (quas vocant) *legibus aliquid conſequi non potuiſſe*, vel *iiſdem repugnare.* Quod *contra Naturam eſt*, id plane eſt impoſſibile, qualia ſunt ut ignis ſit frigidus, bis duo ſint quinque, contradictoria ſimul ſint vera, dies ſit nox, & ſimilia. Talia vero non ſunt miracula, quæ in Sacris Literis recenſentur, v.g. ut vel motus ſolaris vel terreſtris globi per aliquot horas inhibeatur, ut mortuus in vitam revocetur, membrum

aliquod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

aliquod deficiens reſtituatur, & ſimilia. Cum enim Adverſarius ſtatuit Pag. 69, *Naturæ potentiam eſſe infinitam, & ad infinita ſe extendere*, tanto minus negare poteſt, Dei, qui Naturæ eſt author, potentiam ad omnia ſe extendere, videlicet quę contradictionem non implicant. Concedimus igitur Adverſario, *quicquid contra Naturam eſt, contra rationem & abſurdum eſſe*, ſed negamus in Scriptura narrari quidquam revera factum eſſe, *quod contra Naturam ſit*. Quamvis enim verum ſit, Naturæ legibus repugnare, ſive ex iis nullo modo conſequi potuiſſe quædam, quę Sacra narrat Hiſtoria, ea tamen non ſunt contra Naturam. Quod enim contra Naturam eſt, id plane eſt impoſſibile, & contradictionem implicat, prout ſuperius indicatum eſt. Atque ita ſatis conſtare puto, Adverſarium minime probare potuiſſe, *Scripturam docere, Dei decreta & mandata, & conſequenter etiam providentiam, nihil eſſe revera, præter Naturæ ordinem.*

Pergamus igitur ad quartum Pag. 77, *interpretationem* videlicet *miraculorum, de qua ſe propterea acturum promiſit, ne quis temere ſuſpicetur, ſe aliquid in Scriptura reperiſſe, quod lumini Naturæ repugnet.* Laudo inſtitutum, ſed credo neminem, niſi Adverſario ſimilem id ſuſpicari unquam poſſe. Nec opus eſt ut id oſtendat, cum nemo Chriſtianorum Proteſtantium id unquam de miraculis docuerit. Notet vero lector, Adverſarium fateri ſe pauca tantum recolligere, & præcipua jam dicta eſſe. Itaque nos eorum refutationi non diu immorabimur, quandoquidem ad pręcipua jam ſufficienter reſpondimus. Sic autem rem iſtam conficere vult, ut oſtendat miracula ita eſſe interpretanda, ſupponendo videlicet ea non prout facta ſunt, ſed ex præconcepta ſcriptoris opinione, quædam addendo, alia omittendo referri. Quæ ſi vere eſſent annotata, ea Naturæ tantum fuiſſe opera, facile apparuiſſet. Iſtud vero antequam præſupponat, demonſtrandum ipſi fuit, libros Scripturę Sacræ non eſſe fide dignos (quod tamen hactenus non fecit: qui enim rem prout geſta eſt non fideliter narrat, ei fides tuto adhiberi non poteſt) id eſt, quod ab iis qui hiſtorias Veteris & Novi Fœderis conſcripſerunt, non omnia fideliter referantur, prout acciderunt. Ut idem, quod de profanis ſcriptoribus affirmat, quod nimirum hiſtorias aliter quam geſtæ ſint referant, in Sacris etiam ſcriptoribus locum habere oſtendat, deſcriptionem miraculi, quod tempore Joſuæ accidit, profert, ubi dicitur ſolem & Lunam ſtetiſſe, ex quo colligit, ſcriptorem iſtius Hiſtorię, *partim ex religione, partim ex præconceptis opinionibus rem longe aliter quam prout revera contingere potuit enarraviſſe.* Nec quidquam aliud quo iſtud verum eſſe oſtendat hic adfert. Præſupponit autem, ut videtur, (quod etiam pag. 22 abſque ulla probatione fecit) ſolem quieſcere, terram autem moveri, quod tamen adhuc plane incertum eſt. Et nobis cum tot excellentiſſimis Philoſophis & Mathematicis, quamdiu contrarium nondum clariſſime demonſtratum eſt, tuto ſtatuere licet, ſolem etiam motu diurno & annuo moveri: de Luna enim id utrimque in confeſſo eſt, & de Terræ motu hic nulla eſt difficultas. Conferantur ea quæ ad cap. ſecundum ſuperius diximus. Adverſarius putat Judæos confixiſſe, ſolem & lunam ſtetiſſe, ad Ethnicos convincendum, & comprobandum, *ſolem ſub alterius Numinis imperio eſſe.*

Quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Quibus verbis indicat, ſe id non credere: quocirca mirum non eſt, ſi id pro re impoſſibili habeat. Non poſſum mihi perſuadere, quamvis totus in eo fuerim, ut ejus rei rationes aſtronomicas examinarem, quidquam certi de motu vel quiete ſolis, nec etiam de magnitudine corporum cæleſtium, eorumque ſive à terræ globo diſtantia poſſe ſtatui. Adeo ut nulla ſit juſta cauſa de hiſtoria ſolis & lunæ ſtatione dubitandi. Nec opus eſt, ad miracula Scripturæ interpretandum, opiniones eorum qui ea Scriptis conſignarunt, ſcire (modo nulla ſufficiens ſit cauſa, de eorum fide dubitandi) nec etiam ad id, ne res quæ revera contigerunt, cum rebus imaginariis confundamus, cum talia ut miracula in Scriptura nunquam commemorentur. Atque idcirco id quod Adverſarius ſubjicit pag. 78 in fine & 79: *in Scriptura enim multa ut realia narrantur, & quæ etiam realia eſſe credebantur, quæ tamen non niſi repræſentationes reſque imaginariæ ſuerunt*: plane falſum eſt.

Adverſarius autem, ut id verum eſſe evincat, quædam ex Sacra Scriptura depromit, ad quę ſingulatim reſpondebimus.

Primum eſt, *quod Deus (ſummum ens) è cælo deſcenderit* *Exod.* 19. 28. *Deut.* 5. 28, *& quod propterea mons Sinaï fumabat, quia Deus ſupra eum deſcenderit, igne circumdatus.* Quandoquidem Exod. 3.2 dicitur, *Angelum Jehovæ* Moſi in flamma ignis apparuiſſe, idemque Angelus poſtea verſ. 4, 6, 7 & deinceps Jehova, itemque Deus Abrahami &c appellatur, neceſſe eſt ut is qui Judæis apparuit, non Deus ſummus ipſe, ſed Angelus, ipſius perſonam & nomen gerens fuerit. Quod & Judæos antiquitus credidiſſe, ex Act. 7. 53. Gal. 3. 19. Hebr. 1. 4. 11. 2. XIII. 2 manifeſtum eſt, fatente id Adverſario pag. 7. lin. 18. Negamus igitur Scripturam aperte docere, ſummum Deum in montem Sinaï deſcendiſſe, ſed tantum ipſius Angelum ſive miniſtrum. Imo Deum ſummum poſſe ſe loco movere, non video qua ratione negari poſſit: qui enim aliis rebus facultatem loco-motivam conceſſit, quo pacto ipſe ea deſtitutus eſſe poteſt, & ſic aliis, quod ipſe non habet, communicare? Atque adeo negamus quicquam in eo abſurdi eſſe, ſi ſtatuatur Deum ſummum de Cælo deſcendiſſe.

De Elia nihil opus eſt addere, cum Adverſarius nil niſi dicat, & id quidem quod in Scriptura non habetur.

Deum non habere dextram neque ſiniſtram, quis affirmare poteſt, qui Naturam pro Deo habet? cum homines & beſtiæ iſtis non careant. Ipſum neque moveri, neque quieſcere, contradictorium eſt: ſi nunquam movetur, ſemper quieſcit: ſi nunquam quieſcit ſemper movetur. Ergo neceſſe eſt Deum pro libitu vel moveri, vel quieſcere.

Deum non eſſe in loco, nemo niſi qui Dei exiſtentiam negat, ſtatuere poteſt: qui enim non eſt in loco, is nullibi eſt, nec etiam exiſtit. Si Deus ubique eſt, eſt in omni loco ſive ſpatio, ſive is infinitæ capacitatis ſtatuatur, ſive minus.

Deum abſolute infinitum eſſe, quid ſignificet ambiguum eſt: vel enim id ita intelligit, nihil eſſe in toto Univerſo quod Deus non ſit, quæ procul dubio Adverſarii eſt ſententia, cum Naturam credat eſſe Deum. Nos vero iſtiuſmodi ſapientiam ſupra-

vulga-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

vulgarem averſamur: atque iſto ſenſu negamus abſolute, Deum abſolute infinitum eſſe. Si vero per *abſolute infinitum eſſe* ſignificare velit, Deum abſque ulla limitatione potentiæ cæterorumque ejus (excepta extenſione infinita eſſentiæ, quam nonnulli Deo tribuunt) attributorum, eſſe abſolute infinitum, nihil contra nos exinde inferre poteſt, cum nihilo minus potentia locomotiva ei adſcribi poſſit.

Ad ea quæ mox ex Prophetis adducit, cum non relationes miraculorum, ſed tantum prædictiones rerum futurarum contineant, nihil reſpondebimus, quoniam ad quæſtionem non faciunt. Atquę his puto me ſolide ea quæ Adverſarius de miraculis diſputat refutaſſe. Pergo ad ea quę ex Scriptura adfert, ad oſtendendum *Naturam fixum & immutabilem ordinem ſervare.* Quod rationibus ex Natura ipſa petitis demonſtrare debuit.

Pag. autem 81 id oſtendere vult ex Pſal. 148. 6 & Jerem. 31. 35, 36. Quæ duo loca nude tantum citat, nec verba ipſa, nec quidquam aliud, quo oſtendat ſe verum verborum ſenſum percepiſſe, adfert: quod procul dubio fecit, quia vidit ſe id quod vult, ex iſtis locis minime extundere potuiſſe. Prior locus indicat cælum, ſtellas & aquas ſupra cælos exiſtentes, à Deo certo ordini eſſe alligatas, quem nunquam ſponte tranſgrediantur. Cum vero prior locus nec de terra, nec de animalibus, nec inter ea de hominibus loquatur, quod locus Jer. 31 etiam non facit, falſum eſt id quod Adverſarius affirmat, *Scripturam de Natura in genere affirmare, eam fixum & inmutabilem ordinem ſervare.* Scriptura tantum affirmat, ſidera & mare fixum aliquem ordinem ſervare, quem illa ſponte ſua non poſſint mutare; non vero quod Deus interdum non poſſit illorum ordinem ad breve tempus interrumpere, vel etiam penitus deſtruere, multo minus de hominum actionibus tale quid docet. Scriptura igitur hic Adverſarium nihil juvat. Præterquam quod hic (quemadmodum ubique fere facit) nihil ad eorum argumenta reſpondet, qui ex profeſſo probant, miracula olim edita eſſe.

Pergit pag. 81. Philoſophus præterea in ſuo Eccl. cap. 1. 10 clariſſime docet &c. Si Salomon fuit philoſophus, merito vobis, qui philoſophos vos eſſe jactatis (verius autem miſoſophi dicendi eſtis) opponitur, qui eodem cap. verſu 5, 6 ſoli motum diurnum adſcribit, id quod tu falſum eſſe aſſeris. Idem philoſophus, rerum naturalium indagationem, in quarum cognitione tu ſummum bonum conſiſtere identidem inculcas, *moleſtam & ſollicitam occupationem & vanitatem* appellat cap. 1. 13, 14, & cognitioni rerum naturalium longiſſime præfert fruitionem rerum corpori & externis ſenſibus voluptatem adferentium cap. 2. 24. III. 22. V. 16, 17. IX. 7, 8, 9, 10 & alibi, quæ philoſophia rationi planiſſime congruit, ſi nihil poſt hanc vitam ſperare poſſumus, quemadmodum Salomonem Philoſophum nihil ſperaſſe loca iſta apertiſſime evincunt, nec etiam in Veteri Fœdere (quod & Adverſarius pag. 34 affirmat) aliud ſperarę tenebantur, cum nil niſi terrena ipſis promiſſa ſint.

Addit pag. 81 *nihil novi in Natura contingere.* Si reſponderem, de iſtis quibus Scriptura in Natura nihil novi contingere, & Naturam fixum & immutabilem ordinem ſervare, indicare videtur, *plane credendum ea à Sacrilegis hominibus Sacris Literis adjecta eſſe*

K (quem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

(quemadmodum Adverſarius pag. 77 de miraculis loquitur) ſuo ipſum jugularem gladio, ita enim quilibet eludere poſſet quidquid ipſi diſplicet. Negamus autem Philoſophum docere, *nihil novi in Natura contingere*: nihil enim aliud dicit, quam *nihil novi eſſe ſub ſole*, videlicet in actionibus hominum, & reliquarum rerum naturalium ordinario curſu; non autem loquitur de extraordinariis Dei operibus, quæ præter, contra, vel etiam per ipſum Naturæ ordinem exſequitur. Deum enim multa miracula olim feciſſe, à Salomone fuiſſe creditum, non opus eſt ut oſtendamus. Ac propterea non potuit (ſi ex præconceptis opinionibus fuerit locutus, quod Adverſarius Scriptores Bibliorum feciſſe paſſim urget) docere, nunquam facta eſſe nec fieri miracula. Præſertim cum apertiſſime doceat, Deum Cælum & Terram creaſſe Prov. 3. 19, 20. VIII. 24, 25, 26, 27 &c. Profitetur etiam idem Philoſophus, ſe precibus ſapientiam qua pollebat, à Deo impetraſſe Reg. 3. 9, 10, 11, 12, coll. cum Prov. 2. 6, 7. Si ergo, quod Adverſarius urget pag. 95 & 96, de ſcriptoris ſenſu judicium ſit ferendum ex opinionibus quibus fuit imbutus, ex his autem aliiſque locis manifeſtum ſit, ipſum crediddiſſe miracula olim fuiſſe edita, itemque *peccata hominum cauſam eſſe poſſe pluviæ & fertilitatis*, quod Adverſarius pag. 77 negat (Vide 2 Chron. 6. 26, 28 &c) nullo modo concedi poteſt, Salomonem docuiſſe, nulla unquam miracula facta eſſe. Fruſtra igitur Adverſarius, ut errores ſuos ſtabilat, ad Scripturam confugit, nec ex eadem, nec ex ſana ratione impoſſibilitatem miraculorum ullo modo demonſtrare potuit. Verba Joſephi pag. 82 in ſenſum ab ipſius Joſephi mente plane alienum detorquet: is enim nihil aliud liberum permittit Gentilibus, pro quibus opus ſuum conſcripſit (quod ex prœmio quod operi præfixit apparet) quam ea quæ recenſuit credere: quod etiam lib. 2 cap. 3 circa initium facit, non autem ſibi vel Judæis.

CAPUT VII.

De Interpretatione Scripturæ.

Contenta.

Capite Septimo, obtentu methodum tradendi, ad Sacram Scripturam interpretandum accommodatam, quidquid poteſt corradit, quo ejus authoritatem lubricam reddat, & oſtendat, ejus ſenſum penitus eſſe imperveſtigabilem.

Hoc capite Adverſarius multa egregie, multa etiam male admodum diſputat, de ratione interpretandi Sacram Scripturam.

Primum quod hic occurrit pag. 83 eſt, *Sacrilegos* quoſdam *Scripturam perplurimis in locis adulteraſſe*, quod à nobis negatur, nec ab ipſo probatum eſt, nec probari poteſt unquam, nos vero contrarium mox oſtendemus. Multa pręterea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

terea theologis vere adſcribit, multa etiam falſo & calumnioſe ipſis affingit, quæ non probat. Quod de hiſtoria Naturæ & Scripturæ dicit, ambiguum eſt & obſcurum. Sed ea tantum quæ nos tangunt examinabimus.

Dicit Pag: 85, *miracula judiciis & opinionibus eorum qui ea ſcripſerunt eſſe accommodata, revelationes* autem *opinionibus Prophetarum.* Quod nos jam falſum eſſe demonſtravimus.

Ex ipſa Scriptura de ejus divinitate nobis conſtare debere concedimus, quamvis diverſo forſan ab Adverſarii ſenſu, non autem, *certitudinem Prophetarum ex hoc præcipue conſtare, quod animum ad æquum & bonum inclinatum habebant.* Nos enim ſuperius contrarium oſtendimus, nec non *ex miraculis Dei divinitatem*, vel potius exiſtentiam ejuſque attributa, optime *convinci poſſe.*

Adverſarius, dum methodum Scripturam interpretandi tradere videri vult, totus in eo eſt, ut oſtendat eam minime poſſe intelligi, nec fidem libris qui eam conſtituunt adhiberi poſſe, prout cuivis legenti clariſſime conſtare poteſt. Accedamus igitur ad ipſam methodum, cujus hanc univerſalem regulam tradit Pag: 85, *nihil Scripturæ, tanquam ejus documentum tribuere, quod ex ipſius hiſtoria quam maxime perſpectum non habeamus.* Hanc regulam, quam abſque ulla probatione præſcribit, ut plane obſcuram, falſam & ambiguam, rejicimus. Sed ſi loco *ipſius hiſtoriæ* ſubſtituat Scripturam, libenter eam amplectemur. Negamus enim, ad mentem Scripturæ percipiendum neceſſario requiri, ut iſta omnia quæ Adverſarius recitat, ſciamus, quæ ſub tribus capitibus complectitur: quorum primum eſt ſub finem pag: 85.

Naturam & proprietates linguæ, qua libri Scripturæ ſcripti fuerunt, & quam eorum Authores loqui ſolebant, ſcire. Iſtud quidem ut omnia Scripturę dogmata intelligamus omnino neceſſarium eſſe concedimus, non vero ut præcipuorum, & ad ſalutem neceſſariorum ſenſum percipiamus, ne quidem eorum quæ ſcitu valde ſunt utilia: non magis quam id neceſſarium eſt, ad mentem alterius cujuſvis ſcriptoris, qui lingua exotica ſcripſit, modo in vernaculam linguam ſit converſus, inveſtigandum. Præſertim cum tot Scripturæ extent verſiones, quæ in tam multis plane conveniunt, ut ex illis de pleriſque rebus, facile à quovis idiota judicium fieri poſſit.

Alterum quod Pag. 86 proponit, huc redit, ut ſententias uniuſcujuſque libri colligamus, eaſque ſecum invicem conferamus. Quod quidem hactenus concedimus, ſed tamen in eo minime acquieſcimus, & putamus etiam neceſſarium eſſe, ut ſententias unius, cum alterius ſcriptoris, & cum ipſa experientia conferamus: & ſi quis ſenſus alterius ſcriptoris ſententiis, ad idem Fœdus (Vetus videlicet vel Novum) pertinentibus, vel ipſi experientiæ repugnare comperiatur, illum ut falſum & à mente ſcriptoris alienum rejici debere. Quod propterea monemus, quia certi eſſe putamus nihil occurrere poſſe in S. Scriptura, quod eo modo contrarium eſt vel aliis S. Scripturæ locis, vel experientiæ: prout Capite 12 libri ſecundi, nec non Introductione ad intellectum S. Scripturæ, D. Brenii operibus prefixa, docuimus.

Pag: 86 Pergit ulterius mentem ſuam explicare Adverſarius, addens. *Atque eas ſen-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

tentias hic obſcuras & claras voco, quarum ſenſus ex contextu orationis facile vel difficulter elicitur. Nos autem, quas Tu ſententias obſcuras vel claras appelles, non curamus, ò bone! nec quærimus, ſed quas tales eſſe nobis demonſtres. Non enim concedimus, unquam in Scriptura ſententias ſcriptorum revera ſibi invicem, vel etiam experientiæ repugnare, nec id hactenus oſtendere potuit Adverſarius, prout ſuperius docuimus. Eas autem ſententias nos claras vel obſcuras vocamus, quarum ſenſus vel ex contextu orationis, vel ex alterius ſcriptoris Veteris aut Novi Fœderis, vel aliis circumſtantiis, verus eſſe ſenſus facile vel difficulter deprehenditur.

Quare fruſtra Adverſarius addit: *at non quatenus eorum veritas facile vel difficulter ratione percipitur.* Nihil enim in Scriptura oſtendi poteſt, cujus ſenſus veritas ratione non poſſit percipi.

Pergit. *De ſolo enim ſenſu orationum, non autem de earum veritate laboramus.* Non concedimus unquam ſenſum Scripturæ veritati repugnare, nec id probare poterit Adverſarius, prout jam demonſtratum eſt, & inferius magis adhuc manifeſtum fiet. Prius itaque conſtare debet, an ſenſus Scripturæ ſit verus, antequam de ſenſu verborum certi eſſe poſſimus. Nec ullus ſenſus ut genuinus admitti debet, de quo conſtat eum non eſſe verum. Et ſimulatque conſtat aliquem ſenſum cum veritate pugnare, firmiter concludendum eſt, nos verum verborum ſenſum minime percepiſſe. Atque hoc quidem totum iſthoc innititur fundamento, quod omnino certi ſimus, nihil in Sacra Scriptura reperiri quod non ſit verum. Iſtud autem ideo præſupponimus, quia ab aliis eſt oſtenſum id ita ſe habere. Quorum rationes Adverſarius, ſi hic quidquam præſtare vellet, refutare debuit. Et quamvis Adverſarius multa, quæ Scriptura de Deo clare docet, pro abſurdis & cum ratione pugnantibus habet, nullibi tamen probat ea talia eſſe. Cujuſmodi inter alia eſt pag. 87, *quod Deus ſit Zelotypus*, eo videlicet ſenſu, quod pati nolit, honorem ſibi debitum, ipſo non jubente, alteri deferri. Dicit quidem hanc Moſis ſententiam, *Deus eſt Zelotypus*, à ſe credi rationi repugnare, ſed non probat eam rationi repugnare; nos autem eam cum ratione optime convenire credimus. Ejuſdem naturæ eſt, quod Deus ſit legiſlator, & leges ferat ut Rex, quod iraſcatur, quod loqui poſſit, & ſimilia, de quibus Adverſarius oſtendere debuit, ea Deo adſcribi non poſſe, idque aperte, & abſque fuco. Nunc enim in toto tractatu ſuo tacite præſupponit, Naturam ſive Univerſum hoc Deum eſſe, vel potius, ut Atheiſmi notam effugiat, Deum appellari debere, atque ei talia non convenire. Dolendum eſt Atheos, ob periculi metum cogi adeo occulte agere, nec nobis cum illis aperto Marte congredi licere, ut in tanti momenti negotio utrimque cernere liceat, quid quiſque pro ſuæ cauſæ defenſione adferre poſſit.

Tertium caput hoc eſt pag. 87. *Denique enarrare debet hæc hiſtoria, caſus omnium librorum Prophetarum, quorum memoria apud nos eſt; videlicet vitam, mores, ac ſtudia authoris uniuſcujuſque libri, quiſnam fuerit, qua occaſione, quo tempore, cui & denique qua lingua ſcripſerit.* Confundit hic multa, quorum quædam, ut mentem verborum alicujus ſcriptoris percipiamus, multum juvant; qualia ſunt occaſio & tempus ſcribendi

bendi, perſonæ quibus quis ſcripſerit, & lingua qua quis in ſcribendo fuit uſus: nec ad id tamen abſolute ſunt neceſſaria, niſi in pauculis quibuſdam S. Scripturæ locis, quos ſive intelligamus, ſive minus, non adeo multum refert. Quędam eorum quæ Adverſarius requirit eo faciunt, ut an vera quis ſcripſerit credere inducamur, ut ſunt vita, mores & ſtudia authoris. Cum tamen hoc capite ſe tantum de Scripturæ interpretatione acturum promiſerit. De S. Scripturæ authoritate ex profeſſo agit Socinus, Tractatu *de Authoritate S. Scripturæ* & in *Lectionibus Sacris*, noſque ipſi Cap. 12 & lib. 2. lib. 6, ubi oſtenditur, libros Veteris & Novi Inſtrumenti, non tantum à viris, quibus fides in omnibus quæ ſcripſerunt & docuerunt ſit habenda, eſſe conſcriptos, ſed etiam incorruptos ad nos perveniſſe, & objectiones in contrarium ſolidiſſime diluuntur. Alias, ne quid deſiderari poſſet, nos id totum feciſſemus. Præſupponimus igitur, donec Adverſarius ad Socini & aliorum argumenta reſponderit, nobis optime conſtare, libros Veteris & Novi Fœderis eſſe divinos, & incorruptos ad nos perveniſſe, quamvis hoc ad id, ut mentem iſtorum ſcriptorum intelligamus, nihil faciat.

Addit in fine pag. 87. *Nam ut ſciamus quænam ſententiæ tanquam leges proferantur, quænam vero tanquam documenta moralia, refert ſcire vitam, mores ac ſtudia authoris.* Hoc nihil omnino ad id ſciendum refert, ſed iſtud ex ipſis ſcriptoris verbis, & modo quo quid proponitur intelligi debet & poteſt. Frequenter enim quis aliquid ut leges & documenta moralia proponit, cujus contrarium vita & mores ipſius exprimunt, quod apud omnes in confeſſo eſt. Reliqua quæ hoc paragrapho ſequuntur, nihil continent præter repetitionem eorum quæ jam refutata ſunt.

Quæ paragrapho ſequenti pag. 88 in principio diſſerit, non reprehendo, niſi quod dicat, *neminem unquam fuiſſe, qui de ſenſu verborum Scripturæ, quibus docetur Deum eſſe unicum, eum ſolem adorandum eſſe, eum omnes curare, & ſimilia ambegerit.* Apparet eum in quæſtionibus Theologicis valde rudem eſſe, & ſimul quanta cum temeritate multa abſque probatione aſſeverare audeat. Præſertim cum ipſemet non tantum de iſtis dubitet, ſed ea plane falſa eſſe credat.

Hoc autem præterire non poſſum, quod dicit: *Quid autem Deus ſit, & qua ratione res omnes videat, iiſque provideat, hæc & ſimilia ex profeſſo Scriptura non tractat &c.* Quibus addantur ea quæ pag. 164 his verbis adjungit: *Cæterum quid ſit Deus: an ſcilicet ſit ignis, ſpiritus, lux, cogitatio, &c, id nihil ad fidem facit.* Primo falſum eſt *Scripturam ex profeſſo non tractare quid Deus ſit*: docet enim eum eſſe ſpiritum Joh. 4. 24. 2 Cor. 3. 17. Docet præterea, fatente ipſo Adverſario pag. 24, 25, Deum eſſe ens in omnia poteſtatem habens, qui Mundum & omnia creaverit & gubernat, ratione & ſumma potentia & ſapientia eſſe præditum, ac non eſſe hominem, proinde nec *ignem, cogitationem & ſimilia.* Qui vero aſſerunt, talia ad fidem non pertinere, nec etiam, an Deus ſit lapis, mundus, aſtra, aqua & cætera quæ hic mundus complectitur, ſi jure Athei appellari non poſſunt, nullus unquam Atheus eſſe poteſt: nam facile quilibet, ut nomen Athei declinet, rei cuipiam, quæcunque tandem

ſit, Dei nomen imponere, & ſic ab Atheiſmi crimine ſeipſum extricare poſſet. Quemadmodum, ſi quis negare vellet dari ignem in rerum Natura, & ne propterea male audiat, dicat ſe non negare dari ignem, nomen ignis lapidi, vitro vel alteri rei imponat. Is negare aliquid dicitur, qui non credit tale quid exiſtere, quod vulgo eo nomine vel vocabulo deſignatur, quemadmodum nomine Dei, omnes, Atheis exceptis, intelligunt tale ens, quale modo deſcripſimus. Cum igitur Adverſarius Naturam, mundum, aut aliam rem præter illud ens, Deum appellat; Atheiſmi crimen evitare non poteſt. Si Deus tale ens eſt quale Scriptura eum eſſe docet, multum ad fidem facit, eum non aliter concipere: quia ſi quis Deum *ignem, cogitationem* vel ſimiles res eſſe exiſtimet, non poterit nec debebit eum colere, nec etiam cultu religioſo dignus eſt.

Pag. 88. *Qua autem ratione Deus res omnes videat, iiſque provideat*, nec docet Scriptura, nec etiam noſtra refert id ſcire, & fortaſſis nobis incomprehenſibile id foret quamvis doceret Scriptura: tanto minus id ex principiis luminis naturalis intelligi poteſt. Adverſarius autem, cum Naturam, cujus homo pars eſt, Deum eſſe credit, per Dei providentiam nil niſi fatum intelligit.

Pergit pag. 89. *Sed contra Prophetas circa hæc non conveniſſe, jam ſupra oſtendimus.* Nos vero demonſtravimus eum id non oſtendiſſe.

Addit ibidem. *Adeoque de ſimilibus nihil tanquam doctrinam Spiritus Sancti ſtatuendum, tametſi lumine naturali optime determinari poſſit.* Si hoc verum eſt, tanto melius ab ipſo Deo determinari poſſet. Sed oſtendat *lumine naturali optime determinari poſſe, quomodo Deus omnes res videat, iiſque provideat.* Et tum quilibet videbit, eum iſta de fatali rerum naturalium concatenatione explicaturum.

De ſenſu verborum Chriſti Matth. 5. 4, 17, 39, 40, non lubet cum Adverſario diſputare, quamdiu Chriſtum pro infallibili doctore & legiſlatore non agnoſcit, ſine quo nihil cum ipſo proficeremus. Et ſi quid Adverſarius proficere voluiſſet, ad aliorum qui de non reſiſtendis inimicis ex profeſſo ſcripſerunt, rationes reſpondere debuit. Quales ſunt *Brenius, Wolzoginus, Zwikkerus,* aliique. Quod cum non fecerit, licebit nobis tantiſper præſupponere, Adverſarium nil niſi nugas proferre, ad quas iſti viri jam dudum reſponderunt.

Pag. 90 viam nobis prælucere ſatagit, quomodo *mens Prophetarum in rebus mere ſpeculativis ſit eruenda.* Ad quod pro fundament oſternit, *Prophetas in rebus mere ſpeculativis inter ſe diſſentire, & rerum narrationes præjudiciis cujuſque ævi maxime eſſe accommodatas,* idque ſe jam oſtendiſſe affirmat. Quod nos falſum eſſe probavimus, atque adeo omnino licet, imo neceſſe eſt, *mentem unius Prophetæ ex locis clarioribus alterius concludere atque explicare.* Cum omnes eodem Spiritu Sancto afflatos (qui nec diverſas neque contrarias fovet ſententias) Prophetias protuliſſe Apoſtolus Petrus 2 Pet. 1. 21 & Paulus 2 Tim. 3. 16 aperte teſtentur. Quæ teſtimonia ſi Adverſarius rejicit, oportet ad ea quæ alii de authoritate S. Scripturæ ſcripſerunt, ſolide reſpondeat. Modum autem intelligendi mentem Sacrorum Scriptorum, non eſt quod ab Adverſario diſcamus, cum alii jam

dudum

dudum luculentiſſime eum tradiderint, & multo quidem perfectius quam ille, qui pag. 91 fatetur, *ſuam methodum nihil aliud inveſtigare docere, quam quid revera Propheta viderint aut audiverint, non autem quid hieroglyphicis illis ſignificare aut repræſentare voluerint.* Methodus vero, quam alii indicarunt, hoc poſterius etiam luculenter docet.

Poſtquam methodum Sacram Scripturam interpretandi, quam Adverſarius docet, examinavimus, ad obſcuritatis ejuſdem cauſas, quas inſuperabiles eſſe exiſtimat, ut omnem Scripturæ uſum nobis eripiat, deſcendamus. Quarum primam quærit in linguę Hebraïcæ cognitione: in qua quinque obſcuritatis cauſas, ab aliis jam indicatas, annotat. Quæ omnes ab iſtius linguæ peritis ſunt explicatæ, atque enodatæ, adeo ut in eo nihil amplius deſiderari poſſit, præterquam pauciſſimarum herbarum, animalium, & inſtrumentorum muſicorum nomina, quorum ignoratio exiguam admodum difficultatem, ad paucorum locorum interpretationem, quorum uſus admodum exilis eſt, relinquit. Nec opus eſt tantum concedere, quantum Manſſeldius hic & alibi Adverſario abſque neceſſitate imprudenter concedit. Cum autem Adverſarius pag. 91 & 92 oſtenderit, linguam non poſſe corrumpi, hinc ſequitur illam obſcuritatis cauſam facile ſuperari poſſe. Sequitur etiam perinde eſſe, ſive linguam ab antiquis, ſive à recentioribus iſtius nationis ſcriptoribus, per regulas grammaticales, rhetoricas & dictionaria diſcamus. Prętenquam quod Hebraicæ linguæ notitia, qua Vetus Fœdus eſt conſignatum, omnino carere poſſumus, idque duplici nomine. Primum quia Fœdus Novum nunc promulgatum eſt, cujus articuli ſive conditiones, & cætera eſſentialia, Græca lingua ſunt conſcripta, quæ iſtis difficultatibus, quas Hebræa habet, omnino eſt libera. Deinde quia & ipſum Vetus Fœdus, ab Antiquiſſimis Hebręis in Græcam linguam eſt interpretatum. Ex quibus liquido conſtat, iſtius linguæ (quam Adverſarius obtendit) ignorationem, nullam difficultatem parere. Videantur Iſaaci Voſſii de hac materia eruditiſſimæ diſſertationes: Et ſic prima obſcuritatis cauſa, ex lingua exotica orta, evaneſcit.

Quando vero Adverſarius pag. 95 concedit, mentem unius Prophetæ vel Apoſtoli in rebus uſum vitæ ſpectantibus, per verba alterius explicari poſſe, nulla ratio excogitari poteſt, cur id in cæteris non eſſet licitum. Modo conſtet eos fidos & veraces eſſe, & rerum de quibus ſcribunt optime gnaros, neceſſario fatendum eſt unius ſcripta ad alterius ſcriptoris explicationem inſervire poſſe & debere, quia veritas ſemper eadem & ſibi conſona eſt. Scriptores autem Veteris & Novi Fœderis tales fuiſſe, eorumquę ſcripta incorrupta ad nos perveniſſe, tantiſper præſupponimus, donec ad rationes quibus id ab aliis, quos ſuperius aliquoties citavimus, oſtenditur ſufficienter fuerit reſponſum.

Quod igitur Adverſarius in fine pag. 94 dicit: *Ex hac linguæ Hebreæ natura tot oriri ambiguitates, ut nulla dari poßit Methodus, qua eæ omnes determinari queant &c:* nihil eſt. Eſt enim Methodus quæ omnes facile tollit, quatenus videlicet neceſſarium eſt, & notabilis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

tabilis aliqua utilitas exigit. Ea vero eſt collatio Veteris cum Novo Fœdere: Novum enim ſcopum Veteris, & quid Deus per illud intenderit, planiſſime explicat. Imo cum Vetus Inſtrumentum Chriſtianis nec credendi, nec vivendi regula ſit, hinc conſequitur Veteris Fœderis mentem nobis non eſſe ſcitu neceſſariam. Ne dicâm, minime eſſe neceſſarium, ut omnes ex lingua Hebręa ortę ambiguitates determinentur.

Pag. 95 dicit Adverſarius, *collationem orationum Propheticarum, caſu tantum orationem aliquam poſſe illuſtrare, quandoquidem nullus Propheta eo fine ſcripſit, ut verba alterius aut ſua ipſa ex profeſſo explicaret.* Iſtud argumentum nullius plane eſt efficaciæ. Quoties enim contingit, ut locus alicujus ex antiquis prophanis ſcriptoribus, per locum alterius ſcriptoris, qui de eadem re diſſerit, ab illis qui notis & commentariis ſuis antiquorum ſcripta illuſtrant, explicetur: cum tamen certum ſit, ſcriptores iſtos *eo fine minime* ſcripſiſſe, ut verba alterius vel ſua ex profeſſo explicarent? Conferantur *Salmaſii Epiſtola de coma, Gruteri, Blancardi, Heinſii, Lipſii, Eraſmi* & omnium fere modernorum notæ in *Livium, Ovidium, Virgilium, Iuſtinus, Cæſarem, Procopium* & omnes ferme antiquos Hiſtoricos, oratores & Poëtas. Reſpectu Prophetarum id caſu fieri concedimus; ſed Dei reſpectu, qui omnia, præſertim quæ ipſius inſtinctu fiunt, dicuntur aut ſcribuntur (quod Petrus de Prophetarum concionibus teſtatur 2 Pet. 1. 21) ſapienter dirigit, minime. Cum enim nil niſi veriſſima & certiſſima Prophetas & Apoſtolos docuiſſe vel ſcripſiſſe merito præſupponamus, neceſſario ſequitur omnia quę de iiſdem rebus ſcripſerunt vel docuerunt, omnino conſona eſſe, atque adeo unius verba per alterius legitime explicari poſſe & debere. Altera Adverſarii ratio, qua dicit ſe oſtendiſſe, *mentem unius Prophetæ ex mente alterius concludi non poſſe in rebus quas mere ſpeculativas* appellat, eam nos antea ſatis refutavimus.

Excogitavit Adverſarius methodum Scripturam interpretandi, quæ eo tendit, ut oſtenderet eam minime intelligi poſſe. Quoniam vero primam ipſius difficultatem, ut ſpero, feliciter ſuperavimus, ad reliquas minoris momenti deſcendamus. Altera igitur quam objicit Pag: 95 in eo ſita eſt, quod *ipſius methodus hiſtoriam caſuum omnium librorum Scripturæ exigit.* Qui ergo ipſius methodum non admittit, de iſta hiſtoria non eſt quod ſit ſollicitus. Noſtra enim methodus jubet, ut in omnibus libris Veteris Inſtrumenti, de quorum authoritate, depravatione, ſenſu aliiſve circumſtantiis dubitamus, ad Chriſti doctrinas & Apoſtolorum epiſtolas confugiamus (quæ omnia incorrupta ad nos perveniſſe, lib. 2 capite 6 oſtendemus) in quibus ſi nulla de iſtiuſmodi rebus deciſio inveniatur, non eſt quod anxie de iſtis ſimus ſolliciti, cum Vetus Fœdus non amplius noſtræ fidei & morum regula exiſtat, modo pro falſis non habeamus quæ non intelligimus. Præterea oſtendimus veram methodun Scripturam interpretandi, non exigere hanc hiſtoriam, & quę pręterea requirit Adverſarius, quod deinceps clarins pateſcet.

Addit enim pag. 95: *cujus* (Hiſtoriæ caſuum) *maximam partem ignoramus.* Etſi eam ignoraremus, id ad ſenſum librorum percipiendum, (de quo hic tantum erat agendum, non vero de authoritate librorum) nihil facit. Adeoque negamus, veram methodum

thodum Scripturam interpretandi, exigere hanc hiſtoriam. Ad mentem libri alicujus intelligendum, nihil neceſſarium eſt, præter conſiderationem eorum quæ ſcripta ſunt. Sed ut exacte omnia quæ ſcribit intelligamus, neceſſe eſt præterea, ut ſcopus ſcriptoris, occaſio ſcribendi & ſimilia perſpecta habeamus. Hęc autem omnia in Scriptis Veteris, pręcipue vero Novi Fœderis, in neceſſariis cuivis obvia, in reliquis ſuperabilia, in pauculis quibuſdam non neceſſariis, & parum utilitatis habentibus, incognita ſunt. Sed poſtrema hæc abſque ſalutis periculo præterire poſſumus. Quæ omnia capite ſequenti latius explicabimus & oſtendemus.

Pergit pag. 95. *Multorum enim librorum authores, vel (ſi mavis) ſcriptores, vel prorſus ignoramus, vel de iiſdem dubitamus, ut in ſequentibus fuſe oſtendam.* Ubi igitur ad ſequentia iſta deventum erit, fuſius ad ea reſpondebimus. Notandum eſt autem Adverſarium nihil iſtorum de libris Novi Fœderis dicere, & in Veteris Fœderis librorum non exigua parte, hæc etiam locum non habere oſtendemus.

Addit pag. 95. *Deinde, neque etiam ſcimus qua occaſione, neque quo tempore hi libri, quorum ſcriptores ignoramus, ſcripti fuerint.* Nec hoc concedimus, & ſi concederemus, non multum in eo ſitum eſſet. De Novi Fœderis libris id plane negamus, de reliquis etiam non concedimus. Et cum plerique libri Vetris Fœderis ſint hiſtorici, nihil refert tempus & occaſionem ſcribendi ſcire, modo de veritate hiſtoriæ certi ſimus. Quod ad libros Propheticos attinet, ex iis qua occaſione Prophetiæ ſint editę, facillime inveſtigari poteſt, cum iſtæ circumſtantiæ in omnibus ferme ſint expreſſę.

Neſcimus præterea in quorum manus libri omnes inciderint. Nec id ſcire noſtra refert, modo non ſint depravati. Quod ſi quis ſtatuere velit, rationes cur id ſtatuat in medium proferat, & ad eas quæ in contrarium adferuntur reſpondeat.

Neque in quorum exemplaribus tot variæ lectiones repertæ ſint. Quid tandem non proferet, ut librorum iſtorum authoritatem lubricam reddat? Cum tantum ea nunc adferre debuerit, quæ ad mentem librorum percipiendam pertinent: Sufficit ſi collatio exemplarium variantes lectiones indicet: quarum annotatio ſummam annotatorum fidelitatem arguit, & libros incorruptos ad nos perveniſſe efficaciſſime demonſtrat: quia nulla eſt varietas in re ipſa, ſed tantum quæ ſcribarum oſcitantiam, vel in illis humanę naturæ imbecillitatem indicet. Præterquam quod optime ſciamus, in quibus exemplaribus lectio variet.

Nec denique an non plures aliæ fuerint apud alios lectiones. Hoc & reliqua quæ adfert de hoc tractatu Theologico-politico etiam ignoramus: nec tamen iſtud nos habet ſollicitos. Ex iis quæ ſcribit ſententiam ipſius expiſcamur, nec quidquam aliud requiritur.

Pergit pag. 95. *Si quem librum res incredibiles aut imperceptibiles continentem, vel terminis admodum obſcuris ſcriptum legimus.* Hæc omnia in Scriptura locum habere jam antea indicavit. Per *res incredibiles* miracula, per *imperceptibiles* ea quæ lumini Naturæ repugnare, aut ex ejus principiis deduci non poſſe exiſtimat, per *terminos obſcuros* Pro-

phericas revelationes intelligit. De ſingulis quantum res poſtulabat egimus, ſed & poſtmodum plenius acturi ſumus.

Addit pag. 95: *Neque ejus authorem novimus, nequè etiam quo tempore & qua occaſione ſcripſerit, fruſtra de ejus vero ſenſu certiores fieri conabimur.* Facilius eſt iſta dicere, quam demonſtrare. Primum requiſitum, quis nimirum libri fuerit author, ad ejus mentem percipiendum, quidquid tandem ſcribat, minime requiritur. Num Adverſarius nos monere vult, quod ea quæ hoc tractatu Theologico-politico ſcripſit, intelligi nequeant, quia quis ſit, quo tempore, qua occaſione ſcripſerit ignoramus? Aut igitur intelligi non vult, & ſic fruſtra ſcripſit, aut ſeipſum damnat. Ipſe enim, noſtro judicio, non minus quam Scriptura, res imperceptibiles & incredibiles ſcribit, eaſque terminis admodum obſcuris proponit, quod jam omnibus conſtare confido, quales ſunt, Deum eſſe naturam, cujus nos pars ſumus, Deum non eſſe Regem, nec judicem, omnia neceſſario fieri, etiam humanas actiones, ſed & ipſius Dei, diem tempore Joſuæ, per refractionem radiorum ſolarium circa glaciem duplo longiorem fuiſſe, umbram ſolarem retroceſſiſſe in horologio, per apparitionem pareliorum, & ſimilia non pauca. Negamus igitur mentem Scriptoris non poſſe intelligi, quidquid tandem ſcripſerit, ſi quis fuerit vel ſit ignoramus. Vellem ut vel unicum ex Scriptura locum adferat, ad cujus mentem inveſtigandum neceſſe ſit, ut authorem ſciamus. Neceſſe id interdum eſt, fateor, ad id ut dijudicemus an fides ei tuto adhiberi poſſit, & tamen non ſemper, quando nimirum aliquis fide dignus Dei nomine teſtatur, librum aliquem Dei nutu eſſe conſcriptum, vel nil niſi vera continere. Quod Chriſtus Jeſus de Veteris Inſtrumenti legibus & hiſtoriis fecit. Tempus & occaſio ſcriptionis non raro multum luminis, ad ſenſum verborum inveſtigandum adferunt, imprimis ſcribendi occaſio. Ea autem cum tempore ubique fere, vel clare, vel paulo obſcurius, prẹſertim ubi opus eſt & res poſtulat, exprimitur. Quod in ſingulis libris facile oſtendere poſſem, & paſſim à commentatoribus eſt annotatum. In multis etiam quæ Sacra Scriptura continet, non multum refert ſcire quis, quo tempore & qua occaſione ſcripſerit, ut mentem ipſius percipiamus; ut in narrationibus rerum geſtarum, & expoſitione præceptorum moralium quæ vocant, credendi regula & ſimilibus. At iſtud non eſt quo collimat Adverſarius; ſed ut Scripturæ omnem authoritatem deroget. Quam tamen non juſtis argumentis, ſed per ambages, ambiguos loquendi modos, & abſque fundamento vel probatione objectas abſurditates, labefactare contendit.

Poſt narrationem fabularum de *Orlando Furioſo & Perſeo*, & miraculi *Sampſonis*, quæ omnia ejuſdem apud ipſum ſunt farinæ, Pag. 96 ſubjungit: *Conſtat itaque notitiam authorum qui res obſcuras, aut intellectu imperceptibiles ſcripſerunt, apprime neceſſarium eſſe, ſi eorum ſcripta interpretari volumus.* Non iſtud vult, ſed id quod ſtatim ſubjungit, nimirum ut dijudicemus verane an falſa ſcripſerunt. Sic iſta duo confundit, ut rudiores decipiat: hoc enim ſolum intendit, ut Sacrarum Literarum circa narrationes de miraculis fidem ſuſpectam reddat, ſub prætextu interpretationis. Quid enim refert ad mentem

ſcripti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ſcripti percipiendam, quis ſcriptor ſit, & vera an falſa tradat? ſi enim in vivis eſſe deſiit, mentem ſuam clarius exponere nequit.

Poſtremam difficultatem hanc facit Pag. 96. *Quod libros aliquot*, puta tres, *eadem lingua qua primum ſcripti fuerunt non habeamus*, vel ſaltem an habeamus non certo conſtat. Iſti ſunt *Evangelium Matthæi*, *Epiſtola ad Hebræos* & *liber Jobi*. De duobus prioribus affirmat eos, & quidem *ſine dubio*, *ex communi opinione*, *Hebraice fuiſſe ſcriptos*. Miror ipſius in talibus temeritatem & ignorantiam: nec enim id communis fert opinio, nec extra dubium ponit, prout ex commentariis eruditorum patet. Evangelium Matthęi Hebraïce fuiſſe ſcriptum, ſolius *Papiæ* nititur teſtimonio, referente *Euſebio*. De quo *Papia* teſtatur *Euſebius*, eum multa fabuloſa, tanquam ab Apoſtolis profecta, narrare fuiſſe ſolitum. De epiſtola ad *Hebræos* id in ſola conjectura eſt fundatum, ab iis qui eam à Paulo ſcriptam eſſe pro certo ſtatuunt, idque ex diſſimilitudine ſtyli, quam inter hanc & cæteras ejus Epiſtolas invenerunt. De libro Jobi, an lingua Hebraïca fuerit conſcriptus (quod ſane multa indicia veriſimile reddunt) nec ne, non plane certi ſumus. Cum vero Evangelium Matthæi & epiſtola ad Hebræos, eodem tempore tam in Hebræa quam Græca lingua exſtitiſſe dicatur, nulla ex verſione obſcuritas oriri potuit: quandoquidem ea per collationem exemplarium Græcorum cum Hebraïcis facile tolli poſſit. Obſcuritas quæ in libro Jobi reperitur, non ex verſione, ſed ex poëtica adornatione, qua conſcriptus eſt, originem trahit. Præterquam quod nec Evangelium Matthei, nec etiam epiſtola ad Hebræos, ullam ex lingua obſcuritatem habeant. Omnes fere difficultates, hominum errores, & pertinax in multis præjudicium attulerunt, quibus ſepoſitis, omnia fere repente clara & perſpicua evadunt. Et ſic oſtendimus omnes iſtaş, quas Adverſarius undique corraſit & Scripturæ affixit difficultates, facili negotio ſuperari poſſe, & multo quidem faciliori, quam in rerum naturalium indagatione (in quarum tamen certa cognitione ſummum bonum conſiſtere aſſerit) in qua infinitæ ſe produnt inextricabiles tenebrę, adeo ut ad certam earum cognitionem nullus pervenire hactenus potuerit. Cum Adverſarius miracula fieri poſſe negat, negat etiam mortuos reviviſcere poſſe, quod an verum ſit nec ne, inter ea quæ plus curioſitatis quam utilitatis habent, reponere cenſendus eſt, circa finem Pag. 97. Cum vero ibidem aſſerit, *nos mentem Scripturæ circa res ſalutares*, *& ad beatitudinem neceſſarias certo aſſequi poſſe*, nullam habuit juſtam tot difficultates, de Scripturæ interpretatione movendi cauſam. Sed quis extra rerum neceſſariarum cenſum dogma de mortuorum reſurrectione removere poteſt? Eam enim vita nunquam finienda & infinita gaudia excipient, prout Sacra itidem Scriptura apertiſſime docet, quæ ſola pro vero hominis ſummo bono reputari poſſunt, non vero ea quæ Adverſarius pag. 32 ſummum bonum eſſe aſſeruit, *res* naturales videlicet, *per primas ſuas cauſas intelligere* (quod in pauciſſimis, & quidem improbo labore acquiritur) *paſſiones domare* (quod itidem non niſi moleſtiſſima fatigatione, ab iis ſolis qui Chriſti præcepta obſervant, ejuſque ſpiritus auxilio ſuſtentantur, perfici poteſt) *&* denique *ſecure & ſano corpore vivere*, ſine quo duo præcedentia nec acquiri, nec ad ea adſpirari,

poteſt, & quod in noſtra poteſtate nec eſt, nec eſſe poteſt; non tantum quod ad acquiſitionem, ſed etiam quoad durationem. Unde cuivis eſt manifeſtum, talia pro ſummo bono minime eſſe habenda. Præſertim cum aliud bonum, non modo longe præſtantius, ſed etiam fixum & ſtabile, nobis innotuerit, *vita* nimirum *æterna*, à cujus poſſeſſione & tranquilla fruitione, nemo ullo unquam tempore nos arcere vel deturbare poteſt, & ad quod unuſquiſque certo certius pervenire poteſt. Et an hæc plus curioſitatis quam utilitates habent? Id Adverſarius ex animo dicere non poteſt. Si enim nihil poſt hanc vitam exſpectari poſſit, profecto miſerrimi ſumus, qui omnia vitæ incommoda, ſpe futuri iſtius præmii negligimus: Adverſarius autem, ſi noſtra ſententia vera eſt.

Addit p. 98. *Præterea non dubito, quin unuſquiſque jam videat, hanc methodum nullum lumen præter ipſum naturale exigere.* Noſtra etiam methodus, quam aliquatenus indicavimus, illud non neceſſario requirit: per lumen enim naturale omnia quę in Scripturis occurrunt, expendi, & quantum neceſſarium eſt intelligi poſſunt. Si quæ autem accedente lumine aliquo ſupranaturali rectius & clarius intelligantur, ea pro neceſſariis minime ſunt habenda, utilia eſſe nemo negaverit, qui ſupranaturali aliqua gratia à Deo aliquando donatus fuerit. De qua fruſtra apud iſtiuſmodi homines, qualis eſt Adverſarius, diſſeritur: alias non difficile foret eam explicare. Legatur *Crellii* tractatus *de Spiritu Sancto*, qui de ea copioſe, docte, pie & prolixe ſatis diſſerit, etſi abſona quædam intermiſceat, nec opus eſt iſtis quidquam præterea addere. Dona Spiritus Sancti ſupranaturalia, quamvis ad perfectam Novi Fœderis perceptionem, ejuſque præceptorum obſervationem, omnino neceſſaria eſſe, in eo doceatur, nemo tamen inde detrimentum habet. Iſta enim dona cuivis obtingunt, qui ea animo fideli & precibus aſſiduis à Deo flagitat. Quamvis Adverſarius hæc rideat, & ſe iſtis indigere minime exiſtimet.

Ad ea quæ pag. 98 contra eos diſputat, quos ſtatuere dicit, *lumen naturale non habere vim ad interpretandum Scripturam &c*, nihil reſpondeo, quia me non tangunt. Sed optaſſem Adverſarium eandem adhibuiſſe diligentiam, in refutanda eorum opinione, qui Sacræ Scripturæ ſenſum lumine naturali inveſtigari poſſe & debere ſtatuunt, & tamen ejus methodum præſcribunt, longe ab ea quam ipſe nobis obtrudit diverſam, eamque facilem & obviam. Nec eſt quod ea quæ Maimonidæ adſcribit (quam fideliter alii judicent) curemus: non enim concedimus, nec Adverſarius oſtendit, nec quiſquam oſtendere poterit, quidquam in Scriptura doceri, quod cum principiis rectæ rationis, experientiæ, mathematicis demonſtrationibus vel naturali lumine pugnet. Et propterea ad tam abſurda, quæ Adverſarius Maimonidæ tribuit figmenta, non opus eſt confugere.

Antequam finem huic capiti imponam, obiter notandum eſt, quod Adverſarius pag. 102 in fine, hominibus *liberum judicium* tribuit, cum tamen toties affirmavit, omnia fatali neceſſitate, etiam ab hominibus fieri.

CAPUT VIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

CAPUT VIII.

De libris Moſis & Hagiographis.

Contenta.

Capite octavo de 12 prioribus libris Biblicis oſtendere pertentat, eos non modo non à Moſe, vel illis qui vulgo putantur, ſed multis poſt mortem Moſis ſeculis ab Ezdra confictos, & populo ſtupido, partim per impoſturas obtruſos eſſe. Idque ex quibuſdam indiciis, in libris ipſis occurrentibus, evincere conatur. Quæ omnia à nobis preſſo pede refelluntur.

Laudo Adverſarii induſtriam & diligentiam in eo, quod oſtendat libros iſtos, ab iſtis ipſis quos vulgo putatur eorum fuiſſe Scriptores, non eſſe conſcriptos: prçterquam quod nimius in eo videri poſſit, quod nonnulla ad id probandum adferat, quæ nimis longe petita videantur. Hiſtoriam Sacræ Scripturæ quam memorat, nihil moror, eam enim non eſſe neceſſariam, capite ſuperiori eſt oſtenſum. Sed ſi verum eſt quod Adverſarius urget, unum eſſe omnium iſtorum librorum, puta à Geneſeos libro, uſque ad libros Chronicorum, concinnatorem, quâ quæſo fronte negare poteſt, ſaltem iſtorum librorum ſententias, ex eorundem librorum ſententiarum inter ſe collatione explicari poſſe & debere?

Notandum vero eſt errare Adverſarium, una cum *Aben Ezra*, affirmantes totam legem Moſis, admodum diſerte in ambitu unius Aræ fuiſſe deſcriptam pag. 105. Id enim nec Deut. 27 verſu 4, 8, nec etiam Joſ. 8. 13 indicatur: cum expreſſe diſtinguatur utrobique altare à lapidibus iſtis, quibus ut Legem inſcriberent Moſes injungit. Adeo ut Moſes duo fieri juſſerit, nimirum altaris çdificationem ex lapidibus, non arte ſed à Natura præparatis, & præterea magnos aliquot lapides erigere, quibus Legem inſcriberent. Quæ duo etiam in libro Joſuæ expreſſe à ſe invicem diſtinguuntur. Adeo ut omnes leges, quas Moſes Dei nomine populo dederat, lapidibus iſtis inſcriptæ ſint, & ſic earum exemplum per multa ſecula ibidem inveniri & deſcribi potuerit. Quod quidem an Pentateuchon integrum fuerit ignoro: leges tamen omnes, quas Moſis tulit, ibidem fuiſſe conſcriptas omnino eſt ſtatuendum: Præterquam quod *Jeſu Chriſti* ejuſque Apoſtolorum irrefragabili teſtimonio planiſſime confirmatur, *Moſis* leges & Prophetarum doctrinas & revelationes, fideliter ab iis qui ea collegerunt eſſe expreſſas: quandoquidem *Chriſtus*, ſi id fideliter factum non fuiſſet, id ſilentio minime præteriturus fuiſſet: qui omnia quæ commiſerunt crimina, illis objicere, & frequenter eo nomine illos reprehendere non deſtitit. Quocirca id non obſtat, quominus verum Veteris Fœderis exemplum habeamus. Atque adeo non oſtendit Adverſarius, quidquam nobis deeſſe, ex quo de oraculis & hiſtoria Veteris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Fœderis certi eſſe poſſimus: modo conſtet Chriſtum à Deo fuiſſe miſſum, & fidelem ipſius mandatorum interpretem. Quod Adverſarius omnino cogitur concedere, qui eum *os Dei* appellat, & eum *de mente ad mentem cum Deo communicaſſe* pag. 7 affirmat. Qua de re poſtmodum pluribus agemus.

Nec etiam valet argumentum *Aben Eſræ*, ab appellatione *montis Domini*, monti *Moriæ* Gen. 22. 14 adſcriptæ. Cum expreſſe in textu dicatur, Abrahamum nomen monti indidiſſe, non *montis Domini*, vel *Jehovæ* (iſtud enim nomen ibi monti *Moriæ* non adſcribitur) ſed nomen *Dominus providebit*. Ita enim verba interpretanda ſunt: *in monte* [cui nomen eſt] *Jehova providebit*, *non in monte Jehovæ providebit vel providebitur* quemadmodum nonnulli textum iſtum interpretantur.

Neſcio an operæ ſit pretium, non paucos ſimiles Adverſarii ipſius errores indicare, cum abſurdum minime videatur, non totum Pentateuchon à Moſe ipſo eſſe conſcriptum. Quod vero urget, multis poſt Moſen ſeculis demum fuiſſe ſcripto conſignatum, exigit ut examinemus, quas iſtius conjecturæ vel opinionis rationes proferat. Ego enim exiſtimaverim illud à Joſua, vel aliis, ipſo Moſe partim vivente & dictante, partim paulo poſt, ſed continua ſerie literis eſſe mandatum, & poſt Moſis mortem continuatum.

Quod ſi admittatur (quemadmodum mox docebimus nihil eſſe quod repugnet) evaneſcent protinus multæ Adverſarii difficultates, quas libris iſtis objicit, præſertim quod Scriptor frequenter de Moſe in tertia perſona loquatur. Cum in *Julii Cæſaris* Commentariis, quæ ipſum ſcripſiſſe nemo negat, id neminem offendat.

Non jam immorabor refutationi argumentorum, quę *Aben Eſra*, vel etiam Adverſarius profert, ut evincat Moſem Pentateuchi Scriptorem non fuiſſe (quæ omnia, unico excepto, facillime enodare poſſem) ſed ad iſta tantum attendam, quibus oſtendere volunt, illud poſt, & quidem multis ſeculis poſt mortem Moſis memorię proditum. Quale primo locus eſt Gen. 12. 6, ubi dicitur *Kananitas* tum temporis adhuc in iſta regione, Chananea videlicet, fuiſſe vel habitaſſe, quod à nemine putant ſcribi potuiſſe, niſi qui viveret, cum non amplius Kananitæ ibi habitarent.

Sed ſi textum accurate perpendamus, id profecto non neceſſario indicat: ita enim habetur, & Kananita tunc in terra. Cujus ſenſus eſſe poteſt, jam tum Chananęos extitiſſe, nec poſtea denum populum iſtum originem accepiſſe. Qui genuinus mihi verborum ſenſus eſſe videtur. Cum autem nemo poſſit demonſtrare, verba ſenſum iſtum non admittere, quivis facile videt, injuria inde concludi, ſcriptorem vixiſſe, cum jam Kananitę ex terra iſta exturbati eſſent: quod tamen paucis poſt Moſis fata annis contigit. Adeo ut nec conceſſo, quod de eorum exturbatione ſcriptor agat, multis poſt Moſen ſeculis libros iſtos concinnatos eſſe, ex illis verbis extrudi poſſit.

De loco Gen. 22. 14 oſtendimus, ex eo minime concludendum eſſe, libros iſtos demum poſtquam mons *Moria* ædificationi Templi eſſet dicatus, conſcriptos eſſe.

Tertius locus Deut. 3. 11 nihilo magis id evincit, ubi dicitur, *ſolus Og*, *Rex Baſan*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

manſit ex reliquis Gigantibus (quales Adverſarius ſuis ad hoc vocabulum notis, unquam extitiſſe, in dubium vocare videtur) *ecce quod lectus ejus erat ferreus, is certe qui eſt in Rabbat filiorum Ammon, novem cubitos longus.* Ex quo non capio, quo pacto per milleſimam conſequentiam poſſit evelli, verba iſta diu poſt illud factum eſſe conſcripta: quamvis Adverſarius indubitatum eſſe velit, lectum iſtum demum tempore Davidis eſſe repertum, cum ejus rei nec vola nec veſtigium extet 2 Sam. 12. 29, 30, 31.

Quartum locum Deut. 3. 12, 13, 14 non eſt opus examinare, quia nihil quod quidquam ad rem faciat continet. Sed Averſarius alia majoris momenti argumenta proferre pollicetur, quorum primum eſt, quod ſcriptor de Moſe in tertia perſona loquitur. Quam futilitatem paulo ante ſufflavimus. Et quamvis inde manifeſtum de alio ſcriptore eſſet judicium, non tamen eum poſt multa ſecula ſcripſiſſe extorqueri poteſt.

Quod nec ſecundum efficit, hiſtoria videlicet mortis, ſepulturæ Moſis & luctus Judæorum, quæ Deut. 34 uſque verſum 9 recenſentur.

Tertius locus eſt eodem Deut. cap. 34. 10, cujus urget Adverſarius ſcriptorem, multis poſt Moſem ſeculis vixiſſe: aſſerit enim nunquam Prophetam Moſi ſimilem inter Iſraëlitas extitiſſe. Et concedo id cum veri ſpecie ex iſtis verbis elici poſſe. Sed advertendum primo, Hebræis hyperbolas, & quidem admodum rem amplificantes, maxime eſſe familiares, adeo ut, qui vel uno poſt Moſem anno viveret, ita ex eorum conſuetudine loqui potuerit. Præterea notandum eſt voculam עוד, quem Adverſarius per *nunquam* exprimit, iſtud non proprie ſignificare, ſed tantum *ultra*, *amplius* &c. At præter iſtam ſignificationem denotat etiam *perpetuo*, *deinceps*: ex qua ſignificatione ſenſus oritur, longe ab eo quem Adverſarius urget diverſus, ſcriptorem videlicet indicare, Hebræos ab illo tempore non perpetuo habuiſſe talem Prophetam, qualis fuerat Moſes. Et ſic quiſquis videt, hunc locum minime oſtendere, ſcriptorem multis ſeculis, vel etiam longo poſt Moſem tempore, iſta literis mandaſſe; ſed eo ipſo tempore, quo Joſua in Moſis locum ſucceſſit (qui Moſi minime fuit ſimilis, & ad quem verba procul dubio reſpiciunt) ſcribi potuiſſe, & procul dubio ſcripta fuiſſe.

Idem dico de verſu 6 ejuſdem capitis, qui indicat, neminem ad hunc uſque diem monumentum Moſis indicare potuiſſe: veriſimile enim eſt Iſraëlitas omni ſtudio fuiſſe intentos, ut locum ſepulturę inveſtigarent, quo illud debito honore proſequerentur. At nunquam potuiſſe ſepulcrum, quantacunque diligentia requiſitum, in illum uſque diem (forte à luctu primum, vel ſeriorem paulo) reperiri.

Ex eo quod Gen. 14. 14 locus, ad quem Abraham hoſtes fuerit perſecutus, *Dan* appelletur, idem concludit Adverſarius, qui nomen iſtud *non niſi longe poſt mortem Joſuæ*, *civitati iſti eſſe inditum* affirmat, ut ex Jud. 18. 29 colligi poteſt. Si idem locus eſt quo Abraham tunc pervenerat, cum eo qui ibidem verſu 29, 30 indicatur, non dubium eſſe poteſt, quin liber *Geneſis* multis poſt Moſen ſeculis ſit conſcriptus. Cum vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

vero id incertum plane ſit, & nullo modo poſſit demonſtrari, manifeſtum eſt Adverſarium nihil omnino efficere.

Nec multum ſitum eſt in eo, quod Exod. 16. 34 dicatur, Iſraëlitas *comediſſe Man, donec venerunt ad finem terræ Canahan*, quod non niſi poſt mortem Moſis deſiit, ad ſimilia enim in præcedentibus eſt reſponſum. Nam (præterquam quod ſcriptor libri *Exodi* id in tribubus *Ruben*, *Gad* & dimidia Tribu *Manaſſe* Num. 32. 1 & ſeqq. item verſu 33 videre potuerit, qui vivente Moſe proprias provincias acceperunt) apparet ex libris Chronicorum, Regum, Samuelis & multis ſimilibus, Iſraëlitas ab initio exitus ex Ægypto, perpetuo Scribas aluiſſe, qui res geſtas, genealogias & cætera, quorum ſcire intererat Reipublicæ, diligenter annotarent. Ex quibus Archivis forte ab aliis libri quos nunc habemus, ſunt compoſiti. Quos libros cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quem Adverſarius *os Dei* appellat, teſtimonio ſuo confirmavit, de eorum fide & authoritate ſumus ſecuri.

Pergamus tamen Adverſarii argumenta examinare, quorum jam ſequitur locus Gen. 36. 31, ubi ſcriptor mentionem facit regum Iſraëliticorum, quod ſane nullus facere potuit, niſi qui poſt multa demum ſecula, ex quibus Moſes aura ætherea frui deſierat, viveret. Quod tempus, quamvis Adverſarius magno apparatu Davidis temporibus accommodet, qui 2 Sam. 8. 14 Idumęa ſubacta, præſides ibi conſtituit, optime tamen in ipſum Moſen quadrat. Nam præterquam quod vox *Melech*, non *Regem* tantum, ſed quemcunque gubernatorem vel principem (imo nudum conſiliarium proprie) denotet, quorum primus fuit Moſes, poſt Joſua, deinde reliqui Judices; ipſe etiam Moſes Deut. 33. 5 *Rex* appellatur *in Iſchurun*, quo nonime cap. 32. 15 Iſraël appellatus fuit. Cum igitur Gen. 36. 31 nihil aliud legamus, niſi quod Idumæorum Reges recenſeantur, qui ibi imperium tenuiſſent, *antequam Rex ſuper filios Iſraël regnaret*, nemo negare poterit, id de Rege Moſe accipi poſſe; qui, cum liber iſte ſcribebatur, imperium in Iſraëlitas obtinebat.

Ec ſic puto me clare docuiſſe, nullo modo conſtare, quod Pentateuchus multis poſt Moſem ſeculis fuerit demum conſcriptus. Sed nondum Adverſarius deſinit: ſcivit enim, ſi libri iſti vivente Moſe fuerint exarati, vel etiam paulo poſt, ſibi nullo modo licere, ea quę inibi referuntur, pro fabulis habere. Nam nullus adeo perfrictę frontis reperiri poteſt, qui eo ipſo tempore quo vivit, ab aliquo qui eodem tempore in vivis erat, 3000000 hominibus videntibus & ſcientibus, talia miracula eſſe edita, & cætera geſta publice ſcribere auderet. Et ſi quis fuiſſet auſus, nemini quæ dicit poſſe perſuadere. Cum ex eo, quod libri iſti vivente Moſe, vel illis ſaltem qui omnia oculis ſuis uſurpaverant, ſint conſcripti, factum ſit (nec aliter fieri potuerit) ut apud omnes fidem iſta invenerint. Quapropter Adverſarius in ſequentibus docere conatur, pauca admodum ab ipſa Moſe fuiſſe ſcripta, quorum pars perierit, pars à Pentateuchi concinnatore libris iſtis fuerit inſerta.

Primus igitur Moſis liber, quem periiſſe Adverſarius prætendit, eſt liber iſte, in quo Amalecitici belli hiſtoriam ex Dei mandato ſcripto conſignavit Exod. 17. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Reſpondeo, quamvis Moſis quædam ſcripta (quod tamen nondum conſtat) periiſſent, quæ hiſtorias quaſdam continent, nihil iſtud ad rem facere, niſi oſtendere poſſit, ipſas leges Moſaicas periiſſe, quod ſaltem in libro, de quo hic locus agit, locum non habet. Deinde Adverſarius melius quam ego novit, vocem *Sepher* Hebræis quodvis ſcriptum, quantumvis breve, denotare, (quod & ipſe in margine pag. 108 indicat) & propterea verba iſta poſſe exponi, quod Moſi ſimpliciter injungitur ſcripto conſignare, Deum juramento ſe adſtinxiſſe verſu 16, ſe Amalecitas funditus deleturum; id vero abunde ibidem conſcriptum eſt. Tertio, cum Moſi præcipiat Deus, ut ſcriptum iſtud Joſuæ tradat, qui primarius ipſius fuit miniſter, & omnium oculatus teſtis verſu 14, hinc cum maxima veriſimilitudine colligitur, id quod paulo ante indicavimus, ipſum Joſuam Pentateuchi fuiſſe ſcriptorem, qui illud partim ex relatione Moſis, partim ex Archivis ab ipſo acceptis, partim etiam ex illis quæ propriis oculis & auribus uſurpaverat, & quorum pars fuerat, concinnaverit. Atque ita nullus hic liber Moſis comparet, quo careamus.

Librum bellorum Domini, de quo Num. 21. 14, à Moſe etiam eſſe conſcriptum, ex ejuſdem libri cap. 33. 2, & in eo præcedentem hiſtoriam relatam eſſe, concludit; ubi expreſſe dicitur, Moſem itinera & expeditiones Iſraëliticas ſcripſiſſe, quas in eodem libro bellorum Domini à Moſe exaratas eſſe credere videtur. De bello Amalecitico vidimus. Itinera autem & expeditiones iſtæ, cum ibidem expreſſe recenſeantur toto iſto capite, magis adhuc confirmatur, Joſuam eo quo dixi modo Pentateuchi eſſe authorem. Et ſic nullum relinquitur veſtigium, quod Moſes libri bellorum Domini fuit exarator.

Sed Pag. 108 *librum pacti* profert Exod. 24. 4, 7 (quem *librum Fœderis* noluit appellare, quamvis vox *Berith* id proprie ſignificet, & voce *pacti*, quamvis idem quod *Fœdus* deſignante uti maluit, ut voce diverſa etiam alia res ſignificari videretur) quem breviſſimum aliquod ſcriptum fuiſſe contendit. Veretur enim, ne ſi Fœdus cum populo initum ea voce indicaretur, ipſum confiteri coactum eſſe, Moſem omnes ſuas leges, & reliqua quæ ad Fœdus pertinent, literis mandaſſe. Nec ſperat ſe aliis poſſe perſuadere, Judæos tanti pretii librum amiſiſſe. Cum nemo non videat, nullo modo eſſe veriſimile, quod tantum theſaurum non ſtudioſe cuſtodiverint. Præſertim cum Deut. 31. 9 expreſſe legamus, Moſem integram legem ſcripſiſſe, eamque non Sacerdotibus tantum, ſed omnibus etiam populi ſenioribus tradidiſſe: unde interire non potuit, & facillime incorrupta conſervari. Quam legem *Fœdus ſive pactum* fuiſſe, de quo Exod. 24 agitur, ipſe Adverſarius pag. 109 lin. 1, 2 urget. Quæ omnia apprime cum noſtra de Pentateuchi concinnatore ſententia conveniunt; & firmum pro ejus divina authoritate argumentum, contra Adverſarium & ſui ſimiles, exhibent. Et præterea contra eundem validiſſime oſtendunt, librum iſtum pacti minime interiiſſe, ſed integrum Pentateucho contineri, & à Joſua ibidem eſſe inſertum, prout Adverſarius ex Joſuæ cap. 24. 26 oportune oſtendit.

Quod igitur pag. 110 nolit concedere (quamvis id ut credatur, rationi conſenta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

neum eſſe credit, quia ſcilicet Dictator aſſeruit, nihil de ſimilibus eſſe ſtatuendum niſi ex ipſa Scriptura conſtet) Moſem plura ſcripſiſſe, in eo parum præſidii ſuæ cauſa nunc inveniet; nam ſive Moſes, ſive alius ea ſcripſerit, eodem res redibit. Quamvis autem Pentateuchon ab Adverſarii tricis jam ſatis vindicaſſe videamur, non licet tamen hic ſubſiſtere, quia alios adhuc nodos nectit: vult enim oſtendere *Ezram* illos una cum ſeptem ſequentibus, non ſcripſiſſe tantum, ſed etiam *adornaſſe*, id eſt, credo, multis fabulis & mendaciis refertum, poſt tot ſecula, cum nemo amplius ſupereſſet, qui eum mendacii convincere poſſet, populo rudi obtruſiſſe, & ſuſcipere vi coëgiſſe. Vult igitur de libro Joſuæ idem oſtendere, quod infelici ſucceſſu de Pentateucho tentaverat. Et eum in finem profert verſum 14 cap. 10 iſtius libri, ubi ſcriptum eſt, non fuiſſe diem iſti parem (quo videlicet ſol 24 horis terram iſtam illuminaſſet, petente à Deo iſtud Joſua) *nec ante, nec poſt*. Ex quo concludit, librum iſtum procul dubio multis poſt Joſuam ſeculis eſſe conſcriptũ. Sed conſequentiæ rationem nullam profert. Quare nos eam negando, pedem hinc referre poſſemus. Malumus autem rem accuratius expedire. Nihil aliud urgere poteſt, quam ſcriptorem non potuiſſe ſcire, num alius ſimilis dies ſit ſecutus, niſi multis demum poſt ſeculis: Sed ſi iſtud exinde conſtare debeat, profecto nimis mature ſcriptor hoc dixit: quia poſt Eſdræ ætatem multo plura ſecula ſunt elapſa, & impoſterum elabentur. Unde quivis facile videt, quam frivolum ſit iſtud argumentum, & ſcriptorem ita loqui potuiſſe, quamvis uno tantum anno poſt rem geſtam hiſtoriam illius contexuerit.

De libro Judicum nihil aliud habet, quam *quod ejus ſcriptor ſæpe monet, quod illis temporibus nullus erat Rex in Iraël* pag. 111, & inde vult patere, *illum indubie ſcriptum eſſe, poſtquam imperium Reges obtinuerant*. Non auſus fuit, credo, plura addere, ne impudentiam ſuam nimis manifeſto omnium oculis exponeret. Loca ubi ſcriptor hoc monet, ſunt Judic. 17. 6. XVIII. I. XIX. I. XXI. 25. Primum dico, quatuor iſtis locis idem tempus deſignari, quo videlicet poſt Simſonis mortem, nullus eſſet qui Rempublicam adminiſtraret. Et quod *Regis* mentio fit nihil eſt, ſuperius enim ad locum Gen. 36. 31 oſtendimus, illud vocabulum omne imperii genus denotare, quod ſane Adverſarium non latet: ita hic per Regem Judex intelligitur.

De Samuelis libris multo futilius quam de præcedentibus, *eos multis poſt Samuelem ſeculis ſcriptos eſſe*, conatur oſtendere. Idque ex 1. Sam. 9. 9, ubi dicitur, *antiquitus in Iſraële ſic dicebat quiſque, quando ibat ad conſulendum Deum, age eamus ad Videntem: nam qui hodie Propheta, antiquitus Videns vocabatur*. Quaſi dum Samuel vivebat, non potuerit ſat temporis effluxiſſe, ex quo Prophetæ *Videntes* appellarentur. Cum jam inde à Moſis tempore Prophetæ extiterint, quos author innuit, ab eo tempore videntes fuiſſe appellatos. Vide Num. XI. 26, 27, 28, 29, & confer Num. 24. 3, 4, 15, 16, 17.

Poſtquam Adverſarii ſententiam de tempore ſcriptionis duodecim primorum Biblicorum voluminum refutavimus, videamus qua ratione oſtendat, omnes ab uno authore, (eoque *Ezra*) eſſe conſcriptos. Quod quamvis evincere poſſet, nihil

contra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

contra nos efficeret, qui illos ut genuinos & veraces, ſolo Jeſu Chriſti teſtimonio nixi, ſecure recipere poſſumus. Niſi oſtendere poſſit, teſtimonium Illius, quem *os Dei* appellat, non eſſe fide dignum, & libros ipſos ſpurios eſſe, & falſa continere. Quia tamen ſcimus, Adverſarium iſtud abſque ullo fundamento, contra veritatem affirmare, argumenta quibus id efficere conatur examinabimus. Quorum primum eſt, quod omnes iſti libri ita ſecum invicem connectantur, ut id non niſi ab eodem ſcriptore factum eſſe potuerit. De quinque libris Moſis id non oſtendit, quia de eo neminem dubitare exiſtimat, vel potius quia eorum quædam ab ipſo Moſe conſcripta eſſe paulo ante conceſſit, quæ Ezras ſuis inſeruerit: alias non vidit, quo pacto librum quintum, qui *Deuteronomion* dicitur, eodem modo quo cæteros, cum prioribus connecteret. Reliquos autem propterea ab eodem authore conſcriptos eſſe contendit, quia hoc eorum eſt principium: *& contigit poſt mortem Moſis* Joſ. 1. 1. *Et contigit poſt mortem Joſuæ* Judic. 1. 1. & ſic in cæteris. Ex quo apparere vult, authorem ſequentem ubique librum, priori connectere.

Reſpondeo primo, ſi, quod ſuperius innuimus, Hæbræi perpetuo ſcribas habuerint, qui res geſtas literis mandarent, mirum non eſſe, quod hiſtorias prioribus connecterent. Quod quoniam verum eſſe poſſit (quod Adverſarius negare nequit, quamvis ſimilia credi non vult, niſi ex ipſa Scriptura conſtet eſſe vera, quod à nobis negatur) nulla vis in eo eſt, quod conjunctio & res ipſa libros iſtos cum prioribus connectat: quandoquidem ſequentes ſcriptores hiſtoriam eandem continuare volentes, ita ſcribere potuerint & debuerint. Scribas autem ejuſmodi inter Iſraëlitas fuiſſe, ex 2 Sam. 8. 17. xx. 25. 2 Reg. 12. 10. xxii. 3. Eſdr. 7. 6, 11, 12, 22. Neh. 8. 1, 4, 9. xii. 26, 35. xiii. 13. Eſa. 36. 3, 22. Jer. 16. 10, 12. xx. 21, 23, 26, 32. xxxvii. 14, 19 non obſcure colligitur. Secundo dico, nimis debile eſſe fundamentum, libros iſtos ab eodem authore eſſe conſcriptos, inde concludere, quia ſeries hiſtoriæ in omnibus continuari videatur, & à conjunctione incipiant. *Hirtus Panſa Cæſaris* commentaria ita continuavit, ut niſi apertiſſime indicaret, ſe diverſum à *Cæſare* eſſe ſcriptorem, pro eodem ſis habiturus. Præterea à conjunctione liber *Ezechielis* & *Jonæ* eodem modo incipiunt. Ubi cum continuationem cauſari non poſſet, alias tricas nectit Adverſarius, de quibus modo, cum bono Deo, acturi ſumus.

Alterum ejus argumentum eſt contextus & ordo hiſtoriarum. De quibus etiamſi ſatis reſpondiſſe videamur, quia tamen Adverſarius ſubindicat, iſtum ſcriptorem (quem multis Moſe ſeculis recentiorem, falſo, prout jam oſtendimus, aſſerit) nullum præter *Ezram* eſſe potuiſſe: quem poſtquam tota Scriptura periiſſet, vel potius nunquam antea extitiſſet (id enim credo Adverſarium velle) dum populus rudis, à Moſe antea deceptus, & metu ſupplicii ipſius edictis morem gerere coactus hactenus fuiſſet, ſtupidis iſtis Judæis libros à ſe ipſo confictos, obtruſiſſe vult, quaſi repertos, vel à Spiritu Sancto ſibi dictatos, eoſque multis mendaciis & narrationibus rerum quæ nunquam antea contigiſſent refertos. Quod ipſi principatum tunc cum *Nehemia* tenenti, in populo ſtupido, & ad ſervitium jam dudum aſſuefacto, facile fuit obtinere, vin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

dicta illis qui legem iſtam recipere nollent parata. Et ut facilius perſuaderet Ezram, hiſtorias addidiſſe, quibus non tantum genus ipſorum ad ipſum Deum referret, ſed & doceret, illorum progenitores Deo ſemper quammaxime fuiſſe charos. Quæ omnia fucata oratione, ut ſolet, Adverſarius obvelavit. Ut ergo oſtendat, omnes iſtos libros tot ſeculis poſt Moſis mortem eſſe conſcriptos, præſupponit legem Hezdræ temporibus periiſſe. Quod multi ex Veteribus & recentioribus, ex Apocryphi quarti libri Ezdræ cap. 14. 21, 22 & ſeqq. teſtimonio, immerito crediderunt. Et quamvis Adverſarium minime fugit, librum iſtum juſtis de cauſis à Chriſtianis & Judæis non recipi, & fabuloſis narrationibus ſcatere, tamen quando cauſæ ſuę patrocinium ibi reperit, pro argumento fabulam arripit. Negamus igitur legem Moſis, cum ſequentibus iſtis ſeptem, de quibus nunc ſermo eſt libris, unquam periiſſe vel amiſſos fuiſſe. Nec etiam genuinus Heſdræ textus id ullo modo indicat, multo minus eum legem Dei *adornaviſſe* (quam vocem aliquoties crepat Adverſarius, per eam nihil niſi confictionem intelligens, cum tamen in textu nullibi reperiatur) vel de novo ſcripſiſſe. Cum enim ſuperius ex ipſa Scriptura Deut. 31. 9 oſtenderimus, Moſen librum Legis, non modo ſacerdotibus, ſed omnibus etiam ſenioribus tradidiſſe, cui adde quod de Daniele in ipſa captivitate Babylonica legamus Dan. 9. 2, eum habuiſſe libros Prophetarum, & verſu 11, 13 expreſſa libri legis ſcripti ſit mentio: ex quo omnino concludendum eſt, ipſum librum iſtum etiam habuiſſe, ac proinde multa Legis exemplaria) præter longævum iſtud univerſæ Legis, lapidibus inſcriptum exemplar Joſ. 8. 32) ſemper extitiſſe, liber Legis non potuit cum Templi conflagratione ita perire, ut nullum aliud exemplar ſupereſſet. Unde frivola iſta Adverſarii conjectura in fumum abit.

Necdum deſinit Adverſarius, ſed novos nodos in ſcirpo quærit: adducit enim ex cap. 2 Deut. vers 12 Iſraëlitas expuliſſe *Chananæos*, quemadmodum Edomitæ prius Horitas ex Seir ejeciſſent, quod vivente Moſe ſcribi non potuiſſe exiſtimat, cum tum temporis Kananitas nondum exturbaſſent Iſraëlitæ. Quaſi hoc dici non potuerit de iſtis Populis Kananiticis, quas Moſes cis Jordanem debellaverat.

Quæ de interpoſitione verſuum 6, 7, 8 cap. 10 nugatur, refutationem non deſiderant, cum nec ad rem quidquam faciant, & ſe ipſa ſatis refutent.

Quod ſcriptor de Moſe in tertia perſona loquatur (pag. 114) de eo ſuperius egimus. Sed ut bilem in iſtos libros quantum poteſt evomat, cum nihil præterea habeat, addit, *& præter hæc alia multa, quæ jam à nobis* NB *dignoſci nequeunt*.

Tandem in mentem ipſi venit ſumma in decalogo diſcrepantia, inter ejus deſcriptionem quæ Exod. 20, & eam quæ Deut. 5 & ſeqq. reperitur. Ea vero eſt, quod ratio cur Deus Judæis Sabbatum obſervare præceperit, *toto cælo diſcrepat ab ea, quæ in Deuteronomio iſti præcepto additur*. Quaſi iſta ab eadem ſcriptore non potuerint proficiſci niſi mentiente. Et quaſi abſurdum ſit quod Deus, cum bis Decalogum Moſi tradiderit, prima vice aliam rationem iſti præcepto addiderit quam ſecunda, cum utramque habuerit. Potuiſſet fortaſſe multo plures, & magis adhuc diverſas addere. Obſervatu etiam dignum fuit Adverſario, quod verba decimi præcepti non eodem ordine utrobique ſcripta ſint. Cogitavit forſan,

Quod ſi non proſint ſingula, cuncta juvent.

Ad reliquas ineptias nihil opus eſt reponere, quia figmenta iſta pro conjecturis ſolummodo exhibet, quas jam ſatis ſuperque in ſuperiorbus refutavimus.

CAPUT IX.

De Reliquis quas iiſdem libris Adverſarius objicit difficultatibus.

Contenta.

Capite nono ex iiſdem libris multa loca congeſſit, quibus oſtendat, eos ab Heſdra confictos eſſe: iiſque contraria ſibi invicem, falſa, abſurda, confuſa & impoſſibilia contineri credit.

Quantum ſuperior diſquiſitio, de vero librorum Scriptore juvet, ad eorundem perfectam intelligentiam (inquit pag. 115) *facile colligitur ex illis ipſis locis, quæ ad noſtram de hac re ſententiam confirmandam attulimus, quæ abſque ea unicuique deberent obſcuriſſima videri.* Ad intelligendum iſtorum ſenſum, nihil plane juvat Adverſarii ſententia: ex ipſis enim verbis facile quiſque percipit ea quę dicuntur, quamvis ignoret à quo ſcripta fuerint. Hoc tantum intelligi nequit, quomodo Moſes ea ſcribere potuerit. Id vero ad ſenſum verborum nihil facit. Immerito igitur ab Adverſario iſta adferuntur, ut ſuam Sacras Scripturas interpretandi Methodum commendet.

Non felicius poſtea conatur oſtendere, *Ezdram hiſtorias ex diverſis ſcriptoribus collectas, & quandoque non niſi ſimpliciter deſcriptas, eaſque nondum examinatas, neque ordinatas, poſteris reliquiſſe.* In quem finem aliquot hiſtorias profert, è quibus illud apparere exiſtimat. Quod ut lectori perſuadeat, duo profert argumenta, quæ latius deinde exequitur: Primum eſt, quod multa in illis libris reperiamus, iiſdem plane verbis, quibus in duodecim iſtis voluminibus referuntur. Alterum quod ordo & connexio hiſtoriæ tot diſcrepantiis & erroribus ſcateat, ut credi non poſſit *Hezdram*, ſi libros ex quibus ſua adornavit in ordinem redegiſſet, & examinaviſſet, talia ſcripturum fuiſſe.

Sed ut utrumque evincat, narrationes ipſas duodecim iſtorum librorum examinare aggreditur, & primo quidem 2 Reg. 18. 17, quem locum ex Eſaiæ libro deſcriptum eſſe, abſque ullo indicio audacter affirmat. Idque ex 2 Chron. 32. 12 evincere conatur: cum tamen nihil minus ibi legamus.

Secundo, vigeſimum quintum caput ſecundi libri Regum, ex Jerem. 39 & 40 deſcriptum eſſe dicit. Sed cur Jeremias ſua ex hoc libro non potuit deſcripſiſſe? niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quia hoc Adverſarium non juvaret. Quare autem uterque ſcriptor, rem prout ipſi eam oculis viderat, narrare non potuit, & ſic eadem plane referre?

Tertio ait 2 Sam. 7 caput ex 1 Paral. 17, ſed mirifice mutatum, eſſe deſcriptum. Cum æque facile dicere poſſimus, librorum Chronicorum ſcriptores ſua ex 2 Sam. 7 deſumpſiſſe. Sed iſtud Adverſario non placet. Debuit tamen hoc potius ſuſpicari quam illud, quia horum librorum authorem Hezdra multo recentiorem facit pag. 127 initio cap. decimi. Sed quod verba adeo mirifice ſint mutata, id plane nego. Cur non potius credit, hiſtoriam à duobus diverſis ſcriptoribus, vocibus diverſis, ſed ſenſu plane eodem, eſſe conſcriptam? Sed cum nihil habeat ſolidi, oportet ut nugas admiſceat, quibus difficultatum numerus augeatur.

Sed male habet Adverſarium, quod ipſos libros, ex quibus Hezdras ſuas fabulas collegit, non habeat: ibi enim ſe multa invenire poſſe ſperat, quibus Hezdræ impudentiam patefacere poſſet. Vidimus autem quam futiles protulerit ſuſpicandi rationes, imo contradictorias. Ad ſecundum igitur argumentum adſtruendum progreditur. Ad cujus confirmationem hiſtorias librorum iſtorum examinat.

Primam earum facit hiſtoriam Judæ Gen. 38 pag. 116, quam quorſum hic adducat non percipio: cum enim ſcriptor dicit: *contigit autem in illo tempore*, manifeſto apparet, eum non reſpicere ad id quod immediate præcedit (quemadmodum Adverſarius eum facere vult, ac proinde *Ezdram hanc hiſtoriam ſimpliciter deſcripſiſſe, & nondum examinatam poſteris reliquiſſe*) ſed tempus aliquod indefinitum denotare. Adeo ut nulla hic difficultas remaneat, nec Adverſarii methodus quidquam juvet, ad mentem hiſtoriographi percipiendam.

Altera hiſtoria majoribus ab ipſo difficultatibus intricata eſt. Ea eſt Gen. 47, pag. 117, ubi Jacobus ſe 130 annos natum dicit, cum Pharaonem ſalutaret. Ex quo per computationem infert, *Dinam vix ſeptem annorum fuiſſe, cum à Sichemo vim paſſa eſt, Simeon autem & Levi vix duodecim & undecim, cum totam illam civitatem deprædati ſunt &c.* Quod inde concludit, quia à Jacobi ętate primum detrahendi ſint 22 *anni, quos in mœrore, propter abſentiam Joſephi, tranſegit, deinde* 17 *anni ætatis Joſephi cum venderetur, & tandem ſeptem anni quos propter Rachelem ſervivit.* Neſcio ſane unde Adverſarius iſta adeo aſſeveranter proferat, ne ſemel collato computo. Primo enim, unde iſtud habet, quod Jacobus viginti & duos annos in mœrore, ob Joſephi abſentiam tranſegerit? Deinde non obſervavit, à Jacobi ætate etiam detrahendos eſſe ſex annos, quibus propter pecus ſervivit, quorum expreſſa mentio eſt Gen. 31. 41. Quibus ſi addantur duo vel tres anni, ab eo tempore quo Labanem deſeruit (qui proculdubio in iter, Eſaui viſitationem, ædificationem tentoriorum & altaris, de quibus Gen. 32 & cap. 33. 18, 29, 20, inſumti ſunt) ita computum inſtituemus: Viginti annis ſervivit Jacob Labani Gen. 31. 41, tres anni effluxerint, ex quo Labanem deſeruerit, antequam Sichemi habitationis ſedem figeret. Cum Gen. 46. 34 dicatur Eſaum 40 annos natum primitus matrimonia iniiſſe. Quantum autem temporis inter Eſaui & Jacobi matrimonium interceſſerit, non indicat liber Geneſeos. Capite autem 31. 25 nar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

narratur Jacobum, poſtquam Joſephum genuiſſet, à Labane diſcedere voluiſſe, quod circa quartumdecimum ſervitutis annum accidiſſe videtur, quia ſtatim cum Labane tranſegiſſe refertur verſu 32 &c, de ſervitii mercede ex pecore accipienda, quod ſex annis duraſſe ex cap. 41. 41 conſtat. Poſt ſeptendecim annos Joſephus à fratribus in ſervitutem Ægypticam traditus eſt. Ex quo tempore non plures quam tredecim annos effluxiſſe certum eſt uſque ad Joſephi Imperatoriam poteſtatem: quandoquidem tum triginta annos natus fuiſſe Gen. 41. 46 indicatur. Si ergo computatio aliqua fieri deberet, eam ſic inſtituendam eſſe cenſeo. *Joſeph* decimo quarto ſervitutis *Jacobi* anno natus eſt. Poſt hanc nativitatem *Jacob* adhuc ſex annis ſervivit. *Dina* ad minimum uno ante *Joſephum* anno nata eſt. Statuamus jam *Jacobum* tres adhuc annos inſumſiſſe antequam *Sichemum* habitatum veniret, & quod *Dina* tum decem annos habuerit: fieri etiam poteſt, ut antequam Sichem *Dinam* comprimeret, annis aliquot Jacobus ibi habitaverit, cujus contrarium ex textu minime apparet: ſimulatque enim Dina vim à Sichemo paſſa fuit, ejuſquę civitas deleta eſſet, neceſſario Jacob inde aufugere debuit. Et cum nil fere niſi fuga, & Rachelis inter pariendum obitus interceſſiſſe refeſeratur Gen. 37. 1, vero ſimile eſt Jacobum ibi jam per annos aliquot habitaſſe, & Dinam, cum ſtuprum ei inferretur ſexdecim circiter annos habuiſſe, Simeonem & Levi 21 & 22. Et ſic nulla hic remanebit difficultas.

Pergit pag. 117. *Nec hic opus habeo omnia Pentateuchi recenſere, ſi quis modo ad hoc attenderit, quod in hiſce quinque libris omnia, præcepta ſcilicet & hiſtoriæ promiſcue ſine ordine narrentur; neque ratio temporum habeatur, & quod una eademque hiſtoria ſæpe, aliquando diverſimode repetatur, facile dignoſcet hæc omnia promiſcue collecta & coacervata fuiſſe.* Ecce quot & quanta tam petulanter effutiat, nihil ad ea probandum proferens! Nos vero contrarium facile dignoſci æque facile aſſerimus, & apparere omnia prudenter à ſcriptore, eo modo & ordine quo geſta ſunt eſſe relata. Ex iis quæ ad ſuperiores objectiones, de hiſtoria *Judæ & Jacobi* reſpondimus, colligere licet, quàm parum Adverſarii aſſertionibus ſit tribuendum, & merito concludi, ſi ea quæ prolixe oſtendere conatur adeo ſunt futilia, multo magis id locum habere, ubi nihil ad probandum adfert.

Eadem temeritate aſſerit ibidem, in reliquis ſeptem libris eandem quę in libris Moſis confuſionem locum habere. Quod ex locis quibuſdam oſtendere conatur. Quorum primus eſt Judic. cap. 2. 6, ubi, cum hiſtoricus promiſerit, ſe ea quæ poſt Joſuæ mortem acciderant narraturum, hic tamen interſerit quędam quæ vivente Joſua acciderant. Quaſi abſurdum eſſet quædam interſerere ad Joſuæ vitam pertinentia, quæ ad filum hiſtorię pertexendum ſunt accommodatiſſima. Qualia hęc quæ de Joſua ibidem narrantur eſſe, cuivis locum inſpicienti eſt manifeſtum.

Pergit pag. 117 ad 1 Samuelis librum, cujus caput 16 & 17 cum 18 ex diverſis hiſtoriis deſumta eſſe affirmat. Idquę ex eo confimare ſtudet, quod diverſa cauſa, cur David aulam Saulis frequentare cœperit, in iſtis capitibus indicetur. Sed fallitur: quia fieri potuit ut David ob utramque cauſam aulicus Saulis, diverſo tempore factus fuerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

fuerit. Et quod cap. 16 narratur, ut id acciderit poſt occiſum Goliathum, quod etiam verbis cap. 16. 8 innuitur, ubi narratur unum ex Sauli miniſtris dixiſſe, Davidem heroëm eſſe & militem egregium, cujus rei nullum ſpecimen publicum ante iſtud tempus edidiſſe legitur, niſi profligationem Goliathi. Poſt quod facinus domum diſceſſerit, & poſt à Saulo hortatu aulicorum, eo quod David vir fortis, & præterea egregius citharœdus eſſet, ad ſe vocatus fuerit. Quod non tantum cap. 16. 21, 22, ſed & cap. 18. 2 indicatur. Atque ita nulla hic contrarietas, ſed levis tantum hyſterologia, omnibus ſcriptoribus familiaris comparet. Verba enim cap. 17. 1: *Palæſtini autem convocati ſunt ad bellum*, explicationem ordiuntur, quo pacto David famam fortitudinis fuerit conſecutus.

Sequens locus cap. 26 & 24 ejuſdem libri, frivolè admodum ab Adverſario pag. 117 adducitur. Vult enim abſque ulla juſta cauſa ſuſpicari, eandem hiſtoriam diverſimode refreri (cum tamen duę ſint diverſarum rerum relationes) quod nullam ob cauſam facere videtur, niſi quia non potuit reperire quot ſperaverat abſurda.

Quintus locus pag. 118 eſt 1 Reg. 6. 1, ubi Salomon templum ędificaſſe dicitur anno 480 ab exitu Iſraëlitarum ex Ægypto, cum tamen ex computatione colligi poſſint plures quam 580 anni, ad quos oſtendendum tabulam Chronologicam addidit, ex qua id evidenter appareat. Sed quia in tabula iſta non annotavit loca Scripturæ, ex quibus tempus regiminis eorum qui Iſraëlitis præfuerunt indicatur, ſuſpicamur (ut in hiſtoria Jacobi accidit) nos hic errores aliquot reperire poſſe, quos in computando Adverſarius commiſit. Sed dabimus 580 annos effluxiſſe, hinc tamen concludi non poteſt, Scriptorem ipſum erraſſe, ſed eum qui exemplar deſcripſit, quales errores in libris Samuelis, Regum & Chronicorum, irrepſiſſe, non negabimus (qui etiam facile committi, facile etiam reſtitui poſſunt) præſertim cum numeri Hebraïci literis alphabeti ſcribi ſoleant, in quibus facillime lapſus admitti poteſt in muneris denariis & centenariis, qui literis valde ſimilibus exprimi ſolent. Atque hoc pacto tota objectio dilui poſſet: niſi alias adhuc tricas necteret Adverſarius: videlicet, his 580 annis addendos adhuc eſſe annos, qui inter mortem Joſuæ & invaſionem Chuſæ Riſgataim interceſſerunt, quorum numerum magnum fuiſſe credit, præter annos quibus Samuel judex fuit. Deinde etiam annos quibus Saul regnavit. Et tandem annos anarchiæ, de qua Jud. 17. 6. Itaque integra iſta chronologia accuratius expendenda eſt, nequid hic deſiderari amplius poſſe videatur. Sed antequam iſtud aggrediar generaliter reſpondeo, dato quod iſti anni magno numero annis 580 addendi ſint, ſupponere poſſumus eos 100 vel 200 annos conficere, & ſic error amanuenſis in eo conſiſtet, quod pro 580, 680 vel 780 ſcribere debuerit. Atque ita omnis difficultas ſublata erit. Jam vero fieri poteſt, ut omnia iſta tempora conjuncta, non adeo multos annos conficiant. Quamvis enim Adverſarius contendat, plurimos annos inter Joſuæ mortem & Chuſæ Riſgathaim tyrannidem intercedere debuiſſe, fieri tamen poteſt, ut non adeo multi anni effluxerint: quandoquidem frequenter contigit, ut populus breviſſimo temporis ſpatio à Deo defecerit, prout ex Num 16

aliiſque

aliiſque libri Judicum capitibus manifeſtum eſt. Demus igitur hic interceſſiſſe annos 10 vel 15, vel etiam 20. Samuelis præfecturæ tribuamus annos 8 (quamvis multo pauciores eſſe potuerunt) Saulis regno 20 annos. Anarchiæ tribuantur anni 6, & ſic mihi videor largiter conceſſiſſe annos iſtos quos Adverſarius ſe omiſiſſe dicit, ita habemus 54 annos. Si jam velimus detrahere annos quos Adverſarius abſque neceſſitate tabulæ ſuæ adſcripſit, facile illos invenire poterimus. Primo enim notum eſt, Hebræis annorum & dierum vel ſeptimanarum numero frequenter includi initium primi & poſtremi, ita 24 iſtis periodis, quos Adverſarius annumerat, ad minimum 48 erunt detrahendi. Et ſi annis 26, quos Joſuæ tribuit, 6 tantum anni detrahantur, habebimus 54 iſtos annos. Ita rurſus omnis hic evaneſcet obſcuritas. Præterquam quod de Hotniele, Ehudo & Sangare non expreſſe dicatur in textu, quod tot annis judicaverint, quot Adverſarius ipſis tribuit. Videatur libri Judicum cap. 3. 11, 30, 31. Et ſic numerus annorum 580 optime conſtabit, errore amanuenſis unius centenarii conceſſo. Quibus addantur ea quæ *Blijdenburgius*, tractatu ſuo Belgico pag. 250 &c. ad hanc eandem Adverſarii difficultatem reſpondet, integros centum annos Chronologiæ Adverſarii detrahens: Joſuæ enim tantum 17, cui Adverſarius 26 annos tribuit. Tyrannidem Chuſæ Riſgataim, 8 annorum, ſub Othnielis principatu comprehendit, ſecundum Eſdræ relationem. Eglonis 18 annos ſub Ehudi; Jochini 20 annos ſub hiſtoria Deboræ; Midiani 7 annos ſub Gideonis; Philiſtæorum & Ammonitarum oppreſſionis 18 annos ſub Jephthæ; Et 20 annos Philiſtęorum ante Samuelum ſub Samuelis quadragenaria præfectura comprehendit. Oſtenditque præfecturam iſtorum principum ipſo oppreſſionis iſtius tempore jam initium habuiſſe, eoſque paulatim hoſtium jugum excuſſiſſe.

Dicit porro Adverſarius pag. 119, textum 1 Sam. 13. 1 *truncatum eſſe*, cum tamen ipſe textum truncarit, omittendo ea quæ ſequuntur, Saulem videlicet ſecundo regni ſui anno, rebellionem contra Philiſtæos ſive Palęſtinos incepiſſe. Non enim ibi numerus annorum quibus in univerſum regnaverit Saulus; ſed tantum tempus quo Philiſtæos ſubigere cœperit, indicatur, & *duo anni* pro anno ſecundo accipi debent.

Falſo deinde aſſerit eadem pag. circa finem, *cap.* 7. 1 *Sam.* 13 *narrari, quod Philiſtæi ita ab Hebræis debellati fuerunt, ut non fuerint auſi, vivente Samuele, terminos Iſraëlis ingredi, at hic* (1 *Sam.* 13. 19, 20, 21, 22) *quod Hebræi (vivente Samuele) a Philiſtæis invaduntur.* Primum non dicitur, *Philiſtæos non auſos fuiſſe, vivente Samuele, terminos Iſraëlitarum ingredi*, ſed tantum, *quod non amplius venirent in terminis Iſraëlis*, nec additur, *vivente Samuele*, prout Adverſarius dicit; ſed ratio redditur, cur Philiſtæi non amplius terminos Judææ invaderent, *quia manus Jehovæ contra Philiſtæos erat*, NB. *omnibus diebus Samuelis*, id eſt toto iſto tempore quo Samuel eſſet Judex, non vero poſtquam, rejecto Samuele, regem poſtulaſſent 1 Sam. 12. 12: tum demum enim legimus, Philiſtæos fines Judææ invaſiſſe cap. 13. 19 & ſeqq. Et ſic optime textus 1 Sam. 13. 19 cum antecedentibus convenit.

Pergit pag. 120. *Sudarem ſane ſatis, ſi omnes has hiſtorias, quæ in hoc primo libro*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Samuelis habentur, ita conarer conciliare, ut omnes ab uno hiſtorico deſcriptæ & ordinatæ viderentur. Minus profecto ſudares, quam ut eas inter ſe pugnare, & a diverſis hiſtoricis deſcriptas eſſe, ſolide demonſtrares. Nos vero, prout cœpimus, etiam reliquas, quas Adverſarius adfert difficultates, enodare, & ſudorem ſi quis erumpat abſtergere, non gravabimur. Imo ut Lectoribus penitus ſatisfiat, reliqua loca quæ ab Atheïs & Sacrarum Literarum hoſtibus, quaſi abſurda & ſecum invicem pugnantia, mihi & aliis olim ſecretò objecta ſunt, adjicere libro ſecundo Capp. 1, 2, 3, 4, 5, eaque ab abſurditate & repugnantia liberare, Deo juvante non deſiſtam. Et videbimus an Adverſarius, prout pag. 121 promittit, manus ſit daturus.

Addit igitur pag. 120 ſeptimo locum 2 Reg. 1. 17, quem cum 2 Reg. 8. 16 pugnare dicit: in primo enim loco dicitur, Joramum filium Achabi cœpiſſe regnare anno ſecundo regni Jorami, filii Joſaphati, in altero contra, quod Joram filius Joſaphati, regnare cœperit anno quinto Jorami, filii Achabi. Si Adverſarius inſpexiſſet Ordinum Hollandiæ verſionis authores, non adeo temere dixiſſet: *Commentatores, quos legi, ſomniant, fingunt, & linguam denique ipſam plane corrumpunt*: illi enim oſtendunt 2 Reg. 8. 16 nihil aliud narrari, quam *Joramum*, filium *Joſaphati*, regnum eſſe adeptum anno quinto regni Jorami, filii Achabi, qui tum temporis quinque annis, vivente Joſaphato regnum obtinuerat. At cap. 1. 16 Joramum filium Achabi, ſecundo anno quo Joram filius Joſaphati, a Patre in ſocietatem regni eſſet adſcitus, regem eſſe factum, & per ſecundum annum regni Jorami, filii Joſaphati, non aliud intelligi, quam regimen quòd vivente patre Joſaphato eſſet adeptus. Et Joſaphatum, cum ad bellum adverſus Syros proficiſceretur, filium ſuum Joramum ſucceſſorem regni declaraſſe & in regni ſocietatem admiſiſſe. Atque eo modo optime, & abſque ulla abſurditate duo iſti loci optime conciliantur. Rem autem ita ſe habere non potuiſſe qui aſſerere vult, id oſtendere tenetur.

Adeo paucis in medium prolatis locis, idque tam infeliciter, addit: *Et ſi quis præterea hiſtorias libri Paralipomenon conferre velit cum hiſtoriis librorum regum, plures ſimiles diſcrepantias inveniet:* (Reperiet, fateor, ſed quæ non difficilius quam præcedentes conciliari poſſunt) *quas hic non opus habeo recenſere* (omnino id facere debuiſti, vel tacere de reliquis, ne mala fide agere videreris) *& multo minus authorum commenta, quibus has hiſtorias conciliare conantur.* Conciliationes authorum negligere ſaltem non debuit, ne quas refellere non potuit, contumelioſe contemnere videri poſſit. Belgici Interpretes, *Grotius*, *Brenius*, *Socinus*, *Manaſſe Ben Iſraël*, *P. J. Twisk* aliique, non paucas egregias habent conciliationes, quas una cum meis apponere non pigebit.

Pergit. *Rabini namque plane delirant.* In multis concedo, non tamen ubique, prout ſuo loco oſtendemus.

Commentatores autem quos legi ſomniant, fingunt, & linguam denique ipſam plane corrumpunt. Fieri poteſt ut paucos ſatis, eoſque non optimos legeris. Si autem eos quos modo citavi inſpexiſſes, credo te id non fuiſſe dicturum impune, quod ſtatim uberius apparebit.

E. G. cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

E. G. cum in lib. 2 Paralip. 22. 2 dicitur, annos quadraginta duo natus fuit Aghaſia cum regnaret, fingunt quidam hos annos initium capere a regno Homri, non autem a nativitate Aghaſiæ. Septuaginta 2 Par. 22. 2 & 2 Reg. 8. 26 utrobique legunt, Achaſiam viginti duorum fuiſſe annorum cum rex crearetur, quod & *Grotius* animadvertit, nec non *Brenius*, qui itaque non *ſomniant* &c. Quod Adverſarius facilius dicere quam probare potuit. Apparet itaque tempore iſtorum interpretum, Hebraïcum textum 2 Chron. 22. 2 habuiſſe 22, non 42, atque hoc modo nulla remanet repugnantia. Nam errores inter deſcribendum hic illic in textum irrepſiſſe, negari non poteſt, qui ubi ex aliquo exemplari reſtitui poſſunt, nihil eſt quod de ſcriptore cavillemur, vel textum depravatum eſſe cauſemur. Depravatio enim non per errorem, ſed dedita opera fit; nec etiam is qui talia audet, in levioribus, ſed in rebus maximi momenti id tentaret. Imo quamvis nullum exemplar nobis errorem indicaret, non propterea ipſe ſcriptor eſſet incuſandus: præſertim cum errores iſti maximam partem in numeris tantum arithmeticis locum habeant, prout ipſe Adverſarius mox concedere videtur pag. 121 & 122. Quod in omnibus antiquis ſcriptoribus locum habet, de quorum fide propterea nemo dubitat. Et ſic non opus eſt ad Rabbinorum & Cabaliſtarum deliria confugere, quamvis non omnia ſine diſcriminine ſint rejicienda, quæ illi protulerunt.

Pergit pag. 122. *Quod autem mendæ irrepſerint, neminem ſani judicii dubitare credo, qui textum illum Sauli (quem jam ex 1 Sam. cap. 13 verſ. 1 allegavimus) legit.* Homo temerarius, qui adeo audacter ſibi quaſi dictatoriam authoritatem tribuit. Nos vero jam oſtendimus iſtum locum id non evincere.

Addit. *Et etiam verſu 2 Cap. 6 Samuel 2. nempe, & ſurrexit & ivit David, & omnis populus qui ipſi aderat ex Juda, ut inde auferrent Arcam Dei. Nemo hic etiam non videre poteſt, locum quo iverant, nempe Kirjathearimum, unde Arcam auferrent, eſſe omiſſum.* Non neceſſe eſt id concedere, imo quivis videre poteſt, locum iſtum non a Scriptore, ſed ab Adverſario eſſe omiſſum: in textu enim habetur, ſecundum verſionem Belgicorum interpretum: *tunc ſurrexit David, & abiit cum omni populo qui de Baalim Juda ipſi aderat, ut inde* (nempe ex Baalim Juda, quæ eſt *Kiriathearim*, vel locus aut ædificium aliquod in *Kiriathearim*) ut ex 1 Chron. 13. 6 liquido conſtat) *auferrent Arcam Dei*: ita enim in Hebræo habetur 2 Sam. 6. 2 ויקם וילך דוד וכל העם אשר אתו ככ עלי יהוה Et 1 Chron. 13. 6: *Tunc adſcendit David, cum tota Iſraële ad Baala ad Kiriathearimum.* In Hebræo habetur אל, quod verti poteſt *in*, ut dubium ſit an *Baala* ſit ipſum *Kiriathearimum*, an vero locus vel ædificium aliquod in eodem oppido. Sic & hic nihil efficit Adverſarius, niſi quod ſuam negligentiam & oſcitantiam prodiderit.

Pergit pag. 122. *Nec etiam negare poſſumus, quod verſus 37 cap. 13 Sam. 2 perturbatus & truncatus ſit, ſcilicet: Et Abſalon fugit, ivitque ad Ptolomeum, filium Hamihud, regem Geſur, & luxit filium omnibus diebus (verſ. 38) & Abſalom fugit, ivitque Geſur, manſitque ibi tres annos.* Si verba verſus 37 *Et Abſalom fugit, ivitque ad Thalmai, filium Ammihud, regem Geſur*, parentheſi includantur, tum reliqua cum verſu 36 optime

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

cohærebunt, ubi dictum fuerat Regem cum omnibus miniſtris fleviſſe, quem verſu 37 filium luxiſſe omnibus diebus narrat, & ſic nihil hîc, niſi in Adverſarii cerebro, perturbatum vel truncatum comperimus. Reliqua quæ adverſus Judæos, de notis marginalibus &c diſputat, prætereo: quia me non tangunt. Pergo itaque ad

CAPUT X.

In quo reliqui Veteris Inſtrumenti libri, eadem modo quo Superiores, examinantur.

Contenta.

HOc Capite idem quod ſuperioribus tribus capitibus fecerat, de reliquis Veteris Inſtrumenti libris, Adverſarius demonſtraturum ſe prætendit, eos videlicet nihil eſſe niſi fragmenta, eaque depravata, mendaciis & abſurditatibus referta, & multis ſeculis poſt authorum quorum nomina præ ſe ferunt mortem, demum conſcripta.

CUm de Libris *Chronicorum*, *Nehemiæ*, *Pſalmis*, *Iobi*, *Proverbiis* & *Eccleſiaſte Salomonis* nihil fere dicat, non opus eſt illis quæ effutit immorari. Id tantum notandum eſt, quod pag. 127 teſtimonium *Philonis*, quod de Pſal. 88 & 89 perhibet, reſpectu temporis quo editi ſint, omnino recipere videatur. Quocirca teſtimonia aliorum antiquorum hiſtoricorum de aliis rebus rejicere minime debet. Quod tantopere miratur, cur libri Paralipomenoon ab illis ſint recepti, qui librum Tobiæ & reliquos apocryphos libros rejicerunt, non eſt quod miremur. Quid aliter faceret, qui totam religionem irridet. Ad ſequentia autem nos conferamus.

Pergo, ait pag. 128, *ad libros Prophetarum. Cum ad hos attendo, video prophetias quæ in iis continentur, ex aliis libris collectas fuiſſe.* Hæc ut facile ab ipſo abſque ulla probatione dicuntur, ita a nobis nullo negotio negantur.

Neque in hiſce eodem ordine ſemper deſcribi, quo ab ipſis Prophetis dictæ vel ſcriptæ fuerunt. Nihil (more ſolito) adfert ex quo iſtud conſtare poſſit. Et ſi verum eſſet, nihil plane efficeret.

Neque etiam omnes contineri; ſed eas tantum quas hinc illinc invenire potuerunt: quare hi libri non niſi fragmenta Prophetarum ſunt. Hoc etiam quamvis verum eſſet parum referret; ſed nihil iſtorum Adverſarius probat. Prius enim dicit, *non omnes prophetias* libris iſtis *contineri*, deinde autem, mutans ſtatum controverſiæ, libros iſtos *non niſi fragmenta eſſe Prophetarum*, id eſt, libros quoſdam a Prophetis conſcriptos, vel etiam partes horum ipſorum librorum quos habemus non extare, qualis eſt, hiſtoria rerum ab Huzzia rege geſtarum 2 Paral. 26. 22. Qui liber cum non conſtet an Prophetias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

liquas continuerit, non efficit ut prophetiæ quædam perierint. Ea quæ ex *Eſaiæ* prophetiis habemus, ex Chronicis regum Judæ & Iſraëlis deſcripta eſſe, nos initio Cap. 9 refutavimus. Ita nihil adfert ad oſtendendum, *nos nil niſi fragmenta Prophetarum habere*, quod alicujus ſit ponderis, & de reliquis quæ aſſeruit, ne gry quidem. Et hæc de Eſaia.

Jeremiæ deinde prophetiæ, quæ hiſtorice narrantur, ex variis Chronologis decerptæ & collectæ ſunt. Unde vero ipſi hoc conſtare poteſt? Nam quamvis omnia quæ ad id probandum adfert, vera eſſe concederem, ſequeretur quidem inde, quod confuſe omnia eſſent digeſta, non vero, *quod ex diverſis Chronologis ſint deſumta & collecta.* Sed ad examen etiam revocemus, quæ adeo intrepide Adverſarius aſſerit.

Addit igitur pag. 128, 129. *Nam præterquam quod perturbate accumulentur, nulla temporum habita ratione.* Si pro *perturbate* diceret *confuſe*, reſponderem hæc omnia ad rem quæ in qnæſtione eſt definiendam nihil facere: nam ſuſceperat Adverſarius, ſe oſtenſurum, *nos nil niſi fragmenta Prophetarum habere.* Quamvis autem concederemus, eos confuſe, quoad temporis ſeriem, ſcribere, quid in eo foret abſurdi? cum Prophetæ non Chronologiam, ſed objurgationes & futurorum prædictiones tradiderint, quas parum refert ſcribere quo tempore ſint editæ. Præterea negamus prophetias Jeremiæ *perturbate accumulari.* Adverſarius id probaturus, *eandem hiſtoriam diverſis modis repeti ait*, quia cap. 22 hæc cauſa captivitatis Prophetæ traditur, quod urbis vaſtationem prædixiſſet, cap. vero 37 alia captivitatis occaſio indicetur, ſuſpicio ſcilicet quod ad Chaldæos transfugere vellet, & cap. 38 rurſus alia cauſa diuturnæ ejus detentionis. Sed hoc falſum eſt: nam cap. 38 narratur, Prophetam in carcere vaſtationem urbis perrexiſſe prędicere (poſtquam ob transfugii ſuſpicionem in carcerem eſſet conjectus, qua de re cap. 37 agit) eodem modo quo cap. 21 fecerat. Atque hanc detentionis cauſam ſtatuit. Cum vero cap. 21 prophetaviſſet, uno tantum die in carcere fuit detentus cap. 20. 2, 3. Falſum igitur eſt quod Adverſarius dicit, nimirum *eandem hiſtoriam diverſis modis repeti*: eſt enim diverſa hiſtoria quæ capp. 20 & 21 narratur, ab ea quæ capp. 37 & 38 refertur, quamvis in utraque ſimiles planæ circumſtantiæ locum habuerint. Quod vero ad perturbatam accumulationem prophetiarum attinet, id eſt, quod abſque temporis ordine ſint conſcriptæ, nec hanc (quamvis, ut dictum eſt, ea nihil abſurdi in ſe contineret) admittimus. Nam pręterquam quod ea quæ capite 38 referuntur, ad ea quæ cap. 20 & 21 geſta ſunt non pertinent, prout jam oſtendimus, reliqua quæ capitibus 22. 23 & ſeqq. ſcribuntur, ordine, appoſite & concinne ſunt ſcripta, juxta ſeriem temporis quo Prophetę ſunt revelata. Quod prolixius oſtendere non eſt opus, quia Adverſarius nihil probat.

Pergo ad librum Ezechielis. De quo pag. 129 dicit *fragmentum etiam tantum eſſe.* Quod quamvis de omnibus Prophetarum libris verum eſſet, non adeo multum referret, modo fragmenta iſta fideliter nobis eſſent tradita: illa enim tot Prophetias continent, ut abunde ſufficiant, ut id ex illis conſequamur, ad quod à Deo olim omnes prophetiæ ſunt profectę. Sed videamus argumenta, quibus ſuam aſſertionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Adverſarius confirmat. *Id primi ejus verſus*, inquit, *clariſſime indicant: quis enim non videt, conjunctionem, qua liber incipit, ad alia jam dicta referri, & cum eis dicenda connectere.* Ego ſane id non video, & miror quod Adverſarius in eo aliquod robur ſitum eſſe urgeat, cum Hebræorum loquendi modos ſat bene callere videatur. Iſtiuſmodi enim conjunctiones apud Hebręos ſępiſſime πλεονάζει, nemo eſt qui ignoret. Confer Exod. 1. 1 & alibi. Sic abſentia copulæ, connexionem frequenter non tollit, ut 1 Sam. 1. 1. 1 Chron. 6. 1. Nehem. 1. 1, ubi in principio deeſt: in medio adeſt conjunctio, ut & Hoſ. 1. 2. *Corteſii* liber *de Nove Orbe* etiam à conjunctione incipit, aliique.

Nec major vis eſt in altero argumento, cum ait: *annus enim trigeſimus, à quo hic liber incipit, oſtendit Prophetam in narrando pergere, non autem incipere.* At cur annus trigeſimus hoc oſtendat, percipere nequo. Nonne ita poteſt ordiri, indicans annum captivitatis Babylonicæ, quo prima revelatio ipſi contigerit?

Sed addit tertio. *Quod etiam ſcriptor ipſe per parentheſin verſu 3 ſic notat: fuerat ſæpe verbum Dei Ezechieli &c.* In textu ita non habetur, ſed *fuit fuit verbum Dei Ezechieli*, id eſt certiſſime fuit, vel eſſendo fuit היה, היה, prout *Arias Montanus* interpretatur. Quamvis nec verba ex Adverſarii verſione truncationem neceſſario indicant. Quia Propheta præcedentes revelationes potuit noluiſſe deſcribere.

Quarto adfert. *Deinde Joſephus libro antiqu. cap. 9. narrat, Ezechielem prædixiſſe, quod Tzedechias Babyloniam non videret, quod in noſtro quem ejus habemus libro non legitur.* Credidit forte Adverſarius, neminem fore qui ad ejus tractatum reſponſurus eſſet, quod hæc ita effundere audeat. Capite enim 12 verſu 13 expreſſe habetur, *& adducam eum in Babel, terram Chazdim, & ipſam non videbit, & ibi morietur.*

Addit: *Sed contra, cap. ſcilicet 17. (20) quod Babylonem captus duceretur.* An hoc contrarium eſt ei quod non viſurus ſit Babylonem? nonne potuit illuc deduci oculis privatus?

Pag. 129. *De Hoſea non certo dicere poſſumus*, inquit, *quod plura ſcripſerit.* Ergo iſtius ſaltem nil niſi fragmentum extare non probat. Sed addit Adverſarius, *attamen miror, nos plura ejus non habere* (non mirum iſtud eſt, cum multorum Prophetarum nihil habeamus) *qui, ex teſtimonio Scriptoris, plus quam 84 annos prophetavit.* Nullibi Scriptor, id eſt liber Hoſeæ id teſtatur. Tantum dicitur ipſum in diebus Uziæ, Jotham, Achaz & Hiskię regum Juda, nec non Jeroboami Regis Iſraëlis prophetaſſe. Cum vero prophetiæ ejus à poſtremis Uziæ regis annis initium capere, & initio regni Hiskiæ & Jeroboami finem habuiſſe potuerint, incertum plane eſt, quot annis prophetaverit, quos nonulli 43, alii 84 alii 90 faciunt. Ut non liceat dicere, ſcriptorem annos iſtos numero 84 vel circiter includere.

Pergit pag. 130. *Hoc ſaltem in genere ſcimus, horum librorum ſcriptores, neque omnium Prophetarum* (hoc ſi fateremur nequidquam nobis obeſt) *neque horum quos habemus, omnes Prophetias collegiſſe.* Utrumque negamus, nimirum nos omnes horum Prophetias non habere, & eas quas habemus, ab aliis collectas eſſe. Prius hactenus

Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

probare non potuit, niſi de ſolo Jona, qui de Azaria Prophetavit 2 Reg. 14. 25, & parum refert an omnes Prophetias habeamus, nec ne.

De libro *Jobi* nihil certi affirmare poteſt, niſi *quod ſtylus &c, non viri inter cineres miſere ægrotantis, ſed otioſe in muſæo meditantis videntur.* Quod facile conceſſerim, nec liber etiam indicat, eum à Jobo, dum ulceribus cruciaretur, eſſe compoſitum.

Quæ de *Danielis* libro, ut & *Eſtheris*, *Eſdræ & Nehemiæ* ſuſpicatur & conjicit, non eſt operæ pretium, ut in iis refutandis operam perdamus. Hoc tantum notare libet, quod, cum in fine pag. 134 dixiſſet, *librum Danielis ſine dubio ex cap.* 8, *ipſius Danielis ſcripta continere*, poſtea circa finem pag. 131, ſui oblitus, dicat, *eundem fuiſſe authorem quatuor iſtorum librorum*, *Danielis*, videlicet, *Eſdræ*, *Eſtheris & Nehemiæ* N.B. *quiſnam autem* N.B. *is fuerit*, *nec ſuſpicari quidem poſſum.* Cum ergo ſeipſum refutet, non opus eſt hiſce diutius immorari.

Deſcrepantia in numeris libri Ezdrę & Nehemiæ, non opus eſt ut ſit orta ex errore deſcribentium (quamvis & hoc abſque periculo concedi poſſet) ſed fieri poteſt ut bis ſumma ſingularum familiarum fuerit inita, idq; diverſo tempore, & quod ſecunda vice aliqui, obierint, nonnulli in Babylone remanſerint, qui prius ſe Hieroſolymam profecturos eſſe dixerant, aliique ex Judæa in Babylonem redierint, nonnulli poſtmodum Babylonia in Judæam receſſerint, atque inde diverſitas in numeris & nominibus extiterit, quæ Belgicorum interpretum eſt ſententia, minime contemnenda. Et quamvis mendę aliquot hic illic irrepſerint (verbis Adverſarii pag. 135 circa finem utor) *quia quædam loca corrupta ſunt*, *idem de omnibus ſuſpicari non licet*: *nullus enim liber unquam ſine mendis repertus eſt*, *an quæſo ea de cauſa ubique mendoſos aliquis unquam ſuſpicatus eſt? nemo ſane*: *Præſertim quando oratio eſt perſpicua*, *& mens authoris clare percipitur.* Quibus verbis ſibi ipſi & omnibus ſatiſfacit, nec opus eſt à nobis quidquam præterea addi. Nihil igitur moramur ea quæ pag. 134 dicit: *Præter mendas quæ in ſummis Epiſtolæ Genealogiæ*, *tam Hezræ quam Nehemiæ ſunt concedendæ*, *plures etiam notantur &c. & vereor ne in ipſis etiam Prophetiis.* Rationem vero reddit cur iſtud vereatur, alias nimis hoc temerarium, & verbis ejus modo citatis repugnans eſſet.

Nam, inquit pag. 134, *ſane Prophetia Jeremiæ cap. 22 de Jechonia*, *nullo modo cum ejus hiſtoria* (*vide finem libri 2 Regum & Jerem. & libri 1 Paral. cap. 3. verſ.* 17, 18, 19.) *conveniere videtur.* Cautius hic loquitur, quando dicit, *nullo modo convenire videtur*: nam forſan ipſe animadvertit, ea revera non diſſentire. Quod enim Jer. 22. 30 dicitur, Jechoniam orbum fore, cum tamen 1 Chron. 3. 17, 18, 19 filii ejus recenſeantur, non eſt repugnantia: cum Jeremias non prędicat eum non habiturum filios, ſed tantum, nullum filium habiturum in regno ſucceſſorem. Quod verba ejus ſatis aperte indicant: ita enim legitur: *Scribe hunc virum orbum*, *virum qui non proſperabitur in diebus ſuis*: *non enim* N.B. *quiſquam de ſemine ipſius proſperabitur*, *ſedens in throno Davidis*, *& regnans amplius in Juda.*

Addit pag. 134 & 135. *Nec etiam video*, *qua ratione de Tſidchia*, *cujus oculi ſimulac filios necare vidit*, *effoſſi ſunt*, *dicere potuit*, *pacifice morieris &c*: Hoc ita dici poteſt,

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quod quamvis excæcatus fuerit (qua phraſi an oculorum privatio neceſſario indicetur neſcio) tamen in captivitate non male, ſed honorifice ſit habitus. Ita hactenus abſque juſta cauſa veritus eſt, ne Prophetiæ etiam mendoſæ ſint.

Pag. 135. *Quod ad reliquos attinet quos dixi, eos hic notare non puto.* Credo quia vidiſti facile conciliari poſſe. Sed quicquid ſit, ego hactenus non agnoſco ullam in genealogiis contradictionem (quamvis *R. Salomon* id agnoſcere aliquatenus videatur) quam etiam lib.2.capp. 1.2 & ſeqq. conciliare ſtudebo, ſi qua alicubi occurrere videatur. Atque ita objectionibus Adverſarii abunde ſatiſfactum eſſe exiſtimo.

Quæ poſtea de canone librorum Veteris Inſtrumenti diſſerit, nullius roboris mihi videntur: ſive enim ante, ſive poſt Machabæorum tempus canon ſacrorum librorum fuerit concinnatus, parum refert. Canon enim iſte nullos alios libros comprehendere debet, quam qui extant. Et quandiu adhuc aliquis ex Prophetis erat in vivis, qui ſcripto ſua conſignabat oracula, vel cujus Prophetiæ fideliter ab aliis ſint conſcriptæ, non potuit canon librorum componi niſi includens, non excludens alios libros. Cum vero poſt Machabæorum tempora Prophetiç deſierint, non potuit ante illud tempus, plenus librorum S. catalogus componi. Sed de his Manſſeldius pluribus agit, quem qui volet conſulat.

Quod vero pag. 136 aſſerit, ſolos Phariſæos hos libros præ multis aliis ſelegiſſe, idque facile ex iis quç ſuperius diſputavit colligi, rationes quibus id probat, admodum ſunt frivolç. Prima eſt: *quia Dan. 12. 12 reſurrectio mortuorum prædicitur, quam Sadducæi negabant.* Atqui nos negamus ibi mortuorum reſurrectionem prædici; ſed phraſi iſta apud Prophetas ſignificari liberationem ex ſummis anguſtiis, notius eſt quam ut probari neceſſe ſit. Videatur *Brenius* in hunc locum. Adeo ut Sadducæi propter iſtum locum, nullam cauſam habituri fuiſſent, librum *Danielis* rejiciendi, non magis quam *Ezechielis* librum, in quo ſimilia non pauca reperiuntur, quem tamen Adverſarius vult, ipſos Phariſæos abſcondere voluiſſe, niſi *Neghunja* obſtitiſſet. Præterquam quod nullo modo concedi debeat, Sadducæos adeo impios fuiſſe, ut librum alicujus Prophetç propterea rejicerent, quia aliquid quod ipſorum opinioni aliquo modo repugnare videretur, contineret. Nec majus robur eſt alterius quam adfert rationis, ex Thalmudis teſtimonio deſumtç, quç recenſet legis peritos voluiſſe libros *Proverbiorum Salomonis*, *Eccleſiaſten* & *Ezechielis* abſcondere: nam non probat id conſilium à ſolis Phariſæis profectum fuiſſe. Præſertim cum Sadducæi membra Synedrii & reliquorum Conciliorum fuerint. Præterquam quod de tota iſta Thalmudica hiſtoria non immerito dubitare liceret.

Quamvis autem teſtimonium Domini noſtri Jeſu Chriſti hic omnem diſputationis anſam præcidat, non abnuo tamen ut ſinguli libri de integro examinentur: tanto enim magis apparebit, iis nil niſi frivolas exceptiones objici poſſe, quemadmodum hactenus oſtendimus. Doleo autem me nunc eadem opera non poſſe reſpondere ad examen librorum Novi Fœderis, quod à viris peritis factum eſſe Adverſarius ſe audire affirmat. Reſarcietur tamen utcumque iſtud damnum, examine eorum quæ

Adver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Adverſarius ſpinoſe ſatis adverſus eoſdem evomuit in ſequenti capite, nec non libri cujuſdam inediti, quem penes me habeo, cujus objectiones inferius adſcribere, & ad eaſdem reſpondere eſt animus.

CAPUT XI.

Inquiritur an Apoſtoli Epiſtolas ſuas tanquam Apoſtoli & Prophetæ, an vero tanquam Doctores ſcripſerint. Deinde Apoſtolorum officium oſtenditur.

Contenta.

UNdecimo Capite demonſtrare ſatagit, Apoſtolos miris præſtigiis, mendaciis & dogmatibus, ad hominum ſtolidas imaginationes & inſanas libidines accommodatis, eorum animos ad religionem Chriſtianam amplectendum compuliſſe, idque ſub prætextu juris, quod doctoribus competere prætendit, illos facere potuiſſe exiſtimat. Ad quod oſtendendum non modo multa futilia profert, ſed inſuper Scripturæ verba malitioſe pervertit.

ADverſarius totus in eo eſt, ut omnia religionis capita confundat, turbet & disjiciat, ac propterea non ex profeſſo diſputat, utrum Apoſtoli vera an falſa docuerint, quod facere debuerat; ſed an tanquam Prophetæ, an vero tanquam Doctores Epiſtolas ſcripſerint: ut fucata religionis ſpecie incautos decipiat. Nihil vero de Libris Euangeliorum & Apoſtolorum factis agit, forſan quia vidit ſe in iſtis ex profeſſo debuiſſe agere, de veritate vel falſitate hiſtoriæ: quod nondum auſus fuit, ut ad tempus ſaltem Atheiſmi ſuſpicionem a ſe aliquatenus amovere poſſet. Nos igitur tantiſper ſupponemus, eum nihil contra quinque iſtos libros potuiſſe proferre, eoſque immotæ eſſe veritatis, donec *viri iſti, linguarum & ſcientiarum peritiſſimi*, quos pag. 136 dicit *libros Novi Teſtamenti examinaſſe*, in apertum prodeant, & in arenam deſcendant. Pergo itaque ad examen hujus undecimi Capitis, quod ſic orditur. pag. 137:

Nemo qui Novum Teſtamentum legit, dubitare poteſt, Apoſtolos Prophetas fuiſſe. Per Prophetas, quemadmodum cap. 1 & 2 oſtendimus, Adverſarius intelligit illos, qui ſuas imaginationes & deliria, hominibus pro divinis obtrudebant oraculis. Atque hoc ſenſu negamus Apoſtolos fuiſſe Prophetas. Sed ſi per Prophetas intelligantur illi, qui Dei veri, qualem nos deſcripſimus, nomine & mandato, homines veram Dei voluntatem, quam ab hominibus obſervari vult, ut ſummum bonum ab eo accipiant, docuerunt & explicaverunt, concedimus Apoſtolos Prophetas fuiſſe. Chriſtus autem a Deo fuit miſſus, ut ab eo omnes iſtam voluntatem diſcant. Cum vero Euangeliſtæ, inter quos duo ſunt Apoſtoli, Matthæus videlicet & Johannes, doctrinam & mores Chriſti fideliter deſcripſerint, ſequitur iſtis libris Dei voluntatem contineri, & libros

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

iſtos fidei & morum eſſe normam & regulam. Quamvis ergo concederemus, Apoſtolorum epiſtolas nil continere, præter eorum propriam ratiocinationem & conſequentias, quas ex doctrina Chriſti elicuerunt, nihil tamen nobis deeſſet. Et tum deberet Adverſarius oſtendere, vel Chriſtum non fuiſſe voluntatis divinæ (eo quo indicavimus modo intellectæ) verum interpretem, vel libros iſtos eam non fideliter tradere, vel denique eos penitus eſſe depravatos, adeo ut iſta voluntas ex libris illis non poſſit intelligi. Quod cum non fecerit, merito poſſemus omnia quæ Adverſarius toto hoc capite diſſerit contemnere & præterire. Ne quid tamen deſiderari poſſit, lectorem ad *Socini* tractatum *de Author. S. Scripturæ*, ejuſdemque *Sacras lectiones* alioſque authores remittimus: qui oſtendunt, non tantum Chriſti vitam & doctrinam fideliter iſtis libris eſſe explicatam; ſed etiam libros iſtos incorruptos ad nos perveniſſe. Ad quos tractatus reſponſionem ab Adverſario exigimus, nec non ad ea quæ de hiſce ipſimet inferius diſſeruimus cap. 12. & lib. 2. cap. 6. Notandum eſt præterea, magnum eſſe diſcrimen inter Prophetas Veteris & Novi Fœderis: Prius enim non niſi certum populum, alterum omnes homines ſpectat. Prius vi & ſuppliciis homines ad Dei cultum cogebat, poſterius non niſi rationibus, nulla vi carnali adhibita. Quocirca Apoſtoli, poſtquam ſe a Deo ad prædicandum miſſos eſſe, ſatis demonſtraſſent miraculis, quibus doctrinam ſuam confirmabant, non authoritate aliquid injungere, ſed rationibus perſuadere debuerunt, ut libere Deo obedientiam præſtarent homines. Non ſecundum certas regulas, quibus cuique, quid quavis occaſione facere debeat, præſcribant, ſed ut quiſque generales eorum doctrinas, ad ea quæ occurrunt applicaret, & pro doctrinæ & pietatis modulo, exinde quid fieri debeat eliceret. Si quis igitur ex ſincero Deo ſerviendi propoſito, quæ maxime Deo placent eligit, majus præmium ſperare poteſt: qui vero carni indulgens, à Chriſtiana ſanctitate deflectit, is pro gradu profectionis vel defectionis, præmio vel pœna dignus cenſebitur. Atque inde videmus non eſſe neceſſarium, ut Apoſtoli ita cum authoritate loquantur, ut Prophetæ Veteris Inſtrumenti.

Pergit Adverſarius pag. 137. *Verum quia Prophetæ non ſemper ex revelatione loquebantur, ſed contra admodum raro, ut in fine cap. 1 oſtendimus.* Ibi Adverſarius, pag nimirum 15, nihil aliud ad iſtud oſtendendum habet, præter hæc verba. *Denique, quoniam imaginatio vana eſt & inconſtans, ideo prophetia Prophetis non diu hærebat, nec etiam frequens, ſed admodum rara erat, in pauciſſimis ſcilicet hominibus, & in iis admodum raro.* Ex quo patet quid de eo ſentiendum ſit, quando toties dicit, ſe ſuperius aliquid oſtendiſſe. Primo enim præſupponit prophetiam ab imaginatione hominum eſſe profectam, quod nos negamus, & cap. 2 falſum eſſe oſtendimus. Deinde negamus, quamvis prophetiæ ab hominum imaginationibus & deliriis eſſent profectæ, ex eo ſequi prophetias non diu hæſiſſe, vel admodum raras fuiſſe in ipſis Prophetis. Videmus enim non modo plurimos homines ſibi plurima ridicula imaginari, non modo febribus correptos, ſed etiam melancholicos, maniacos & delirantes, perpetuo fere ſibi imaginari viſiones, revelationes & multa alia. Tertio denique negamus, revelationes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

nes Prophetis Novi Fœderis eodem modo quo Veteris, fuiſſe factas, vel debuiſſe fieri. Apoſtolis enim multo excellentiori, & cum ratione convenientiori modo Dei voluntas eſt revelata, quam illis: prius enim eam a Jeſu Chriſto auribus hauſerunt, quam is deinde per Spiritum Sanctum exactiſſime eis in memoriam revocavit. Adeo ut nihil efficiat Adverſarius, quamvis (quod falſo aſſerit) id quod dixit oſtendiſſet. Non igitur concedimus Prophetis raro revelationes divinitus eſſe factas; ſed nonnullos frequenter revelationes accepiſſe credimus. Sed concedamus etiam, raro & paucis revelationes contigiſſe, quid inde detrimenti noſtræ, vel emolumenti Adverſarii cauſę continget?

Id oſtenſurus Adverſarius addit pag. 137: *Dubitare poſſumus, num Apoſtoli tanquam Prophetæ ex revelatione & expreſſo mandato, ut Moſes, Jeremias & alii, an vero tanquam privati vel doctores epiſtolas ſcripſerint.* Pauciſſimi fuerunt Apoſtoli, iique raro epiſtolas ſcripſerunt: quare nulla cauſa eſt cur de eo dubitemus, an ex revelatione & expreſſo mandato ſcripſerint, ideo *quod Prophetæ raro ex revelatione loquebantur.* Sed dubitemus etiam (quamvis non ob eam quam Adverſarius adfert rationem) *an ex revelatione & expreſſo mandato ſcripſerint*, imo concedamus eos ex propria deliberatione, nullo accedente ſpeciali mandato vel revelatione, ut doctores ſcripſiſſe, quid tum? Num propterea eorum epiſtolæ minoris apud nos erunt authoritatis? minime gentium. Modo conſtet eos fuiſſe pios, adeo ut nil ſcripſerint, niſi quod verum eſſe credebant, & earum rerum de quibus ſcripſerunt, accuratam notitiam habuerint. Ita ſequetur, ſive ut doctores, ſive ex Dei expreſſo mandato ſcripſerint, eorum Epiſtolas, ut & Libros Euangeliorum, irrefragabilis & plane divinæ eſſe veritatis & authoritatis. Eos vero fideliter ſcripſiſſe, & quidem de rebus quarum perfectam notitiam habuerunt, ab aliis, & præcipue a *Fauſto Socino*, *Grotio* aliiſque evidentiſſime eſt demonſtratum. Sed Adverſarius, quando eos ut doctores Epiſtolas ſuas ſcripſiſſe urget, vult eos doctrinam ſuam diverſis, imo contrariis fundamentis ſuperſtruxiſſe, eamque ita hominum captui & præconceptis opinionibus accommodaſſe, ut facile ab unoquoque ex animo reciperetur. Atque iſto ſenſu negamus eos ut doctores Epiſtolas ſcripſiſſe. Vide de his Adverſarium pag. 142. 143, qui iſtud de Apoſtolis minime credit.

Addit pag. 137. *Præſertim quia in Epiſt. ad Corinth. 1 cap. 14. verſ. 6 Paulus duo prædicandi genera indicat, ex revelatione unum, ex cognitione alterum.* Nos vero negamus Paulum ibi duo iſtiuſmodi prædicandi genera indicare. Ita enim verba ſonant: *Nunc vero fratres, ſi ad vos venero linguis* [peregrinis] *loquens, quid vobis prodeſſem, niſi vobis loquerer vel in revelatione, vel in cognitione, vel in prophetia, vel in Doctrina.* Quibus verbis nec non præcedentibus & ſequentibus, Corinthios objurgat, quod in Ecclesia peregrinis linguis loquerentur, & oſtendit eos ita Eccleſiæ non prodeſſe, niſi lingua vulgari explicentur ea quæ exotica erant propoſita. Ex quo manifeſtum eſt, eum per ἀποκάλυψιν, γνῶσιν, προφητείαν & διδαχὴν eandem rem exprimere, videlicet explicationem eorum quæ dicuntur, lingua auditoribus nota. Adverſarius autem

verba non adſcripſit, nec quidquam profert ut oſtendat, Apoſtolum id quod affirmat docere, quod facere debuit. Præterquam quod non duo, ſed quatuor prædicandi genera indicaret, niſi hîc Synonymiam agnoſcamus.

Deinde ex ſtylo ſcribendi evincere conatur, Apoſtolos non ex revelatione ſcripſiſſe (quod cum Adverſario ſit, ex mera imaginatione, eaque ad præconceptas, quamvis falſas & abſurdas opiniones accommodata, ſcribere, facile concedimus Apoſtolos ita non ſcripſiſſe: ſic enim contra ſeipſum potius, quam contra nos diſputat) quia nullibi addunt, ſe ex Dei mandato ſcribere, prout Veteris Fœderis Prophetæ faciunt. Fateor Prophetas iſtos antiquos magis authoritate quam rationibus egiſſe. Atque iſtud eſt diſcrimen inter Euangelium & Legem, quod ea Lex ſervilis, iſtud libertatis ſit, & propterea homines in Euangelio magis rationibus quam authoritate moveri debent. Adeo ut reſpectu hominum, cuique liberum ſit, Chriſto morem gerere vel non gerere, in Deum & Chriſtum credere vel non credere: quia Deus hic non ex imperio & authoritate agit, ſed rationibus homines ad ſe allicere ſtudet. Quod in Deo minime abſurdum cenſeri debet, nec poteſt: quia nullus melior nec perfectior, honor vel obedientia ei præſtari poteſt, quam quæ plane libera ſit, & ab animo benevolo voluntarie procedit. Hoc ſane negare non poteſt, Apoſtolos nihil præter ea quæ a Chriſto didicerant ſcripſiſſe, atque adeo ex revelatione Chriſti, conſequenter etiam Dei (cujus os Chriſtum Adverſarius appellat) & ſic etiam ex revelatione ſcripſerunt.

At vero Adverſarius ex ipſis Apoſtolorum epiſtolis oſtendere conatur, eos ex divina revelatione non ſcripſiſſe, prout Prophetę Veteris Fœderis fecerunt, quem in finem pag. 137 addit: *At in Epiſtolis Apoſtolorum, nihil ſimile legimus, ſed contra* 1 *Cor.* 7. 40 *Paulus ſecundum ſuam ſententiam loquitur.* Fateor Apoſtolos non ex imperio, ſed rationibus agere. Quod, ut paulo ante oſtendimus, cum natura Novi Fœderis optime congruit: nec tamen ideo minoris authoritatis & certitudinis ſunt quæ Apoſtoli ex ſua ſententia, quam quæ Prophetæ imperioſe protulerunt, niſi quod hic nemo ab hominibus cogatur. Pręterquam quod Apoſtolus, cum ſe ſuam protuliſſe ſententiam dixiſſet, ſtatim ſubjicit, ſe Dei Spiritum habere, ſecundum cujus dictamina ipſe ſuam opinionem direxiſſet. Hoc vero non de tota Epiſtola, ſed de illa tantum ejus parte intelligit, quę de divortio Chriſtiani, cum eo qui a Chriſtiana religione animo erat alieno, agit.

Addit pag. 137. *Imo perplurimis in locis ambigui & perplexi modi loquendi occurrunt.* Si modi iſti loquendi tales eſſent quales Adverſarius dicit, proterve tamen ait, *perplurimos iſtiuſmodi locos occurrere*, cum non plures quam tres in toto Novo Fœdere reperiantur. Ita quicquid vult intrepide effutit, ut tanto facilius ſcriptorum iſtorum authoritatem ſuſpectam reddat. Negamus autem vel unum loquendi modum in toto Novo Fœdere occurrere, qui perplexus & ambiguus appellari poſſit, vel qui, quid de quapiam re ęſſet ſentiendum, dubitationem vel minimam indicet. Nam 1 Cor. 7. 40 Paulus quid de cœlibatu ſentiat, eum videlicet feliciorem eſſe, aperte pronun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ciat, non dubitabundus, ſed ut talis, qui Spiritu divino ſit afflatus. Non quod Chriſtianis injunctum ſit cœlibem vitam tranſigere: id enim Chriſtus nunquam docuerat, nec de eo apud Apoſtolum ullum erat dubium; ſed tantum quod is ſtatus, ad vitam commode tranſigendam, & Deo majori cum alacritate ſerviendum, ſi quis dono continentię foret præditus, magis eſſe accommodus, prout verſu 32 & ſeqq. expreſſe indicat, & ab ipſo Chriſto Matth. 19.3 & ſeqq. fuſius eſt inculcatum.

Alter locus quem Adverſarius profert, eſt Rom. 3.28: *Arbitramus igitur.* At ſi Adverſarius eum totum adſcripſiſſet, quiſque ſtatim animadvertiſſet, illum falſo hic dubitationem vel animi perplexitatem Apoſtolo adſcripſiſſe. Diſputat enim toto iſto capite, de juſtificatione ex operibus, & validis rationibus oſtendit, eam ex fide, non ex operibus meritoriis ſperandam eſſe, quibus verſu 28 concluſionem ex præmiſſis ſubjicit: *Concludimus igitur* (non ut Adverſarius dicit *arbitramur igitur,* λογίζομεθα) *hominem ex fide juſtificari*, quaſi confecto negotio, non ut dubitans: prout cuivis verba inſpicienti ſatis eſt manifeſtum.

Tertius locus eſt Rom. 8.18: *arbitror enim ego.* Locus integer talis eſt: *ſtatuo enim* (nam vox λογίζομαι hanc etiam interpretationem admittit, prout eam *Beza* expreſſit) *minime* [eſſe] *paria, quæ præſenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis retegendæ.* Num Adverſarius credit Apoſtolum dubitaſſe, an ea quę Chriſtiani ab impiis ſuſtinebant, cum æternæ vitæ gaudiis eſſent comparanda? Oſtendat hoc, ſi poteſt. Atque ita oſtendimus, plane falſum eſſe, vel unum, multo minus *perplurimos locos occurrere*, qui animum ſcriptoris ambiguum & perplexum arguant.

Sed eadem temeritate (audet enim Apoſtoli verba plane corrumpere, & quę nunquam ſcripſit ei adſcribere) addit pag. 137: *Præter hæc alii inveniuntur modi loquendi, ab authoritate Prophetica plane remoti. Nempe hoc autem dico ego, tanquam infirmus, non autem ex mandato.* Cur vero hoc authoritati Propheticæ repugnat? quod, cum Apoſtolus agit de re aliqua, quam Dominus Jeſus cujuſque libertati & arbitrio permiſit, ut quid conſultius exiſtimet eligat, fateatur ſe de ea re nullum Chriſti præceptum habere; ſed quid ipſe melius eſſe judicet exponat. Mirandum vero eſt Adverſarium adeo eſſe impudentem, ut Pauli verba 1 Cor. 7.6 aliter citet, quam in ipſius Epiſtola leguntur: non enim habetur: *Hoc autem ego dico tanquam infirmus*, ſed τȣ̃το δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην, *hoc autem dico ex conceſſione, non ex mandato.* Concedit videlicet Apoſtolus, ut conjugati, poſt ſecubationem ad certum tempus, jejunii & orationis gratia mutuo conſenſu definitum, rurſus conveniant, quandoquidem Chriſtus nihil ea de re præceperit. Id vero neutiquam concuſſiſſet, ſi vel minimum dubitaſſet, num licitus eſſet iſte congreſſus. Itaque ut fidelis ſervus Jeſu Chriſti, nihil tanquam Chriſti mandatum auſus eſt proferre, niſi de quo plane certus eſſet. Hoc vero Propheticam ipſius authoritatem non parum confirmat.

Eodem modo, quamvis non adeo graviter, ejuſdem Apoſtoli verba 1 Cor. 7.25 pervertit, ſic enim ea citat: *Conſilium do tanquam* N. B. *vir, quia gratia Dei fidelis eſt.* Ita enim in textu Paulino habetur: γνώμην δὲ δίδωμι ὡς ἐλεημένος ὑπὸ κυρίȣ πιϛὸς ἔιναι: *con-*

ſilium autem do, ut à Domino miſericordiam adeptus ut ſim fidelis, ubi nec vox *vir*, nec *Dei*, nec *quia* reperiuntur, & reliqua peſſime ab Adverſario poſita ſunt. Quibus verbis Apoſtolus, ut Propheta Dei, innuit cœlibatum magis Deo placere quam conjugium, quamvis conjugium cuique liberum permiſerit.

Addit. *Et ſic alia multa.* Quod plane falſum eſt, nihil enim ſimile in epiſtolis occurrit. Incertum prȩterea & iſtud eſt, quod pag. 138 dicit, Paulum tantum ad Chriſti documenta quæ in monte docuit, reſpicere verbis 1 Cor. 7. 25. Potuit enim Paulus ad alia quȩvis Chriſti, de hac materia præcepta collimare. Prima igitur & palmaria Adverſarii ratio, qua oſtendere vult Apoſtolos non ut Prophetas, ſed ut doctores ſcripſiſſe, quibus ſua dogmata opinionibus eorum quos docebant, & ineptiis eorum præjudiciis accommodare fuerit licitum, idemque fecerint, nullius eſt momenti.

Secunda ipſius ratio pag. 138 eſt, quia modus tradendi doctrinam Euangelicam, ab authoritate Prophetica plane eſt alienus. Idque ex eo probare contendit, quia *Apoſtoli ubique ratiocinantur, ita ut non Prophetare, ſed diſputare videantur.* Ex mente igitur Adverſarii, Prophetare & ratiocinari ſunt contradictoria, addit enim: *Deus non ratiocinatur, ſed ex abſoluto ſuæ naturæ imperio decernit.* Id eſt omnia naturali neceſſitate ſunt determinata. Nos vero iſta omnia negamus, nec ulla ratio ſuadet ut credamus, Deum, qui rationis eſt author, non ratiocinari, nec poſſe rationibus hominibus ea quæ revelat perſuadere, per ſuos miniſtros conari. Quod & ipſe Adverſarius pag. 139 concedere videtur, cum ait: *Nolo tamen abſolute negare, Prophetas ex revelatione argumentari potuiſſe*: quod quando faciunt, Deus, qui revelationis eſt author, argumentari eſt cenſendus. Præterea agnoſcit ipſe Adverſarius pag. 140, *differentiam inter vocationem Apoſtolorum & Prophetarum Veteris Fœderis.* Quam ſi accuratius paulo expendere voluiſſet, facile intellexiſſet, eam magnam partem in modo tradendi doctrinam ſitam eſſe, & in Veteri homines authoritate & minis corporalis pœnæ ad obſequium fuiſſe adactos, in Novo vero non niſi rationibus. Quam ob cauſam lex Moſis ubique *lex ſervilis*, lex vero Chriſti *lex gratiæ, libertatis & filialis appellatur.* Atque iſto ſenſu verum eſt, quod is, *qui dogmata ſua ratione confirmare vult, eo ipſo ea arbitrali uniuſcujuſque judicio ſubmittit*, nimirum quoad homines: cum Chriſtus neminem ad ſuam religionem amplectendum, corporalibus ſive civilibus pœnis adigere velit: ſed à Dei imminenti judicio (quod *horrendum* eſſe pronunciatur) is qui præjudicio vel animi malitia occæcatus, eandem repudiat, minime immunis erit.

Tertia quam ſubjicit ratio eſt p. 138. *Et denique quia Prophetæ res revelatas, non ex virtute luminis naturalis, hoc eſt, non ratiocinando percipiebant, ut cap. 1 oſtendimus.* Si hæc ratio eſt cur Apoſtoli non ut Prophetæ ſcripſerint, ergo Apoſtolos Philoſophos fuiſſe, & ex principiis luminis naturalis ſcripſiſſe Adverſarius ſtatuere debet. Quod an ipſe credat ipſemet viderit. De modo quo Prophetis revelationes contingebant egimus itidem cap. 1. Quamvis autem plane concedam, Prophetas res revelatas non ratiocinando percepiſſe (quod ſane impoſſibile eſt & contradictorium) hinc nullo modo ſequitur eum

cui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

cui (non per vanam imaginationem, prout Adverſarius vult) ab alio quidquam indicatur per nudam ſuggeſtionem, idem aliis ratiocinando, id eſt argumentis hinc inde petitis, perſuadere & docere non poſſe. Præterquam quod is cui à Deo aliquid etiam rationibus ad perſuadendum & penitus convincendum allatis, revelatur, is iſtud ratiocinando non principit, ſed tantum audiendo. Et ſic nec Apoſtoli ea quæ ſcripſerunt, vel viva voce docuerunt, *non perceperunt ratiocinando*, ſed per meram revelationem. Adverſario enim, ratiocinando percipere, eſt aliquid ex principiis rationis argumentando deducere & concludere. Atque ita rurſus oſtendimus, Adverſarii argumenta prorſus eſſe invalida, ut oſtendat Apoſtolos tantum ut doctores, eo quo modo indicavimus ſenſu, ſcripſiſſe.

Reliqua quibus annititur probare, Moſen non argumentaſſe prętereo (quamvis contrarium oſtendi poſſe non dubitem) quia ad propoſitam quęſtionem nihil faciunt.

Sed plane falſum eſt id quod pag. 139 dicit: Epiſtolas Apoſtolorum *nihil continere præter fraternas monitiones, mixtas urbanitate*, nihil autem quod ex revelatione ſit ſcriptum. Nam ut de Apocalypſi Johannis (quæ nihil aliud quam Epiſtola eſt, & vix quidquam pręter revelationes, & prædictiones eorum quæ poſtmodum erant futura, continet) nihil dicam, inſpiciantur modo illa quæ Paulus declarat ad Rom. XI. 13, 23, 24, 25 de futura Judeorum converſione: 1 Cor. 15. 24, 28, 51, 52 de mortuorum reſurrectione, ejuſque modo & ordine: 2 Cor. 5. 1 & ſeqq. 1 Theſſ. 4. 15, 16, 17 adhuc diſtinctius de ejuſdem modo & ordine: 2 Theſſ. 2. 3, 4, 5, 6, 8, 9, 10 de Antichriſti exortu, obſtaculis & ſceleribus: 1 Tim. 4. 1, 2, 3 de Apoſtaſia Chriſtianorum: Act. 20. 29, 30 de irreptione ſeductorum: 2 Tim. 3. 1 & ſeqq. de enormibus quę inter Chriſtianos graſſatura erant peccatis: 2 Pet. 2. 1, 2, 3 de Pſeudoprophetis & pſeudodoctoribus: 2 Pet. 3, 10, 11 de mundi excidio (ut alia omittam) ad Eccleſias ſcripſerunt, quæ ſane Adverſarii turpem hallucinationem, & in aſſeverando temeritatem planiſſime denuo redarguunt.

Subjicit pag. 139 quarti argumenti loco. *Poſſumus præterea hoc ipſum ex eo concludere, quod nullibi legimus, quod Apoſtoli juſſi ſint ſcribere, ſed tantum prædicare quocunque irent.* Dupliciter peccat Adverſarius, primo enim non advertit, quando Apoſtoli juſſi ſunt prædicare, eo ipſo illis etiam ſcriptionem fuiſſe injunctam: quandoquidem ſępius ſcribendo æque potuerunt prędicare, ac loquendo. Quod Adverſarius concedere cogitur, cum pag. 140 circa finem, ita concludit: *Quocunque igitur ibant, Chriſti mandatum exequebantur, nec ipſis opus erat, ut antequam irent, res prædicandæ iiſdem revelarentur*: idque ex eo concludit, quia *Apoſtoli vocati ſunt, ut omnibus abſolute prædicarent, omneſque ad religionem converterent.* Ex quo ſimiliter infero, quocunque igitur Epiſtolas mittebant, Chriſti mandatum exequebantur. *Et hac ratione* (inquit Adverſarius p. 141) *concedimus, eos tanquam Apoſtolos, ſuas Epiſtolas ſcripſiſſe.* Alterum in quo peccat, eſt, quod exinde velit concludere, Apoſtolis non fuiſſe mandatum ut ſcriberent, quod id nullibi legamus: nam ex eo concludi certo non poteſt, eos nullum ſcribendi mandatum habuiſſe; ſed tantum id non conſtare, niſi aliunde ſuppetant argumenta,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

unde id evinci queat. Nos vero iſtud in medio relinquemus (quamvis Johanni Apoſtolo in Apocalypſi cap. 2 & 3 ſepties injungatur ut ſcriberet ad Eccleſias) & ſufficiet oſtendiſſe, nullo modo ab Adverſario demonſtrari, Apoſtolos nullum ſcribendi mandatum habuiſſe.

Pergit pag. 139. *Nam eorum præſentia & ſigna abſolute requirebantur, ad Gentes ad religionem convertendas*, fateor, *easque in eadem confirmandas.* Id vero falſum eſſe omnino exiſtimo. Adverſarius autem id verum eſſe demonſtraturus, addit: *ut Paulus ipſe ad Rom. cap. 1. verſ. 11 expreſſe indicat, quia valde (inquit) deſidero ut impertiar vobis donum ſpiritus, ut confirmemini.* Quis, quęſo! adeo cæcus eſt, ut non videat iſtis verbis minime contineri id quod in quæſtione eſt. Paulus nihil aliud indicat, quam quod ipſius præſentia magnam ipſis utilitatem adferre queat; non vero *eam una cum ſignis abſolute requiri, ad eos in fide confirmandos.* Ex quo manifeſtum eſt (cum ne gry quidem ad ulteriorem hujuſce rei probationem adducat, & nos ea quæ initio cap. 2 diſſeruit refutaverimus) quam immerito inito pag. 141 adjiciat; *concludimus igitur, Apoſtolos ea tantum ex ſingulari revelatione habuiſſe, quæ viva voce prædicaverunt, & ſimul confirmaverunt (vide quæ inito cap. 2 oſtendimus) quæ autem ſimpliciter, nullis adhibitis, tanquam teſtibus ſignis, ſcripto vel viva voce docuerunt, ea ex cognitione (naturali ſcilicet) locuti ſunt vel ſcripſerunt.* Quid quod Scriptura expreſſe teſtetur, ſigna ad homines in fide confirmandos nullo modo requiri, cum Paulus 1 Cor. 14. 22 dicit: *linguæ itaque ſignum ſunt infidelibus, non vero fidelibus* ſive credentibus: quod de reliquis miraculis itidem exiſtimari debet. Sed quid Adverſarius urget ſigna requiri, qui toto ſexto capite oſtendere eſt conatus, miracula nulla fieri poſſe? Quid igitur per ſigna intelligat, & quorſum ea requirat, quivis facile conjicere poteſt. Adde quod Apoſtoli ſemper eadem docuerunt & ſcripſerunt. Si ergo ex revelatione loquebantur, cum dicta ſignis confirmarent, quando eadem quæ viva voce proferebant ſcripto conſignabant, planiſſime ſequitur eadem ex revelatione eſſe ſcripta: ſigna enim nihil ad revelationem faciunt, ſed alium convincere poſſunt, ut credat aliquid ex revelatione ſingulari eſſe dictum ſcriptumve, non vero ut aliquid ex revelatione dictum ſcriptumve ſit. Quamvis autem nunc planum fecerim, Adverſarium minime oſtendiſſe, Apoſtolos non ut Prophetas, & ſpeciali mandato epiſtolas ſcripſiſſe, fateor tamen contrarium etiam evidenter demonſtrari non poſſe, nec etiam opus eſt id probare. Cum enim Apoſtolis univerſa Chriſti doctrina ſimul & ſemel fuerit inculcata, ejuſque accurata notitia communicata, nihil aliud deſiderabatur, quam mandatum eandem doctrinam ad omnes propagandi. Iſtud autem viva voce & ſignis efficere erat neceſſarium: Illos vero quos viva voce erudierant, & ad doctrinam Chriſti amplectendam adduxerant, ſcriptis deinde in eadem fide optime confirmare, vel de dubiis quibusdam erudire poterant. Sive igitur ex proprio conſilio, ſive ſpeciali mandato ſcripſerint, res eodem redit: quia ſemper eandem doctrinam hominibus inculcare tenebantur.

Quare falſiſſimum eſt quod Adverſarius circa initium pag. 141 dicit: *Concludimus itaque*

itaque Apoſtolos ea quæ viva voce vel ſcripto, nullis adhibitis ſignis, tanquam teſtibus docuerunt, ea ex cognitione (naturali ſcilicet) locuti ſunt vel ſcripſerunt. Hoc vero ſe ex dictis concludere dicit, cum tamen in præcedentibus ea de re ne egerit quidem. ſed tantum, *an Apoſtoli ut doctores, an vero ut Prophetæ epiſtolas ſuas ſcripſerint.* Ita dedita opera, ut mihi quidem videtur, homines ſeducere, & falſa perſuadere conatur. Iſtud enim licitum eſſe cap. 14. pag. 159 indicat. Quod etiam de iis quæ ibidem de Spiritu Sancto ſive Divino, quo Apoſtoli erant præditi, nugatur, aſſerere non dubitaverim, & probare, ſi opus fuerit, non detrectabo. Vidit quidem Adverſarius, in Epiſtolis Apoſtolorum multa occurrere, quæ a ſolo lumine naturali dictata eſſe non poſſunt, qualia ſuperius pag. 59 & alibi non pauca indicavimus. Cui difficultati occurrens, ut ipſi quidem videtur, ait in fine pag. 141: *Nam quamvis ea quæ in Bibliis continentur, utplurimum noſtrum captum ſuperant, poſſumus tamen ſecure de iiſdem diſſerere, modo nulla principia admittamus, quam ea quæ ex ipſa Scriptura petuntur.* Nec quidquam aliud quod huc pertinet, cap. 7 adfert, nec etiam hic in ſequentibus, quo evincat id quod in quæſtione eſt, videlicet, *quomodo Apoſtoli, ex ſola naturali cognitione, res quæ ſub eadem non cadunt, docere poterant*, quod probe notari velim: iſtud enim quæritur; non vero, *an nos de iſtis ſecure diſſerere poſſimus.* Ac idcirco mala fide ſubjungit pag. 142: *Atque hoc eodem etiam modo Apoſtoli, ex rebus quas viderant, quaſque audiverant, & quas denique* N.B. *ex revelatione habuerant, multa concludere & elicere, eaque homines, ſi libitum iis eſſet, docere poterant.* Quis enim non videt, hæc eo tendere, ut id quod in quæſtione eſt confundat, & denſiſſimis tenebris involvat: ne quis animadverteret aquam ipſi hic hærere, nec id quod ſuſceperat probare poſſe: iſtud enim non erat oſtendendum, ſed, *quomodo Apoſtoli ex ſola naturali cognitione res quæ ſub eadem non cadunt, docere poterant.*

Addit pag. 142 pro ſecundo argumento. *Deinde quamvis religio, prout ab Apoſtolis prædicabatur, nempe ſimplicem Chriſti hiſtoriam narrando, ſub rationem non cadat, ejus tamen ſummam, quæ potiſſimum moralibus documentis conſtat, ut tota Chriſti doctrina, poteſt unuſquiſque lumine naturali facile aſſequi.* Hic iterum id de quo quæſtio eſt, ne verbo quidem attingit, prout jam cuivis eſt manifeſtum. Præterea, cum Apoſtoli, ex Chriſti expreſſo mandato, ab hominibus non tantum exegerint, ut moralia ipſius documenta reciperent, verum etiam, idque ſub pœna æternæ condemnationis, ut hiſtoriam Chriſti, præcipue vero quæ de ipſius morte, ex mortuis reſurrectione, in cœlum adſcenſione, atque illinc Spiritus Sancti effuſione docebant, animo reciperent, & fide amplecterentur (quibus adde quæ de noſtra ex mortuis reſuſcitatione, & vitę æternæ præmio annunciabant) nullo modo concedendum eſt, *ſummam doctrinæ Chriſti potiſſimum documentis moralibus* contineri. Neque id concedo, *Chriſti totam doctrinam*, vel etiam *moralia ejus documenta, ab unoquoque lumine naturali*, idque *facile acquiri poſſe.* (contrarium libro ſecundo fuſe demonſtravimus.) Nam præterquam quod præcipuum doctrinæ Chriſti caput eſt *reſurrectio mortuorum*, quam tantum abeſt ut quiſque lumine naturali facile aſſequi poſſit, ut ipſe Adverſarius eam inter abſurda & impoſſibilia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

cap. 6 numeraverit. Et quod ad moralia præcepta attinet, ea abſque æternæ poſt hanc vitam præmio, ſive reſurrectione ex mortuis (quam Adverſarius impoſſibilem eſſe contendit) tantum abeſt ut ſolo lumine naturali aſſequi queant, ut cum lumine naturali adverſa fronte pugnent. Adverſarius enim pag. 32 circa finem, dicit: *Omnia quæ honeſte cupimus*, N. B. *ad hæc tria potiſſimum referuntur, nempe res per primas ſuas cauſas intelligere. Paſſiones domare, ſive virtutis habitum acquirere, & denique ſecure & ſano corpore vivere.* Chriſtus vero ex adverſo dicit: *beati ſunt qui ob juſtitiam perſecutionem patiuntur &c.* Et præterea docet, eum qui propter Chriſti apertam profeſſionem, famæ, bonorum omnium & vitæ ipſius jacturam ſubire recuſat, minime beatum eſſe poſſe. Quod lumine naturali plane falſum eſſe conſtat, ſi lumen naturale nos docet mortuos non poſſe reſuſcitari. Atque hæc ad rem minus facientia inſerere hic libuit occaſione eorum quæ Adverſarius dixit. Ad ipſius probationes igitur redeamus, quarum primam & ſecundam plane futilem eſſe cum jam apertiſſime oſtenderimus, idem de tertia demonſtrare aggrediamur.

Ea vero ſic habet pag. 142. *Denique Apoſtoli non indigebant lumine ſupranaturali, ad religionem, quam antea ſignis confirmaverant, communi hominum captui ita accommodandum, ut facile ab unoquoque acciperetur.* Hic rurſus ne gry quidem de tota quæſtione attingitur, quam repetere non eſt opus. Et quid quæſo attinet quærere, utrum Apoſtoli ſolo lumine naturali Epiſtolas ſcripſerint, cum Adverſarius exiſtimet eorum Epiſtolas plane eſſe depravatas. Qua de re ſuperius egimus. Profecto ſi Apoſtoli religionem captui, (vel ut inferius loquitur, præjudiciis) hominum accommodare ita voluiſſent, *ut facile ab unoquoque reciperetur*, nunquam tot adverſarios habuiſſet religio, nec opus ipſis fuiſſet propter ejus annunciationem tot mala ſuſtinere. Quod facile vitare potuiſſent, ſi multa quæ hominum captui fortiſſime adverſantur, prædicationi ſuæ non immiſcere voluiſſent.

Pergit Adverſarius (ut oſtendat ſcilicet, ſi quid in Epiſtolis Apoſtolorum occurrit, quod ex ſolo lumine naturali hauriri non poteſt, ab illis eſſe confictum, ut hominibus tanto facilius imponere & ad ſe allicere poſſent) docere, doctori omnino jus competere, ut eam docendi viam, quam optimam eſſe judicaverit, ad hominibus ea quæ vult perſuadendum eligat. Id vero pag. 143 ita explicat, Apoſtolorum ſingulos diverſo fundamento doctrinam ſuam ſuperſtruxiſſe, id eſt talia hominibus (quamvis falſa, abſurda & conficta, qualia omnia miracula eſſe cap. 6 oſtendere eſt conatus) propoſuiſſe, quibus quiſque judicaret, hominum animos facilius capi, & in ſuam ſententiam pertrahi poſſe. Atque id primum rationis adminiculo, & deinde ipſius Scripturæ teſtimonio evincere conatur pag. 143. Ait igitur: *Nondum ſatis clare ſequi, Apoſtolos viam docendi, quam quiſque meliorem judicaſſet, eligere potuiſſe, niſi rationem in auxilium vocare velimus, quæ plane docet, eum qui authoritatem docendi habet, habere etiam authoritatem eligendi viam quam velit.* Primo illicitum eſt Adverſario, rationem hic in auxilium vocare, quia ſibi ipſi hanc regulam fixit, nihil in talibus eſſe affirmandum, niſi de quo ex ipſa Scriptura conſtet. Per viam vero intelligit diverſa fundamenta,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

menta, quibus quis doctrinam de religione ſuperſtruat, prout hac eadem pag. lin. 15, 16, 22, 23, & 32 ſeipſum explicat. Quomodo vero ratio id plane doceat, ne verbulo quidem oſtendit nec explicat. Quocirca eadem facilitate a nobis negatur, qua ab illo abſque ulla probatione aſſeritur. Imo ſi concederemus rationem id docere, unde Adverſario conſtat, Apoſtolos doctrinam ſuam ad rationis obruſſam direxiſſe, vel modum quem ratio dictat, in docendo elegiſſe? Credo ipſum contrarium de Apoſtolis ſentire, nec id negare eſſe auſum. Contrarium ſane in omnibus doctoribus manifeſto liquet, quibus una cum docendi authoritate, ſimul leges præſcribuntur & fundamenta, à quibus diſcedere in religionis negotio ipſis minime integrum eſt. Quam præſcribendi poteſtatem Adverſarius Magiſtratui omnino competere cap. 18 urget. Recta igitur ratio ſuadet, ut nullo modo arbitrio doctoris permittatur, fundamenta doctrinæ religionis pro libitu ſuo eligere, quibus doctrinam ſuam ſuperſtruat; ſed id abſolute ab arbitrio illius pendere, qui jus authoritatem docendi alicui concedendi habet. Id vero præcipue in Deo & Chriſto locum habere debet: qui cum homines veram ſummum bonum acquirendi viam docere velint, nullum aliud cui ea ſuperſtruatur fundamentum tradiderunt, præter Jeſum Chriſtum 1 Cor. 3. 11. Falſum igitur eſt, niſi Paulum non tantum mendacem, ſed etiam ſibi ipſi ſtulte contradicentem facere velimus, *Apoſtolos in fundamentis admodum diſcrepare*, vel *diverſis fundamentis religionem ſuperædificaſſe.*

Pergit Adverſarius pag. 143. *Sed ſatius erit rem omnem ex ſola Scriptura demonſtrare.* Quando ex ratione non potuit, Scripturam in ſuam ſententiam (quam tamen ipſum pro forma tantum, ut ajunt, defendere ſuſpicor) detorquere conatur. Addit igitur. *Ex ipſa enim clariſſime conſtat, unumquemque Apoſtolorum ſingularem viam elegiſſe, nempe ex his Pauli verbis Epiſt. ad Rom. cap.* 15. *verſ.* 20. Sed unde ipſi conſtat hæc Pauli eſſe verba, nec a ſacrilegis hominibus, de quibus pag. 77 & 83 conqueritur, eſſe adjecta? Videamus autem ipſa verba. *Sollicitè curans* (inquit Apoſtolus) *ut prædicarem, non ubi invocatum erat nomen Chriſti, ne ædificarem ſupra alienum fundamentum.* Cuivis verba modo inſpicienti, manifeſtum eſt, Apoſtolum per vocem *alienum* non intelligere fundamentum aliud quam id quod ipſe ponebat; ſed tantum ab alio poſitum, quamvis ipſiſſimum quod Paulus prædicabat. Verba enim *curans ne prædicarem ubi invocatum erat nomen Chriſti*, id apertiſſime indicant, quemadmodum & ſequentia verſu 21: *ſed ſicut Scriptum eſt* [feci] *quibus de eo nihil erat annunciatum videbunt, & qui nihil de ipſo audiverant intelligent.* Nec opus eſt his diutius immorari, ipſe enim Adverſarius (ut puto) id ſatis perſpexit. Voluit tamen aliquid proferre, quo ſuam aſſertionem confirmaret. Addit igitur pag. 143.

Sane ſi omnes eandem docendi viam habebant, & omnes ſupra idem fundamentum Chriſtianam religionem ædificaverunt, nulla ratione Paulus, alterius Apoſtoli fundamenta, aliena vocare poterat, utpote quæ & ipſius eadem erant. Quaſi linguæ latinæ (Græcæ enim ſe paulo minus gnarum eſſe profitetur) adeo ſit rudis, ut ignoret *alienum* poſſe appellari, id quod ab alio fit, quamvis idem plane cum eo quod nos facimus. Sic alienum

malum dicitur, quod alium vexat, quamvis ejuſdem cum eo quod nos premit, & generis ſit & ſpeciei. Alienus liber, pro eo quem alter poſſidet, quamvis idem plane ſi cum eo quem nos poſſidemus, puta exemplar libri vel a nobis ipſis, vel ob alio con ſcripti, modo ab iſto exemplari quod nos poſſidemus diverſum ſit. Cujuſmodi loquend modi apud Græcos & Latinos authores ubique occurrunt. Quem iſtorum verborum eſſ ſenſum, ejuſdem Apoſtoli verba, (pręter jam dicta) 1 Cor. 3. 11 manifeſtum faciunt *nemo aliud fundamentum poteſt jacere, præter id quod jactum eſt Jeſus Chriſtus.* Unde con ſtat per ἀλλότριον θεμέλιον non poſſe aliud fundamentum intelligi, quam ab alio poſitum quamvis ipſiſſimum quod Paulus ponebat. De quo Adverſarium minime dubitare confido.

Sed aliam adhuc rationem, quo id quod dixit evincat, profert. Ait enim pag. 143: *Deinde ſi ipſas Epiſtolas aliqua cum attentione percurramus, videbimus Apoſtolos in ipſa quidem religione convenire, in fundamentis autem admodum diſcrepare,* Ex iſtis quę mox ad iſtud probandum adfert, patet eum potius dicere debuiſſe, Apoſtolos in fundamentis quidem convenire, ſed in religione valde diſcrepare: dogmata enim quæ profert, pro fundamentis minime haberi poſſunt, prout ex dicto loco 1 Cor. 3. 11 apparet. Ibi enim expreſſe dicitur, unum tantum eſſe fundamentum, præter quod nemo Apoſtolorum ullum ponere poſſit.

Pergit autem pag. 143. *Nam Paulus, ut homines in religione confirmaret* (confirmationem in religione adfert, cum circa fundamenta diſcrepantiam oſtendere ſuſceperit, quod notari rurſus cupio) *& iis oſtenderet, ſalutem a ſola Dei gratia pendere, docuit neminem ex operibus, ſed ſola fide gloriari poſſe, neminemque ex operibus juſtificari* (*vide Epiſt. ad Rom. cap. 3. verſ. 27, 28*) *& porro totam illam doctrinam de prædeſtinatione.* Cuncta quæ Paulo adſcribit falſa ſunt, nec a Paulo unquam tradita. Primo enim falſum eſt Rom. 3. 27, 28 Paulum docere, *neminem ex operibus, ſed ſola fide gloriari poſſe.* Docet enim ibi Paulus plane contrarium, videlicet gloriationem non per opera, ſed per fidem excludi: ita enim ſcribit: *ubi igitur eſt gloriatio? excluſa eſt. Per quam legem? operum? minime; ſed per legem fidei.* Ait gloriationem non excludi per legem operum, & per legem operum hominem gloriari poſſe, non vero per fidei legem, atque ita aperte contrarium ei quod Paulo tribuit Adverſarius. Addit ſecundo: *neminemque ex operibus juſtificari.* Nec hoc Paulus citato loco docet; ſed id tantum, neminem *per legem operum juſtificari.* Lex operum autem aliud eſt quam opera quę Lex Moſis ſpirituali ſenſu accepta præſcribit Rom. 7. 6. Galat. 2. 16, quæ nullam peccati veniam concedit, ſed ſi quis per eam juſtificari velit, nunquam in ullum peccatum prolapſus eſſe debet, adeo ut præmium vitæ æternæ ex debito, non vero ex gratia poſtulare queat. Quod apertiſſime indicant ea quę Paulus Rom. 4. 4 dicit. Cum vero fides abſque bonis operibus, quæ fides iſta producit, nullo modo ſubſiſtere in homine poſſit, plane impoſſibile eſt Paulum per *legem operum*, vel *opera*, iſta opera intelligere, quæ ex fide in Chriſtum promanant. Atque hinc cuivis eſt manifeſtum, Paulum Jacobo minime eſſe contrarium. Pręcipue cum videamus Paulum opera fidei non

minus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ninus urgere, quam Jacobum, & quidem ut abſolute ad ſalutem adipiſcendam ne-
ceſſaria Rom. 2. à verſu 2 ad 13 &c: VI. 1, 2, 4, 6, 12, præſertim autem verſ. 13, 16, 17, 18, 22. VIII. 1. XII. 12. cap. XIII toto, & infinitis fere locis. Cum igitur Paulus per legem operum *opera* ſignificet, id eſt, modum juſtificationis, quo quis abſque ulla gratia, ex abſoluto merito juſtificetur, Jacobus autem voce *operum* fidei opera innuat, eaque ad juſtificationem *N. B.* imputata, manifeſtum eſt, nec Paulum Jacobo, nec Jacobum Paulo eſſe contrarium, nec etiam diverſa docere, multo minus diverſo fundamento religionem ſuperſtruere.

Addit pag. 143. *Denique dubium non eſt, quin ex hoc, quod ſcilicet Apoſtoli diverſis fundamentis religionem ſuperædificaverint, ortæ ſint multæ contentiones* &c: Iſtud non modo falſum eſſe oſtendimus, ſed etiam nullo conſequentiæ nexu cohæret. Sciſmatum & contentionum nulla alia eſt origo, quam hominum malitia & pervicacia.

Et quod pag. 144 dicit, *Apoſtolos religionem, quoad fieri poterat, hominem ſui temporis ingenio accommodaſſe*, id ſane falſiſſimum eſt. Si hoc facere voluiſſent Apoſtoli, non opus illis fuiſſet tot cruciatus, calamitates, perſecutiones, & tandem crudeliſſimam mortem ſuſtinere. Nec opus eſt ad tam enormem calumniam quidquam ulterius reſpondere. Inſpiciantur modo mores & doctrina Apoſtolorum, nihil magis hominum ſui temporis ingenio adverſum reperies. Duo autem profert loca, ex quibus calumniæ ſuæ patrocinium ſibi pollicetur, quorum prior eſt 1 Cor. 9. 19, 20 &c. alter Gal. 2. 11 &c. Quod ad primum locum attinet, manifeſtum eſt Paulum ibidem, non de religionis fundamentis agere, ſed tantum de eo, quod ſe omnium hominum captui, in uſu rerum indifferentium accommodaverit, ab his videlicet ſtipendium accipiendo, ab aliis non; apud hos quovis veſcens cibo, apud alios à lege vetitis abſtinendo, prout cuivis cap. 8 & 9 legenti perſpicuum eſt. Secundus locus idem plane continet. Nec opus eſt de his, ut per ſe claris, prolixius diſſerere.

CAPUT XII.

De vero Legis divinæ Syngrapho, & qua ratione Scriptura Sacra vocetur, & qua ratione Verbum Dei. Et denique oſtenditur ipſam incorruptam ad nos perveniſſe.

Contenta.

Capite duodecimo vult oſtendere, nihil pro Scriptura, Lege vel Verbo Dei eſſe habendum, niſi quod per Univerſales iſtas Leges Naturæ, ſive fatalem omnium entium in agendo neceſſitatem ab hominibus fiat. Idque ſcurriliter aſſerit indicari iſtis Scripturæ verbis, quibus Deus ſe legem ſuam hominum mentibus inſcripturum promiſit Jer. 31. 33. Et impiam hanc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

opinionem miris verborum involucris pag. 144, 145 exornat. Deinde pag. 146 oſtender[e] annititur, omnem quæ legibus, templo, ritibus, Scripturæ, & quidquid tandem ſit, adſcribitur ſanctitatem, nihil aliud eſſe, quam hominum inſana commenta: & nihil eſſe Sacrum, niſi quod homines ſacrum eſſe, vana perſuaſione credunt. Non opus eſt ubique repetere nos Adverſarii opiniones & argumentationes refutaſſe.

Qui Biblia utut ſunt (ait Adverſarius pag. 144) *tanquam Epiſtolam è cœlo miſſam conſiderant, clamabunt ſine dubio, me peccatum in Spiritum Sanctum commiſiſſe, qui ſcilicet verbum Dei mendoſum, truncatum, adulteratum & ſibi non conſtans ſtatuerim, noſque ejus non niſi fragmenta habere, & denique ſyngraphum pacti Dei, quod cum Judæis pepigit, periiſſe.* Multa congerit Adverſarius, quæ de ſeipſo hic palam fatetur, ad quæ etiam cuncta in præcedentibus ſolide ut ſpero, reſpondimus, & rationes, ſi quas ad id quod dixit adſtruendum adduxerit, refutavimus. Jam vero etiam oſtendemus, non poſſe probari Sacram Novi Fœderis Scripturam adulteratam, vel truncatam eſſe (de mendis enim & verbi divini ſyngrapho ſatis egimus) vel adulterari potuiſſe.

Ut vero mentem noſtram clarius explicemus, animadvertendum eſt, nos per verbum Dei non intelligere libros iſtos conjunctim acceptos; ſed ipſam Jeſu Chriſti doctrinam, quam is juſſu Dei homines docuit: quam doctrinam multi librorum Novi Fœderis integram, nonnulli ejuſdem partes tantum aliquot continent. Quare non eſt quod inquiramus, utrum librorum aliqui perierint nec ne: quia ſufficit, modo vel unicus ſuperſit liber, qui totam Chriſti doctrinam complectatur. Libros igitur iſtos quos Novum Fœdus, quatenus doctrinam Chriſti & Apoſtolorum integram continent, appellamus (nam de doctrina Moſis & Prophetarum, prout cap. 8 oſtendimus, non eſt quod ſimus ſoliciti, ejus ſiquidem veritas Chriſti & Apoſtolorum teſtimonio comprobata, ſimul à depravatione erit defenſa, modo evicerimus, doctrinam Novi Fœderis non eſſe depravatam) adulteratos non eſſe oſtendemus.

Argumenta quæ Adverſarius, ad ſuam adſertionem ſtabiliendam adduxit, abunde a nobis ſunt refutata, & libro ſecundo capp. 1, 2. & ſeqq. præcipua quæ adferuntur loca, quæ nonnulli ſibi invicem contraria eſſe, vel etiam abſurda contendunt, præter iſta Adverſarii, ad quæ ſuperius reſpondimus, non pugnare, vel nihil abſurdi continere, Deo juvante) oſtendemus.

Per depravationem hic non intelligimus mendum aliquod, à librario per incuriam, incogitantiam ſive humanam imbecillitatem commiſſum, qualia non pauca irrepſiſſe, variantes lectiones, paſſim in antiquis exemplaribus obviæ, apertiſſime evincunt. Quicunque vero illas examinaverit, nihil omnino quod depravationem ſive falſationem redoleat, offendet, ſed nudos tantum errores, eoſque adeo leves, ut nullo negotio emendari poſſint, vel ſi quæ in illis remaneat obſcuritas, ea ad veram Dei voluntatem intelligendam nihil obeſſe poterit. Eaque lectionum varietas apertiſſime evincit, optima fide exemplaria iſta eſſe aſſervata. Si enim falſaria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

alſaria manus acceſſiſſet, ea, procul dubio, non adeo levicula, ſed magni momenti capita immutaſſet.

Si igitur depravatio hic aliqua facta eſſet, id vel à Judæis, vel ab Ethnicis, vel ab ipſis Chriſtianis præſtitum eſſe deberet. A Judæis vel Gentilibus ſi depravata eſſet, id fieri debuiſſet in talibus rebus, quæ fundamenta Chriſtianę religionis conſtituunt: alias enim nihil commodi ex iſta depravatione ſperare poterant. Et ſic non reliquiſſent incorrupta, iſta de Chriſti & Apoſtolorum miraculis eximiis & plane ſtupendis, diſputationes de inutilitate & abrogatione legis Moſaicæ, de idolorum cultu. Quæ omnia clariſſime oſtendunt, ab iſtis nullam depravationem eſſe factam.

Deinde, ſi natio alterutra libros iſtos corrumpere voluiſſet, iſtud vel ſtatim ab initio, cum primum libri iſti prodiiſſent, ab ipſis peractum fuit, vel poſtea. Ab ipſo initio fieri non potuit: quia ſimulatque ederentur, plurimi exemplaria eorum ſibi comparaverant, antequam ad Judæorum vel Gentilium manus devenire potuerint. Et ſic, ſimulatque exemplar aliquod ita depravatum, in medium fuiſſet productum, collatione tot ſincerorum, ipſorumque etiam authorum teſtimonio, qui in vivis adhuc erant, ſtatim confundi potuiſſet, & ipſius etiam autographi, adhuc exiſtentis. Poſtea multo minus id fieri potuiſſet: quia continuo numerus exemplarium multiplicatus eſt. Cum enim doctrinæ Chriſti adeo tenaces fuerint Chriſtiani, ut propterea omnis generis cruciatus tolerare non dubitaverint, non deſtitiſſent fraudem detegere, & omnes de ea palam continuo præmonere. Conter 1 Cor. 16. 21. Col. 4. 18. 2 Theſſ. 3. 17.

A Chriſtianis ipſis ſi id eſſet commiſſum, tum in diſputationibus ab omnio ævo inter Chriſtianos habitis, verba Scripturæ ab uno aliter quam ab alio fuiſſent citata, quod nunquam factum eſſe legimus, ſed ſemper de verborum ſenſu eſſe litigatum.

Præterea alter alteri corruptionem textus exprobraſſet, & exemplaria aliter habentia produxiſſet. Quod eos non facturos fuiſſe, omnino eſt incredibile. Jam vero videmus, quod illi, qui teſtimonio alicujus Scriptoris Novi Fœderis erant convicti, integros iſtos libros rejecerunt, non vero depravationem obtenderunt: Non me latet, pauculos ex antiquis hæreticis (quos appellant) Scripturam eſſe depravatam clamitaſſe, ſed nihil quod ſciam produxerunt, in quo depravationem factam eſſe vel dicerent vel probarent.

Quis vero in tam immenſo exemplarium numero, quæ apud omnes fere nationes reperiebantur, depravationem aliquam tentare auſus fuiſſet, niſi ſeipſum omnium ludibrio exponere voluiſſet, & ex innumeris emplaribus convinci?

Adde quod omnia, quæ in Novo Fœdere leguntur, à Chriſtianis ab omni ævo ita fuerint credita, prout in iſtis libris leguntur. Adeo ut conſtans iſte Chriſtianorum in eo conſenſus, invictum præbeat argumentum, nullam in libris Novum Fœdus deſcribentibus, depravationem eſſe factam. Sed de his vide Grotium, de veritate Relig. Chriſt. lib. 3 num. 15. Qui ſolidiſſimis rationibus oſtendit, in iſtis libris depravationem nullam factam eſſe, nec fieri potuiſſe. Ad quæ omnia & alia ſimilia ſcripta Adverſarius (quod facere non potuit) reſpondere debuit.

Merito

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Merito igitur nunc ſupponere licet, ea quæ Adverſarius in Sacra volumina evomuit, pro meris blaſphemiis eſſe habenda.

Sed videamus, quo pacto has calumnias lenire, & tolerabiles reddere conetur. Qua fini pag. 144 inquit: *Nam tam ipſa ratio, quam Prophetarum & Apoſtolorum ſententiæ, aperte clamant, Dei æternum verbum & pactum, veramque religionem, hominum cordibus, hoc eſt humanæ menti, divinitus inſcriptam eſſe.* Adverſarium per Dei Legem fatum aliquod, ſive immutabilem rerum ordinem intelligere, cap. 2. oſtendimus. Iſtum autem hominum mentibus eſſe inſcriptum tantum abeſt, ut nihil magis rectæ rationi, ſenſuum & experientiæ teſtimonio repugnans excogitari poſſit, prout multi ex Remonſtrantibus, Lutheranis & Pontificiis luculentiſſime demonſtrarunt. (De Apoſtolorum & Prophetarum ſententiis mox videbimus) Concedimus autem veram religionem (ſed non eam quam Adverſarius vult, qui omnem religionem rejicit, & ſub vocibus ludit, prout jam plurimis locis oſtendimus) hominum mentibus eſſe inſcriptam. Id vero à Chriſto, per prædicationem eſſe factum, Adverſarius (qui illum pag. 50 *os Dei* appellat) minime negari deberet. Quamvis ſatis, ut puto, perſpectum habeam, quid per *os Dei*, nec non *communicationem mentis ad mentem* cum Deo, quam Chriſto etiam attribuit, intelligit, ipſum videlicet ſubtiliſſimum & vaferrimum fuiſſe impoſtorem: qui naturali ſcientia tantopere excelluerit, ut rerum naturalium & Politicarum documentis quam maxime fuerit inſtructus. Atque adeo peritus, ad homines in ſuas partes pelliciendum, & quidvis perſuadendum vel ſimile quid. Quæ ex illis quæ hujus cap. initio, fine præcendentis, cęteriſque quæ paſſim hoc tractatu indicavimus, unicuique per ſe manifeſta ſunt. Non igitur ſufficit ſtatuere, legem Dei hominum mentibus eſſe inſcriptam: hoc enim nemo Chriſtianus negat; ſed quæritur de modo & mediis quibus id factum ſit.

Pergit pag. 144. *Eamque verum eſſe Dei ſyngraphum.* Fatemur veram religionem, quæ à Deo per Chriſtum hominum mentibus eſt inſcripta, ejuſdem eſſe ſyngraphum. Quomodo autem ea hominibus innoteſcat, id demum eſt de quo quęritur. Quod explicans Adverſarius, inquit, *quod ipſe ſuo ſigillo, nempe ſui idea, tanquam imagine ſuæ divinitatis, conſignavit.* Deus Adverſario eſt Natura, ſive hoc Univerſum, cujus idea non menti, ſed oculis hominum eſt inſcripta. Quid igitur ipſi vera ſit religio, jam antea à nobis eſt indicatum, & ab eo capp. 16. 17 & ſeqq. explicatur, omnia videlicet quę homines, ad conſervationem reipublicę conducere, fatali neceſſitate conſtricti, judicant & faciunt. Quandoquidem autem de tali Deo hic non quæritur, ſed de Deo qualem ab omni ęvo Chriſtiani coluerunt, deque vero ejuſdem cultu, negamus illum per Dei ideam cordibus hominum eſſe inſcriptum. Et probe eſt notandum. nos quidem concedere, Dei religionem cordibus hominum inſcriptam eſſe, idque ab Apoſtolis & Prophetis aperte doceri. Sed iidem minime indicant, id per ejus ideam (quam Athei vocant) fieri. Hoc ergo rationis & Sacræ Scripturæ teſtimonio probare debuerat Adverſarius, non ſimpliciter, prout ipſi moris eſt, dicere. Cum vero Prophetia Jerem. 30. 31 (nam Deut. 30. 6 huc non facit, & per oſcitan-

iam ab Adverſario adducitur) de Fœdere Dei cordibus hominum inſcribendo, ad tempora Meſſiæ, qui eſt Jeſus Chriſtus, reſpiciat, quem Deus (ipſo Adverſario, quamvis non ſerio, fatente) ut homines veram Dei religionem ipſius nomine doceret, in mundum miſit: apparet hanc inſcriptionem, non per aliquam Dei ideam, (quam ſibi homines profani ſomniant) ſed per Chriſti prædicationem (quam poſtea viri pii, & Spiritu Sancto afflati, ſcripto fideliter conſignaverunt) eſſe peractam. Quæ ſcripta nobis jam loco Chriſti prædicationis eſſe debent, ex quibus veram Dei religionem hauriamus. Illa qui recipere nolit, vadat, & mundum hunc pro Deo colat, eumque ex tote corde deligat. Ea quę Adverſarius, ut ſe ipſum ab impietate ſibi imputata excuſet, pag. 145 prolixe diſſerit, miſſa facio, & plane futilia eſſe per ſe nunc eſt manifeſtum. Quocirca me ad ipſius explicationem confero, *qua ratione Scriptura*, & N. B. *quævis res muta*, *Sacra & Divina dici debeat*, *&c*:

Quod ut aperte declaret, ait pag. 146. *Id ſacrum & divinum vocatur, quod pietati & religioni exercendæ eſt deſtinatum.* Non de eo quæritur, quid Sacrum & Divinum ab aliquo petulanter, vel ab hominibus vocetur, aut vocari poſſit, ſed quid revera Sacrum & Divinum ſit: nam meretrices etiam vocari poſſunt Sacræ, quando (quod Athenæus & Ælianus Corinthios feciſſe perhibent) in honorem Deorem, ſe novas meretrices in civitatem introducturos homines vovent, eaſque in publicis precationibus adhibebant, Deoſque ut numerum & proventum meretricum augerent, rogabant. Nec id tantum, ſed etiam hominum vivorum in honorem idolorum crematio & laniena. Hæc quamvis abominanda & execranda ſint, Sacra tamen & Divina nuncupantur, & ſecundum Adverſarii definitionem, Sacra etiam dici debent. Quo faciunt ea quę hac eadem pag. 146 lin. 6 & 7 a fine addit: *Ex quo ſequitur, nihil extra mentem abſolute, ſed tantum reſpective ad ipſam ſacrum aut* N.B. *profanum aut impurum* N.B. *eſſe.* Quicquid ergo quis ad pietatem & religionem deſtinatum eſſe credit, id ſacrum erit, ſive ſint rapinæ, furta, perjuria, adulteria, homicidia & ſimilia. Et audet iſte pag. 145 *affirmare, ſe nihil dixiſſe quod impium ſit vel impitatem redoleat*! Nos vero negamus *id ſacrum & divinum eſſe, quod* (ab hominibus ſcilicet) *pietati & religioni exercendæ eſt deſtinatum*, nec Adverſarius id ullo argumento probat, ut ſolet. Qui modus agendi Thomæ Hobbes (ex cujus Leviathane Adverſarius pleraque ſua hauſiſſe videtur) aliiſque Adverſarii adſtipulatoribus admodum eſt familiaris. Nos vero non concedimus, quidquam eſſe Sacrum & divinum, niſi quod Dei ipſius ordinatione tale eſt. Nec id quod Deus Sacrum eſſe vult, ab hominibus profanum reddi poteſt. Duo iſta exempla quæ Adverſarius ad mentem ſuam declarandam, non vero ad probandum (cui fini exempla nihil valere apud omnes in confeſſo eſt) adducit, ad rem minime faciunt. Prius enim (nempe Bethelis ſacratio) de re agit quam non Deus, ſed homo ſacraverat. Alterum vero de libro non ſacro, & qui idem qui antea, dum ſacer appellaretur, erat, non manet, ſed plane mutatur. Præterquam quod talis liber non a Deo, ſed ab homine ſacer eſſet appellatus. Nam ſi Dei mandato vel inſtinctu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

tale ſcriptum eſſet exaratum, id nunquam profanum fieri poteſt, etſi eadem verb poſtmodum in contrariam ſignificationem abirent: tum enim non recens illa, ſe antiqua verborum ſignificatio eſſet reſpicienda. Præterquam quod ipſe Adverſariu ſuperius aſſeruerit, niſi fallor, ſignificationem verborum, vel linguam aliquam no poſſe corrumpi.

Quare falſiſſimum eſt id quod pag. 146 circa finem dicit: *ex quo ſequitur, nihil extra mentem abſolute, ſed tantum reſpective ad ipſam, ſacrum aut profanum aut impurum eſſe* cum ex comparationibus nihil probari poſſit. Sed idem ex Sacra Scriptura demonſtrare nititur. Addit enim ibidem pag. 146:

Quod etiam ex multis Scripturæ locis evidentiſſime conſtat. Jeremias (ut unum aut alterun adferam) cap. 7. verſ. 4. ait, Judæos ſui temporis falſo vocaviſſe templum Salomonis templum Dei. Dicit id *ex multis* Scripturæ locis patere, ſed non credo ipſum plura loca invenire poſſe præter hunc unum, qui id quod probare voluit minime continet: ita enim legitur: *ne falſis confidite verbis, dicentes Templum Jehovæ ſunt iſta.* Ubi per *verba*, Hebraico loquendi genere, ſatis noto, *res* indicantur, & nihi aliud Propheta monet, quam ne Judæi in eo confidant, quod Jehovæ Templum poſſideant: quaſi iſtud ab exitio, quod Propheta Dei juſſu denunciabat, eos immunes pręſtiturum eſſet: hoc enim plane falſum eſſe, niſi à peccatis quæ patrabant, ſeſe continerent: alias Deum nec ipſis, nec ſuo Templo parciturum, prout contextus orationis planiſſime indicat. Non vero quod Templum Jehovæ falſo ſic ab ipſis appellaretur. Adde, quod & ſi concederemus falſo Templum iſtud ita fuiſſe appellatum, nondum tamen ſequitur, id inde factum fuiſſe, quod Templum reſpective tantum ad mentum (id eſt, ideo quod homines ei ſtulte Sanctitatem tribuerent, quam non haberet) eſſe Sacrum; ſed quia Deus illud pro Sacro non amplius haberi vellet.

Alterum quod pag. 147 adfert, eſt de Arca Fœderis, cui quid accederit, Adverſarius ſe ſæpe miratum eſſe affirmat, quod Scriptura de eo nihil dicat. Hanc autem periiſſe, certum eſſe dicit. Nec quidquam præterea adfert, quo oſtendit eam non amplius fuiſſe Sacram, poſtquam homines eam profanaviſſent. Sed quamvis Arca forte perierit, & Templum Dei penitus ſit dirutum, inde minime concludi poteſt, ea non amplius fuiſſe Sacra, cum ab hominibus *non amplius religioſe tractarentur.* Sed potius ea tamdiu fuiſſe ſacra, quamdiu Deo viſum fuit ea conſervare, & uſui ſacro deſtinare; non vero per homines ſtetiſſe, ut ſacra vel profana eſſent. Poſſunt quidem homines id quod Sacrum eſt pro profano habere, quemadmodum Adverſarii libros Sacræ Scripturæ faciunt, ſed eo nihilo minus Sacra manent. Et ob eam cauſam Judæos frequenter a Deo punitos fuiſſe legimus, quod ea quæ ille Sacra eſſe juſſerat, profanarent Judic. 2. 12 & ſeqq. verſ. 30 & ſeqq. IV. 11, 18 & alibi.

Quocirca vana ſunt quę de Sacra Scriptura, Templo & Lege pag. 147 ſubjicit, videlicet quando pereunt, dici non poſſe, Templum Dei, Verbum vel Legem Dei perirê. Negamus enim id dici non poſſe. Ita Thren. 2. 1 Deus *gloriam Iſraëlis*, id eſt Templum, *& ſcabellum pedum ſuorum* (quod vel Templum, vel Arcam Fœderis ſignificat)

icat) dicitur dejeciſſe, poſtquam a Judæis jam eſſent profanata. vide etiam verſ. 6, 7: dem de Lege & Prophetis fere dicitur verſ. 9. Et tamen Templum verſu 20 Sacraium Dei appellatur. Per ſe etiam patet, plane falſum eſſe quod Adverſarius aſſerit, d quod revera ſacrum eſt, profanum reddi, quando homines pii eſſe deſinunt. Sic Leges Polititicę manent bonæ, juſtæ & ſanctæ, quamvis ab hominibus negligantur, vel etiam aperte conculcentur.

Sed pergit Adverſarius pag. 147, oſtendere volens ipſum Jeremiam idem, quod lle de Lege aſſerere, videlicet (quamvis locum non indicet) cap. 18. 8: *qua ratione dicitis, periti ſumus, & Lex Dei nobiſcum eſt. Certe fruſtra adornata fuit, calamus ſcribarum fruſtra.* Voculam הנה *ecce* cur omiſerit, & pro איכן poſuerit הלא neſcio: hoc autem ſcio, ipſum non recte vertiſſe עשה *fecit* vel *adornavit*, & pro eo participium, & quidem fæminini generis ſubſtituiſſe *adornata eſt*, quod vox illa nullo modo poſtulat. Hoc ſaltem negare non poteſt, eam verti poſſe *fecit*, *operatus eſt* in maſculino genere, quemadmodum a *Grotio*, *Aria Montano* aliiſque factum eſt. Adeo ut non ad Legem, ſed ad ſtylum ſive calamum ſcribarum reſpiciat: quem fruſtra Propheta operari aſſerit. Quod ſive de ipſa lege, ſive de decretis contra legem ſcripto mandandis, quod *Grotius* vult, accipiatur (utroque enim modo accipi poteſt) nullo tamen pacto probari poteſt, ad ipſam Legis Moſaicæ lationem reſpici, ſed ad deſcriptionem ejus, vel quarundam ejus partium. Atque exinde patet quam inſignis artifex, in pervertendis Sacræ Scripturæ verbiis, Adverſarius noſter haberi debeat. Quinetiam, quamvis omnino concederetur, ad ipſam Legis dationem reſpici (quod tamen plane falſum eſt) ne ſic quidem locus iſte pro Adverſario quidquam faceret: nam exinde nihil aliud ſequeretur, quam reſpectu impiorum legem fruſtra eſſe datam, non vero eam amplius non eſſe Sacram. Præterea cum vox שקר *ſchakar mendacium* ſignificet, quam Adverſarius per fruſtra reddidit, non male à *Grotio* ad decreta Scribarum contra Legem refertur, ita: *vere mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum*, cum quo non male convenit *Arias*, qui ita voces reddit: *vere ecce mendacium fecit ſtylus, falſitas Scribæ*, quæ verſio ſenſum quem indicavimus, facile admittit. Itaque nullo modo indicat *Jeremias*, Legem non amplius eſſe ſacram, quia eam non obſervabant Judęi. Lex & Verbum Dei non ſunt lapides, charta, atramentum; ſed ſenſus verbis iſtis expreſſus, illum nemo perdere, nemo profanare, nec ſanctitatem ei adimere poteſt.

Quæ pag. 148 initio, de Dei Epiſtola, cordibus inſcripta nugatur, ad rem nihil facere, ipſum Adverſarium optime ſcire non dubito. Paulus enim 2 Cor. 3. 3 de literis commendatitiis agit, quas ipſi opus non eſſe ſcribit, cum ipſa Corinthiorum Eccleſia, ab ipſo fundata, & ad fidem Chriſti converſa, ſatis teſtetur eum verum eſſe Apoſtolum. Hanc vero Dei Epiſtolam nuncupat, non quæ norma vivendi, ſed teſtimonium Apoſtolatus ipſi ſat firmum prębuerit.

Jam ad alterum hujus capitis membrum tanſeamus, videlicet *qua ratione Scriptura Sacra & divina habenda ſit* pag. 148. Eam vero deſcripturus ad cap. 1 nos remittit,

 inquiens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

inquiens. *Quibus autem de cauſis res aliqua Hebræis dicitur Dei eſſe, & ad Deum refertur, cap. 1. oſtendimus.* Id pag. 9. facit, ubi quinque rationes ſive modos recenſet, quibus aliquid Dei eſſe dicitur in Sacris Literis. Præcipuam vero cauſam, cur aliquid in Sacris Literis Dei eſſe dicitur, omittit, videlicet aliquid Deo adſcribi, quia Deum creatorem hujus univerſi, authorem habet, & ab ipſo immediate eſt profectum. Atque eo ſenſu Legem Moſis, ejuſdem miracula, Prophetarum, oracula, Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum miracula & doctrinam, opera Dei vocari, adeo eſt manifeſtum, ut nulla probatione indigeat. Adverſarius autem pag. 9 dicit, *quod res aliqua ad Deum refertur, & Dei eſſe dicitur.* 1. *Quia ad Dei naturam pertinet, & quaſi pars Dei eſt.* Hoc ſaltem ſenſu Sacræ Literę Dei eſſe non dici, ipſe Adverſarius fatetur pag. 149, inquiens: *Atque hinc facile percipimus, qua ratione Deus author Bibliorum ſit intelligendus, nempe propter veram religionem, quæ in iis docetur.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, Adverſarium vel mala fide, vel ſaltem admodum inepte nos ad cap. 1 remittere, in quo iſta ratio ne verbulo quidem innuitur. Addit igitur pag. 9. 2. *Quia in Dei poteſtate eſt, & ex Dei nutu agit, ſic in Sacris cæli vocantur cæli Dei.* Non memini cælos ita appellari; ſed ſi alicubi id fiat, non concedo id propterea fieri; ſed quia à Deo ſunt creati, prout Gen. cap. 1. 6, 7, 8 deſcribitur. Pergit. 3. *Quia Deo dicata eſt.* Facile concederem iſto ſenſu aliquid Dei eſſe dici, modo adderet, *quia a Deo Deo eſt dicata.* Niſi enim iſtud addatur, nego ullibi in ſacris aliquid ideo Dei eſſe dici. Subjicit. 4. *Quia per Prophetas tradita eſt, at non lumine naturali revelata.* Et hic addendum fuit, *Deo jubente*, alias (quamvis valde dubitem, an ideo aliquid in Scriptura Deo adſcribatur, nec Adverſarius ullum iſtius rei exemplum profert) iſtud probari poſſe abſolute nego. Tandem adjungit. 5. *ad rem in ſuperlativo gradu exprimendum.* Fateor hoc ſenſu nonnulla Deo adſcribi, nego autem id iſtis omnibus in locis fieri, quos Adverſarius indicat. Præcipue vero id quod his verbis ſubjicit: *Scientia etiam naturalis Salomonis, Dei ſcientia vocatur, id eſt divina, ſive ſupra communem.* Et quia de re quæ Sacra Scriptura continetur ſermo eſt, ex eadem, urgente Adverſario, eſt definienda. Itaque 1 Reg. 3. 12 expreſſe dicitur, Deum Salomoni dixiſſe, ſe ei ſapientiam eximiam daturum, vel dediſſe: quod ſane ſcriptor iſtius libri non de Natura, ſive hoc Univerſo, ſed de ejuſdem creatore intelligere (quem Moſes Mundum, & quę eo continentur, condidiſſe refert) manifeſtum eſt. In quo ſi Adverſarius ſcriptorem errare dicat, nec eſſe ullum Mundi hujus conditorem, ſed Mundum ab æterno extitiſſe, & quæ ſunt ſimilia Atheorum dogmata, paſſim *in Tractatu* iſto ab Adverſario, abſque ulla probatione, prout multoties a nobis eſt oſtenſum, interſprarſa. oportet ut id quod aſſerit demonſtret. Et optaſſem eum palam & ex profeſſo hæc diſputaſſe, non vero tot ambagibus & tricis ea ſubdole involviſſe, ut ita aperto Marte cum ipſo congredi licuiſſet.

Addit eadem pag. 9, circa finem: *Et hoc ſenſu* N.B. *omnia quæ captum Judæorum ſuperabant, & quorum* N.B. *cauſas naturales* (nullam enim præter naturalem cauſam agnoſcit) *tum temporis ignorabant, ad Deum referri ſolebant.* Impoſſibile eſt Adverſarium

ium hæc non præfracte contra propriam conſcientiam proferre: non enim ipſum latere poteſt, librorum Biblicorum authores, non illo, ſed longe diverſo ſenſu plurima Deo adſcribere, ut creationem cœli & terræ, maris rubri exſiccationem, miracula reliqua à Moſe edita, reſuſcitationem mortuorum, κυλλῶν, id eſt membro aliquo truncatorum, in intergrum reſtitutionem, & ſimilia. Adeo ut hic Adverſarius non errare, ſed manifeſto mentiri ſit cenſendus: non enim dè ſua, ſed de Judęorum & librorum Biblicorum ſcriptorum opinione loquitur. Quos ſatis novit, non eo ſenſu, N.B. *omnia quæ eorum captum ſuperabant*, Deo adſcripſiſſe.

Quæ de Judæorum circa ventos opinione aſſerit, prætereo, quia (ſive vere, ſive falſo hoc illis adſcribat) ad rem nihil faciunt; ſed ad ea quæ in fine iſtius paginæ dicit, pergo pag. 9: *Hac etiam de cauſa miracula opera Dei vocantur, hoc eſt ſtupenda.* Non dicit à Judæis vel in Scriptura hoc fieri, ſed ſimpliciter miracula propterea ſic appellari: quod concedo ab Atheis & ipſorum ſimilibus ita fieri, non vero à Judæis, vel in Sacra Scriptura, quod etiam (quia impudentia nimis aperta eſſet) dicere non fuit auſus, ut opinor. Miracula enim Dei opera in Sacris Literis vocari, quia ab Univerſi creatore ſunt profecta, nimis eſt manifeſtum.

Pergit pag. 9. *Nam ſane omnia naturalia Dei opera ſunt, & per ſolam divinam potentiam ſunt & agunt.* At de eo non quæritur, ſed an miracula naturalia Dei, id eſt hujus Univerſi opera ſint. Id vero oſtendendum erat, non vero quod naturalia Dei opera ſint: hoc enim nemo negat, præter Adverſarium cum reliquis Atheis, quamvis id maximopere aſſerere velle videantur. Cum enim per Deum Naturam ipſam, ſive Mundum hunc viſibilem intelligant, & iſte cap. 6 expreſſe neget, miracula ulla fieri poſſe, qualia videlicet multa in Sacris Literis recenſentur, quo ſano ſenſu Deo actionem aliquam adſcribere poſſit, audire geſtio.

Ejuſdem farinæ eſt quod pag. 10 dicit. *Hoc ergo ſenſu Pſaltes vocat Ægypti miracula, Dei potentias.* Num igitur Pſaltes nullum præter Naturam agnovit Deum? hominum impudentiſſime, num illa Ægypti miracula pro Naturæ operibus agnovit?

Atque hæc ſunt quæ Adverſarius cap. 1 hac de re diſputat, & ad quæ nos remittit. Quæ cum adeo falſa ſint & futilia, diutius iis immorari non eſt opus. Ad pag. igitur 148 redeamus. Ubi dicit: *Atque ex iis* (quæ videlicet pag. 9 & 10 dixit, & a nobis nunc ſunt refutata) *facile intelligitur, quid Scriptura ſignificare velit per verbum Dei, orationem, edictum & rem.* At ex iis quæ Adverſarius diſſeruit, id minime patere, nunc ſatis oſtendimus.

Omnia itaque hic repetere non eſt opus, nec etiam quæ cap. 6 de miraculis tertio loco oſtendimus. Nec ea quæ nos ad iſta omnia regeſſimus.

Pag. 148. *Sufficit rem tantum indicare*, &c: *nempe quod Verbum Dei, quando de ſubjecto aliquo prædicatur, quod non ſit ipſe Deus, proprie ſignificat Legem illam divinam, de qua in cap. 4 egimus.* Notandum eſt quod Adverſarius hic indicare velit, quid Scriptura per *Verbum Dei* ſignificet. Atque aſſerit eam id per Verbum Dei indicare, quod ipſe cap. 4 per *Legem Dei* intelligit, fatalem videlicet in agendo neceſſitatem, quæ

omnibus rebus naturaliter ineſt. Nos vero (præterquam quod in examine cap. 4 oſtendimus, ejuſmodi legem merum eſſe humani cerebri figmentum, & prætere non ſuſceperat id hoc capite oſtendere; ſed qua ratione Scriptura Sacra & Verbun Dei vocetur: Adde quod iſtius rei, circa finem pag. 148 tres cauſas indicet, ab illis quas hic adfert longe diverſas) negamus in tota Scriptura iſtiuſmodi fatalem neceſſitatem, unquam Legem Dei vel Verbum Dei vocari, & Adverſario id probandum committimus, qui id, prout ſolet, abſque ulla probatione dicit. Imo negamus Scripturam ullibi indicare, dari ullum fatum; ſed contra apertiſſime illa ubique inculcat, homines libere agere, & in negotio religionis, quod volunt eligere, & per Dei gratiam vel permiſſionem efficere poſſe. Nec id tantum; ſed abſolute negamus, homines neceſſario agere, vel id ex rationis lumine probari poſſe, ſed potius contrarium. Imo hominum actionibus aliquam neceſſitatem tribuere adeo eſt abſurdum, ut illud ſerio credere vix ullus poſſit. Quis eſt qui ſe cogi, & neceſſario agere ſentiat? Quis qui non videat, ſe quod vult eligere poſſe? Quod impoſſibile foret in homine ratione prædito, ſi fatali aliqua neceſſitate adacti, aliter quam faciunt agere non poſſent. Quis non videt, quantumvis quis ad hoc vel illud ſit pronus, eum ab aliis ut id omittat, vel etiam contrarium agat, cogi poſſe, aut ſeipſum frequenter applicare? Quorſum hominum ingenia & mores mutare ſtudet Adverſarius, eorumque mentem rationibus flectere, ſi aliter quam agunt & ſentiunt, agere nec ſentire, fatali urgente neceſſitate, nequeant? Videantur quæ hac de re capp. 3. 4 & lib. 2. cap. 8 diſputavimus.

Addit Adverſarius pag. 148. *Hoc eſt religionem toti humano generi univerſalem ſive catholicam.* Hanc Adverſarius initio cap. 4 deſcribit, nihil aliud eſſe, quam *legem quæ à Naturæ neceſſitate dependet*, quod pag. 44 lin. 6, 7 declarat, *ſe abſolute concedere, omnia ex legibus univerſalibus Naturæ determinari, ad exiſtendum & operandum, certa ac determinata ratione.* Hanc determinatam neceſſitatem vocat *religionem, toti humano generi univerſalem.* Atque fatalem iſtam neceſſitatem in Sacra Scriptura Legem Dei vocari aſſerere audet, quem in finem ſtatim ſubjicit: *Qua de re vide Eſaiæ cap. 1. verſ. 10, ubi verum vivendi modum docet.* Eſaias ibi Judæos hortatur, ut verum vivendi modum ſequantur, quem tamen non ſequebantur (prout verſ. 16 expreſſe indicat, ubi dicitur, *lavate vos, purgate vos, pravitatem actionum veſtrarum ab oculis meis removete, deſiſtite à malis actionibus, diſcite bonum facere.*) Hunc vivendi modum fatalem eſſe neceſſitatem, Adverſarius oſtendere debuit. Si vero iſte vivendi modus lex naturalis eſt, ad quam homines neceſſitate Naturæ determinantur, quomodo ab illo vivendi modo Judæi & plerique homines deflectere potuerunt? Si neceſſario deflexerunt (quod Adverſarius concedere debet, ſtatuens *omnia ad operandum certa & determinata ratione determinari*) cur homines ad meliora monet? Quomodo id quod homines neceſſario agunt, Lege Dei, vel vero vivendi modo contrarium eſſe ſtatuere poteſt? cum iſtud legem & religionem divinam vocet.

Pergit Adverſarius pag. 148. *Sumitur deinde* (Verbum Dei) *metaphorice pro ipſo Na-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ura ordine & fato (quia revera ob æterno divinæ naturæ decreto pendet.) Sed an ita Verbum Dei ſumitur in Scriptura? de eo enim quæſtio eſt. Oſtendat hoc ſi poteſt Adverſarius. Quod quia ſe facere non poſſe videbat, ut opinor, maluit ambigue loqui, ne fucus facile deprehendi poſſet. Negamus igitur hoc ſenſu voces *Verbum Dei* in tota Scriptura accipi. Negamus itidem iſtum Naturæ ordinem & fatum, una cum iis quæ de Prophetarum edictis adjicit.

Pergit circa finem pag. 148. *Tribus itaque his de cauſis Scriptura Verbum Dei appellatur.* A quibus autem ita ob illas tres cauſas appelletur, non exprimit, ſed à nemine præter illos qui Scripturam ut falſam, abſurdam & fabulis plenam rejiciunt, id eo ſenſu quo Adverſarius facit, fieri ſolet. Sed videamus tres iſtas cauſas, quarum prima eſt, *quia veram docet religionem, cujus Deus æternus author eſt.* Deus ipſi eſt Natura, Naturæ autem pars ſunt homines. Cum igitur dicit, Deum religionis eſſe authorem, nihil aliud intelligit, quam homines certas leges, ex quibus ad conſervationem ſocietatis humanæ vivere tenentur, condidiſſe. Quod aperte pag. 45 lin. 21 & ſeqq. his verbis indicat. *Cum itaque lex* N.B. *nihil aliud ſit quam ratio vivendi, quam homines* N.B. *ob aliquem finem ſibi, vel aliis præſcribunt, ideo lex diſtinguenda videtur in humanam & divinam. Per humanam intelligo rationem vivendi, quæ ad tutandam vitam & rempublicam inſervit, per divinam autem, quæ ſolum ſummum bonum* (id eſt cognitionem rerum naturalium, paſſionum domitionem, & ad vitam ſecuram cum ſano corpore tranſigendam, prout Adverſarius pag. 32, 46 lin. 8 à fine id explicat) *hoc eſt veram Dei cognitionem & amorem ſpectat:* quæ nihil aliud quam hujus mundi ejuſque voluptatum carnalium ſcientiam & dilectionem ſignificat. Homines autem æternum Deum vocare videtur, quia ab æterno homines in rerum natura extitiſſe, credere videtur. Ita in re tam ſeria & adeo magni momenti ludit. Sed iſtud eſt quod dicere vult, ſe loquendi modos tres confinxiſſe, quibus Scriptura Verbum Dei, ad populum decipiendum, vocari poſſit, quamvis ea fabulis & deliriis ſcateat, quemadmodum ſuperius cap. 1. & 2 oſtendimus. Quod & ſequentia, circa finem pag. 149 indicant, ubi dicit: *aliud eſt Scripturam & mentem Prophetarum, aliud* N.B. *mentem Dei, hoc eſt ipſam rei veritatem intelligere.* Ut autem ad Adverſarii theſin redeamus, concedimus, imo urgemus, *Scripturam ideo Dei Verbum appellari, quia veram docet religionem, cujus Deus æternus eſt author.* Quam vero religionem doceat, nemini qui Sacram Scripturam vel a limine ſalutaverit, latere poteſt. Hanc vero his præcipue rebus complectitur, videlicet quod exiſtat ens aliquod independens, quod cœlum & terram, cum omnibus quæ iis continentur, creaverit. Ens iſtud ab hominibus religioſum cultum exigere, non tantum actionibus corporis, ſed etiam mentis & intellectus, quibus certas res, ibidem expreſſas, pro veriſſimis amplecti & credere tenentur. Et reliqua, quæ Sacra Scriptura prolixe enarrat. Iſta qui præſtiterit, poſt hanc æternæ vitæ præmio decorabitur, qui ſecus faxit, æterni ignis ſupplicia non effugiet.

Alteram cauſam ob quam Scriptura Verbum Dei vocetur, facit, *quia prædictiones*

rerum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

rerum futurarum, tanquam Dei decreta narrat. Si Adverſarius propterea Scripturam Verbum Dei appellare velit, noſtra id nihil refert. Nos ob ſecundam iſtam cauſam eam ſic appellari debere negamus.

Tertia eſt. *Quia ii, qui revera fuerunt ejus authores, utplurimum non ex communi naturali lumine, ſed quodam ſibi peculiari docuerunt, & Deum eadem loquentem introduxerunt.* Nos vero dicimus, quia Scriptores iſtorum librorum fideliter iſtis libris tradiderunt, quid Deus, mundi creator, revera hominibus fuit locutus, & alios docere expreſſe injunxit, & doctrinam iſtam, operibus præter & contra Naturæ ordinem patratis, veram eſſe, & à Deo revera eſſe profectam, evidentiſſime demonſtrare juſſit & conceſſit. Cum vero Adverſarius oſtendere promiſerit, qua ratione Scriptura Sacra & Verbum Dei vocetur, non ſufficit cauſas & rationes aliquas, abſque ulla probatione confingere; ſed oſtendere debuit, nullam aliam ob cauſam, quam quas ipſe indicat, Scripturam ita appellari poſſe vel debere. Nihil autem refert, utrum libri Biblici expreſſo Dei mandato vel directione, an ex propria hominum deliberatione ſint conſcripti, modo fideliter, ea quæ ſciebant vera eſſe, authores iſtorum librorum conſcripſerint. Eos autem vera & fideliter ſcripſiſſe, noſque libros iſtos non depravatos habere, ab aliis & nobis ipſis paulo ante ſufficienter eſt demonſtratum. Atque inde apparet nihil referre, an plures an pauciores libri Scripturæ ſuperſint, an aliqui perierint nec ne, modo illi quos habemus totam Dei legem contineant. Cum autem omnes iſti libri in omnibus rebus, (non loquor de minutiis vel mendis, qui ſcribarum culpa irrepſerunt) conveniant exacte, omneſque à viris piis, & rerum optime gnaris (& qui magnum lucrum accipere, & multa incommoda vitare potuiſſent, ſi aliter quam ſcripſerunt & docuerunt, ſcribere vel docere voluiſſent) ſint conſcripti, omnino ejuſdem apud nos debent eſſe authoritatis, ac ſi expreſſo Dei mandato eſſent conſcripti. Si quis ſtatuere velit, libros iſtos quædam falſa, & ſibi mutuo repugnantia continere, vel in multis depravatos eſſe, is id oſtendat oportet. Quæ ab Adverſario, eum in finem ſunt producta, jam refutavimus, & lib. 2 cap. 1 & ſeqq. alia plura, quę libris iſtis objici ſolent, una cum eorum refutatione adjiciemus, Deo volente. Et ſic merito contra Adverſarium concludimus, eum qui Scripturæ ſenſum recte intelligit, ipſam rei veritatem intelligere. Si nihil aliud habet, quemadmodum nihil ipſum præterea habere exiſtimo, miror ipſum ſibi in re tanti momenti, tam levibus rationibus ſatisfacere velle. Scripturam vero incorruptam ad nos perveniſſe, duobus Adverſarii argumentis, quæ, aliud agens pag. 152 producit, optime præter jam dicta oſtenditur. Primum his verbis continetur. *Adde, quod, quamvis nullum facinus execrandum excogitari poßit, quod non ſit ab aliquo commiſſum, tamen nemo eſt qui ad facinora ſua excuſanda, leges delere tentet.* Quod ſi verum eſt, certe nihil eorum quæ Chriſtus hominibus, tanquam vitæ & morum normam præſcripſit, quæque Apoſtoli pro talibus tradiderunt & docuerunt. eſſe depravatum vel mutatum, omnino eſt ſtatuendum.

Alterum ejuſdem argumentum tale eſt. *At præter hæc alia adhuc ſunt, de quibus dubitare*

vitare non poſſumus, quin bona fide nobis ſint tradita. Nempe ſumma hiſtoriarum Scriptura, quia notiſſimæ fuerunt omnibus. Vulgus Judæorum ſolebat olim nationis antiquitates Pſalmis cantare. Summa etiam rerum à Chriſto geſtarum, & ejus paſſio (adde etiam ex mortuis reſuſcitatio, & ſumma eorum quæ ab Apoſtolis geſta ſunt) *ſtatim per totum Romanum imperium vulgata fuit. Quare minime credendum eſt, niſi maxima pars hominum in eo conveniret, quod incredibile eſt, id quod harum hiſtoriarum eſt præcipuum* (mors videlicet, miracula & ex mortuis Jeſu Chriſti reſuſcitatio) *poſteros aliter tradidiſſe, quam à primis acceperant.* Quibus ſubjicit, ***nullam adulterationem aut mendum potuiſſe irrepere*** in Scripturam *niſi in una aut altera* N.B. *hiſtoriæ aut prophetiæ circumſtantia, vel* N.B. *in uno aut altero miraculo*: atque ita cum Adverſarius id in rebus levioribus tantum locum habere ſtatuat, neceſſario fateri cogitur, ſi quid immutatum in talibus ſit, id per depravationem minime factum eſſe poſſe. Qui enim adeo impius eſt, ut quid depravare audeat, is ſane id non levioribus, ſed in præcipuis rebus tentaret, quibus tota religionis facies mutaretur. Quorſum enim talia immutaret, quæ depravata, religionem ipſam non perverterent. Unde neceſſario ſequitur, ſi quid immutatum ſit, id per errorem in deſcribendo tantum accidiſſe, & propterea ipſi hiſtoriæ vel doctrinæ, ne tantillum quidem detrahi poſſe. Pergimus igitur ad

---

CAPUT XIII.

In quo oſtenditur ab Adverſario, Scripturam non niſi ſimpliciſſima docere, nec aliud præter obedientiam intendere, nec de divina natura aliud docere, quam quod homines certa vivendi ratione imitari poſſunt.

Contenta.

ADverſarius omnibus veræ religionis fundamentis & partibus rejectis, ad id quod intendebat, Capite decimo tertio viam ſternere incipit, videlicet deſcriptionem optimæ Politiæ, in qua Athei ſecure, abſque periculo ne à plebe dilacerentur, degere, & iis qui perſpicacis ſunt ingenii, impias ſuas opiniones impune perſuadere poſſunt, eoſque rationem docere, qua Deum, id eſt mundum, ex toto corde diligere, ejuſque voluptatibus tranquille, quantum fieri poſſit, frui queant: exturbando videlicet ex animis ſuis omnem divinæ vindictæ metum, & populi rabiem mitigando. Idque hoc pacto obtineri poſſe non illepide docet: ut ex Authoritate Magiſtratus Philoſophia (ita enim Atheorum furores appellari vellet) à Theologia ſeparetur, & cuivis interdicatur id quod ratio certum eſſe docet, ad Theologiam ſive religionem applicare. Concio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

natores conſtituat, quibus injungatur, populum nihil aliud docere de Deo, quam quod omn creaverit, regit, peccatores contumaces horrendis pœnis ſit affecturus, & ne Philoſophis propt eorum opiniones noceat; proximum non eſſe injuria afficiendum, & ſimilia pauca, ſine quib reipublicæ tranquillitas conſervari nequeat. Atque iſta omnia uſque ad cap. 16 ſub ſpecioſis t tulis, & ex ipſa Scriptura (quam contrarium evidentiſſime docere optime novit, exceptis pa culis iſtis poſtremo recitatis) inculcare contendit. Nos vero in omnibus Adverſarii aſſertionibu non tantum oſtendimus ipſum nihil eorum demonſtrare potuiſſe, verum etiam noſtras de iſtis r bus opiniones cum philoſophia & ſana ratione optime convenire.

EA quæ dicit, ſe in ſuperioribus capp. 2. 5. 6. 7 oſtendiſſe, prętereo, qu abunde a nobis ad omnia illa ibidem eſt reſponſum. Quædam autem c novo hic admixta, delibare placet, quale illud eſt, *Deum nulla philoſ phica arcana Prophetis revelaſſe.* Quod ſenſu Adverſarii verum eſſe concedo eos videlicet nulla talia ſibi fuiſſe imaginatos. Revera autem Philoſophi fundamenta in Scriptura reperiri, eaque ſolida atque certa, aſſeverare non erubeſco & ſuo tempore, Deo dante, oſtendere non gravabor. Simulque docebo, ea aliund à nemine unquam eſſe deprompta, nec depromi poſſe. Præterquam quod ipſe Ad verſarius *Salomonem* Philoſophum fuiſſe contendit. Qui quamvis Propheta non fue rit, ejus tamen dogmata libris Biblicis comprehenduntur. Atque adeo veram philo ſophiam ſola Scriptura contineri, non modo quæ de rebus ſpiritualibus, ſed etian naturalibus & mere ſpeculativis agit, mea eſt ſententia. Quandoquidem vero pag 154 circa finem, ea quæ toto hoc capite diſputat, his duobis complectitur, ſe vide licet oſtenſurum 1. *Intellectualem ſive accuratam Dei cognitionem, non eſſe donum omni bus fidelibus commune, ſicut obedientiam. Deinde, cognitionem illam, quam Deus per Pro phetas ab omnibus univerſaliter petiit, & unuſquiſque ſcire tenetur, nullam eſſe præter cogni tionem divinæ ejus juſtitiæ & charitatis.*

Ad primę theſeos demonſtrationem nihil aliud profert, quam vanam & confictam nominis Jehova ſignificationem. Quam per ludibrium urget, alio collimans. Vult enim homines, qui omnes fere, propter menti ipſorum infixa præjudicia, ſibi per-ſuaderi non patiuntur, nullum eſſe Deum mundi Creatorem, non eſſe idoneos, ut capere poſſint, Naturam Univerſam nnicam tantum eſſe ſubſtantiam, æternam & ad omnia poſſibilia producendum, inſita ſibi naturaliter, & a nullo indita virtute aptam, præter quam nihil exiſtit. Hanc opinionem *donum* vocat, *non omnibus fi-delibus*, id eſt ſtultis, *commune.* Ad quod oſtendendum, quamvis optime norit, ea quæ de nomine *Jehova* per jocum diſſerit, nihil facere, quia tamen pauci id perci-piunt, non abs re erit examinare.

Quandoquidem igitur Adverſarius ipſe confiteatur, Scripturam de Deo docere, *quod Mundum condidit atque gubernat* pag. 23. 63. 158 & alibi, *quod habeat ſpirituales manus, oculos, mentem* &c, *& motum localem ei tribuat*; quod ſit miſericors, zelotypus &c, nullo modo credere poteſt, nomen *Jehova* hoc ſenſu (qui ſolus Scripturæ eſt ſenſus, & de

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quo ſolo agit, vel ſaltem hic agere debet) *Dei abſolutam eſſentiam, ſine relatione ad res creatas indicare*, quod pag. 155 abſque ulla probatione vel fundamento affirmat. Sed ex propria ſua ſententia ita loqui poteſt. Cum enim credat Naturam eſſe æternam, nec ullum præter eam ens exiſtere, nomen vero *Jehova* nihil aliud quam exiſtentiam proprie videatur, vel ſaltem poſſit ſignificare, recte Adverſarius poteſt aſſerere, nomen iſtud Dei eſſentiam iſto ſenſu ſignificare; quem tamen à Scripturæ ſenſu alieniſſimum eſſe optime novit.

Præterea, ſi nomen iſtud abſolutam Dei eſſentiam ſignificat, quam Deus Judæorum patribus incognitam fuiſſe declarat, eamque tum Judæis per Moſem revelabat, apparet Deum ab eo tempore voluiſſe, ut abſolutam ipſius eſſentiam cognoſcerent, illoſque eam revera cognitam habuiſſe. Et cum ante Moſem nulla Scriptura exſtiterit, eaque ab ipſo primum exarari fuit cœpta, quivis videt Adverſarium extra oleas vagari, quando ex eo vult adſtruere, Scripturam iſtam cognitionem non exigere, cum ante iſtud tempus non extiterit. Deus autem ab initio, quo Scriptura adornari cœpit, expreſſe iſto nomine (id eſt cognitione abſolutæ ſuæ eſſentiæ, ex Adverſarii hypotheſi) cognoſci & coli voluerit. Ex quo validiſſime contra ipſum concludimus, Scripturam omnino abſolutæ Dei eſſentiæ cognitionem exigere, quam ante iſtud tempus non exegerat.

Quod Adverſarius poſtea nugatur, Patres Judęorum eo nomine à Deo laudari, quod ſingulare Dei nomen ignoraverint, & tamen promiſſa ipſius crediderint certo ventura, id omnino falſo & calumnioſe ab ipſo dicitur, nec ullum ejus rei in textu extat veſtigium. Conciliationem loci Exod. 6. 2 cum Gen. 8. 21. XII. 8 & ſimiles, non opus eſt ab Adverſario diſcere, nos eam lib. 2 cap. I. ad locum Gen. 15. 7 ſinceram dedimus.

Poſtquam igitur primam Adverſari theſin, ſatis refutavimus, in refutatione ſecundæ non eſt quod immoremur, cum ex iis quæ ad quintum Caput reſpondimus, una cum his quæ jam diſſeruimus, ſatis ſit manifeſtum, duo iſta loca, ab Adverſario allata, hic minime ſufficere, cum reliqua præcepta legis, ſub charitate, judicio & juſtitia comprehendantur. Et quod Adverſarius addit, Scripturam non exigere, ut alia Dei attributa cognoſcamus, præter illa memorata, id nos in ſuperioribus, etiam ex Adverſarii confeſſione, falſum eſſe evidenter docuimus. Et hæc de capite decimotertio ſufficiant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

CAPUT XIV.

Quo quæritur Quid ſit fides, quinam fideles, fidei fundamenta determinantur, & ipſa a Philoſophia ab Adverſario tandem ſeparatur.

SIc autem pag. 159 orditur. *Ad veram fidei cognitionem apprime neceſſarium eſſe ſcire, quod Scriptura accommodata ſit, non tantum captui Prophetarum ſed etiam varii & inconſtantis Judæorum vulgi, nemo, qui vel leviter attendit, ignorare poteſt.* Id vero falſiſſimum eſſe, nos in ſuperioribus luculenter, ni fallor, oſtendimus. Sed cum dicit, *Scripturam captui hominum* &c *eſſe accommodatam*, nihil aliud vult, quam eam *hominum commentis & placitis*, ut ſtatim ſubjicit, eſſe refertam, quod hactenus oſtendere ne conatus quidem eſt, præſertim de Novo Fœdere (in eo enim non admodum verſatus eſſe videtur) multo minus effecit.

Immerito etiam diverſas & contrarias ſectariorum opiniones, Scripturæ imputat. Non magis id Scripturæ vitio eſt vertendum, quam infinitas, quas inter ſe fovent philoſophi controverſias, rationi vel Philoſophiæ tribuere poſſumus. Illæ ab hominum malitia, ignavia, ſocordia & negligentia proveniunt. Totum vero hoc caput ea fini Adverſarius adjecit, ut oſtendat, neminem propter quaſcunque tandem opiniones, modo ſe bonum civem pręſtet, odio, maledictis vel aliis incommodis premi debere.

Multa igitur hic (modo fucus non ſubeſſet) non male diſputat. Cum vero pag. 162 in medio dicit: *Sequitur deinde fidem non tam requirere vera, quam pia dogmata*, venenum apertius exponit. Adverſarius omnem in eo pietatem collocat, ut homines pacate in republica vivant, ad quod ſane nihil refert, ſive veris dogmatibus, ſive impoſturis homines adigantur. At in cultu divino, qualem Chriſtus docuit, nihil poteſt eſſe pium, quod ſimul verum non ſit. Et ſi quid hic quis amplectatur, quod à Deo, univerſi Creatore, non ſit profectum, id Scriptura ſeductionem, *humanas traditiones, lignum, fœnum, ſtipulas* appellat Matth. 15. 9. 1 Cor. 3. 12, 13, 14, 15. Col. 2. 22, 23. Quamvis ergo quis in illis quæ religionis Chriſtianæ fundamenta non ſunt, errare poſſit, abſque æternæ ſalutis, per Chriſtum revelatæ, jactura, non tamen abſque damno id fieri poteſt. Ac idcirco nullo modo ſequitur, fidem abſque veritatis reſpectu definiri poſſe, quamvis in levioribus error condonari poſſit.

Ad reliqua, quæ de charitate & juſtitia nugatur, nihil reſpondebo. Qui enim præfracte non eſt impius, per ſe novit, quam multa in Novo Fœdere (ne de Veteri quidquam addam) promiſſa videlicet & minę, præcepta, attributa, ſint tradita, quæ ſub divinæ charitatis & juſtitiæ cognitione comprehenduntur: de quibus agendi hic

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

non eſt locus. Ex eo autem quod Adverſarius aſſerit, *fidem non tam vera quam pia dogmata requirere*, quivis videt, eum ſeptem illa religionis fundamenta, quæ pag. 163 & 164 enumerat, forte non pro veris agnoſcere, ſed tantum pro talibus, quæ ad populum in officio continendum, ſi ea credat, ſunt accommodata & partim conficta. Quod indicaſſe ſatis eſt, ut cuivis manifeſto conſtet, qua mente de S. Scriptura, Dei præceptis, pietate & fide hactenus diſputaverit, videlicet ut ſub vocibus lateat, & Atheiſmi venenum occultet.

Iſtud etiam apprime notandum eſt, ipſum pag. 163 & 164 inter fundamentalia, ne gry quidem de Chriſti perſona, officiis, morte, reſurrectione & in cælum ſubvectione, præceptis, promiſſis vel minis addidiſſe, ſed illa expreſſe à fundamentalibus excludere: dicit enim pag. 163. *fundamentalia* N. B. *nulla præter hac* (videlicet ſeptem illa quæ enumerat) *ſunt*. Et quod magis mirere, pag. 164 expreſſe à fundamentalibus excludit, ut quis credat *quid ſit Deus*, & nihil referre dicit, ſive quis credat *Deum eſſe ignem, ſpiritum, lucem, cogitationem* N. B. *&c*, ſub quo neſcio quid comprehendi poteſt. Nihil enim in rerum Natura eſt, quod non ſit Naturæ, atque adeo ipſius Dei, ex Adverſarii ſententia, pars. Imo nec id quidquam referre dicit (ut alia omittam) an quis credat, *quod præmium bonorum & pœna malorum naturalis vel ſupranaturalis ſit*. Hoc ſaltem negare non poteſt, multum referre quid in iſtis quis credat, reſpectu Novi Fœderis, in quo iſta expreſſe ab hominibus exiguntur ut credant, & quidem ſub pœna quam Deus ipſe ſupranaturaliter, imo cum Naturæ ipſius deſtructione, inflicturus ſit. Si Deus eſſet ignis, lapis, Mundus &c, nemo ipſum metuet, nemo colere tenetur. Si vero eſt ens ratione præditum, unicum, omnipotens, quod leges hominibus preſcripſit, pœnas & præmia poſt hanc vitam inflicturus, quod Novi inſtrumenti Scriptura docet, ergo longe alio modo erit colendus. Et an hoc ſcire nihil refert, an iſta vera ſint an falſa? Sed illis qui hoc Univerſum pro Deo habent, & nihil honeſte ab hominibus expeti poſſe, præter *rerum per primas cauſas cognitionem, paſſionum* (quatenus videlicet rempublicam turbant) *domitionem, & ſecuram cum ſano corpore vitam*, ut Adverſarius expreſſe fatetur pag. 32, nihil refert quid de Deo & reliquis iſtis dogmatibus credant.

Pag. 165 circa finem Adverſarius promittit, *ſe oſtenſurum, inter fidem & Philoſophiam nullum eſſe commercium, nullamve affinitatem.* Quod nemo de hac ejus philoſophia negare poteſt: illa enim totam religionem Chriſtianam ſubvertit, & pro commentitia habet. Adeo ut inter hanc & illam non tantum nullum commercium ſit, ſed & ſibi invicem directa fronte adverſentur. Philoſophia enim iſta ſummum hominis bonum in Reipublicæ incolumitate & bonis naturalibus conſtituit, religio autem poſt hanc vitam ſummum bonum quærit. Quare etiam media, quibus ad utrumque iſtum finem tenditur, quammaxime ſibi invicem ſunt contraria. Chriſtus enim docet, eum qui terrena hæc pro ſummo bono ducit, premium vitæ æternæ, quod ipſe Dei nomine annunciabat, minime acquirere poſſe. Quocirca etiam Adverſarius, Philoſophiam & Religionem ſibi mutuo opponens, dicit, *Philoſophia enim ſcopus nihil eſt præ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ter veritatem; Fidei autem nihil præter obedientiam & pietatem. Quaſi fides non modo ve-ritatem non requirat, ſed eam ne intendat quidem. Quod ſane abſque blaſphemia di-non poteſt, niſi de Atheorum fide, qualem Adverſarius deſcribit, accipiatur.

CAPUT XV.

Nec Theologiam rationi, nec rationem Theologiæ ancillari oſtenditur, & ratio qua nobis S. Scripturæ authoritatem perſuadeamus.

SI per rationem, Adverſarii philoſophiam intelligamus, penitus hęc ejus ſententia eſt amplectenda, prout in fine pręcedentis capitis oſtendimus. At ſi veram & ſanam rationem intelligamus, nullo modo concedi poteſt Theologiam nullum cum Philoſophia ſive ſana ratione commercium habere. Nos igitur cum Adverſario ſtatuimus, nec ſenſus Scripturæ rationi, nec rationem ſenſui Scripturæ eſſe accommodandum: iſtud enim minime eſt opus, cum nec ſana ratio Scripturæ nec Scriptura ſanę rationi unquam adverſetur, & inter utramque ſumma ubique ſit concordia.

Dicit quidem Adverſarius pag. 166 *ſe oſtendiſſe* N.B. *omnia quæ in Scriptura continentur, ad captum & præconceptas opiniones vulgi fuiſſe accommodata.* Id eſt, omnia quæ in Scriptura docentur, talia eſſe, quæ homines facile amplectantur, & plurima ad eos decipiendos, & ad devotionem movendos eſſe conficta. Quod ſi firmiter credat, quorſum quæſo ſtatuit, Scripturam eſſe depravatam? niſi ut oſtendat, iſta figmenta & mendacia, in adhuc abſurdiora & magis falſa eſſe commutata. At nos cuncta ipſius argumenta, quibus Scripturæ depravationem evincere eſt conatus, abunde refutavimus, & contrarium verum eſſe, apertiſſime oſtendimus. Et propterea etiam omnia, quibus demonſtrare voluit, Scripturam ſanę rationi repugnare, repreſſimus, & ad cætera, quæ ab aliis fuere objecta, mox etiam reſpondebimus. Concedimus igitur plane, ſi quid in Scripturis, rectæ rationi repugnans reperiretur, id omnino tanquam falſum rejici debere. Sed negamus quidquam iſtiuſmodi in Scriptura reperiri. Adverſarius quædam Scripturæ dogmata, quę ipſi cum ratione pugnare videntur, abſque ulla probatione objecit. Sed nos ea rationi minime repugnare oſtendimus & ulterius in ſequentibus oſtendemus.

Vult quidem Adverſarius, non de ipſis Scriptoribus librorum Biblicorum, ſed tantum *de fide eorum qui libros Sacros nobis tradiderunt dubitare* pag. 168. Sed merus eſt iſte prætextus, prout ex præcedentibus manifeſtum fecimus. Videamus igitur quomodo oſtendat, nos non teneri omnibus quæ in Scriptura affirmantur, fidem adhibere, eamque ſibi ipſi aliquando eſſe contrariam. Ita igitur ait. *Hic ante omnia, iſtius*

Rabini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Rabini (Jehudæ Alpakhar) *regulam examinare libet. Is, uti diximus, vult nos id omne quod Scriptura affirmat aut negat, tanquam verum amplecti, vel tanquam falſum rejicere teneri, deinde nunquam Scripturam aliquid expreſſis verbis affirmare aut negare contrarium ei, quod in alio loco affirmavit vel negavit. Quæ duo quam temere dicta ſunt, nemo ignorare poteſt.* Ego ſane fateor, me non tantum ignorare, ſed etiam expreſſe negare, hæc duo temere eſſe dicta. Imo temere, ne dicam impie, hæc ab Adverſario dici affirmo. Sed non ſufficit hęc utrimque dixiſſe, ad probationes accedamus.

Addit igitur Adverſarius ibidem: *Nam ut jam omittam, quod non animadvertit, Scripturam diverſis libris conſtare* (Attendite, quæſo! Lectores, hæc non animadvertiſſe R. Alpakhar) *diverſis temporibus, diverſis hominibus, & denique à diverſis authoribus, ſcriptam eſſe. Tum hoc alterum, quod hæc ex propria authoritate, & ratione & Scriptura nihil tale dicentibus, ſtatuat.* Non opus eſt ut vel ratio vel Scriptura hæc dicant, ſufficit ſi neutra reclamet. Atque Adverſarius oſtendere debet, utramque vel alterutram reclamare. Nos vero ſuperius oſtendimus, Scripturam hæc omnino dicere.

Addit pag. 169: *Debuiſſet enim oſtendere, omnia loca, quæ non niſi per conſequentiam aliis repugnant, poſſe ex natura linguæ, & ratione loci, commode metaphorice explicari.* Quid in eo præſtiterit iſte Judæus, ignoro. At non Alpakhar, ſed ipſe Adverſarius oſtendere debuit, talia in Scriptura reperiri, quæ vel ſibi invicem, vel ſanę rationi repugnant. Nos vero partim oſtendimus, & mox uberius oſtendemus, ea quę pro talibus venditantur, talia minime eſſe. Nec opus eſt oſtendere, omnia iſta loca metaphorice poſſe explicari, ſed tantum, ea nihil abſurdi, nec aliis locis contrarium continere.

Pergit pag. 169. *Deinde Scripturam incorruptam ad noſtras manus perveniſſe.* Id quamvis jam oſtenſum non eſſet, non foret opus oſtendere, nos enim de eo minime dubitamus, & etiam ſuperius iſtud oſtendimus cap. 12. Qui vero de eo dubitat, vel affirmare auſit eam corruptam eſſe, is dubitationis vel aſſertionis ſuæ rationes proferre tenetur. Quas Adverſarius adduxit, eas ſatis refutavimus. Deinde, ſi quis libri cujuſdam integritatem in dubium vocare velit, non ſufficit, ut loca quædam ex eadem producat, quę ipſi abſurda vel contradictoria eſſe videntur; ſed oportet ut ſolidiſſime oſtendat ea talia eſſe, quod Adverſarius hactenus non fecit. Præterea manifeſta depravationis argumenta indicare debet: qualia ſunt, teſtimonia virorum fide dignorum, quique certam iſtius rei notitiam habuerunt, vel alia iſtius rei evidentia indicia. Jam vero contra, non tantum nihil ſimile produci poteſt, ſed contrarium potius teſtimonio hoſtium Chriſtianę religionis infenſiſſimorum confirmatur, Chriſtianos nunquam aliud docuiſſe ex ſuis Libris Sacris, quam quod in illis etiamnum continetur. Nec unquam Novi Fœderis depravationem illis objecerunt. Accedit quod ipſe Adverſarius, pag. 152 ſolide demonſtraverit, S. Scripturam minime depravari potuiſſe.

Sed rem, inquit pag. 169, *ordine examinemus.* Eja fiat ita! Et primo quidem concedo, nos non teneri quidquam credere, quod ſanę rationi repugnet, & nos ejuſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

modi quidquam in S. Scriptura reperiri negamus. Adverſarius autem, ut oſtendat eam talia continere, ait, *Scripturam expreſſe affirmare & docere, Deum eſſe Zelotypum* Exod. 34. 14. Deut. 4. 24 &c: *atqui hoc rationi repugnat.* Sed an ſatis eſt dicere, id rationi repugnare? nos vero negamus id rationi repugnare (præſertim ſi vox קנא *kana* pro ſtudio honorem ſibi debitum defendendi, & contemtores ſui ulciſcendi, quod proprie etiam ſignificat, teſte *Pagnino*, *Eduarto Leich*, aliiſque) accipiatur.

Pag. 169. *Sic etiam Scriptura expreſſe dicit* (vide Exod. cap. 19. verſ. 20 &c.) *Deum in montem Sinai deſcendiſſe, ipſique alios motus locales tribuit.* (Motum circularem Deo non denegabit Adverſarius, qui Univerſum hoc pro Deo habet) *nec ullibi expreſſe docet, Deum non moveri.* Fateor. *Adeoque hoc etiam omnibus tanquam verum admittendum.* Quidni? Oſtendat Adverſarius, Deo motum localem non poſſe tribui, & hoc rationi ſanæ repugnare. Quod enim ſubjicit, Salomonem 1 Reg. 8. 2 dicere, Deum nullo loco comprehendi, ex quo ſequi ait, *Deum non moveri.* (Mirum eſt Adverſarium localem motum Deo denegare, qui homines & animalia omnia, ventum & aërem, partes videlicet Naturæ, quam pro Deo habet, pro Dei partibus agnoſcit, ut & aſtra & planetas quos omnes loco moveri credit. Vide cap. 16. p. 175 lin. 20 & ſeqq. in Tract. Theol. Polit.) Quod ad Salomonis verba attinet, dubium eſt an ea de Dei eſſentia, an vero de ejuſdem potentia (id enim clare non exprimit) intellexerit. Cum igitur utroque modo accipi poſſint, procul dubio tantum de Dei potentia accipi debent; cum idem Salomon, quem Adverſarius philoſophum appellat, verſu 30 *cœlum locum habitationis Dei* expreſſe appellaverit, imo *fixum domicilii locum Dei* verſ. 39, 43, 49. Adeo ut nullo modo ex iſtis Salomonis verbis ſequatur, Deum non moveri.

Addit pag. 169. *Sic etiam cœli pro Dei habitaculo & Solio ſumendi eſſent, quia Scriptura id expreſſe affirmat.* Sed quare non oſtendit Adverſarius, id falſum vel abſurdum eſſe? Sufficit ipſi, dicere aliquid eſſe falſum vel abſurdum. Si eo modo ſibi ipſi & ſui ſimilibus ſatiſfacere poteſt, per me ſane licet, mihi autem, nec ulli cordato homini ita ſatiſfacere poteſt.

Pergit ibidem. *Et ad hunc modum plurima, ſecundum opiniones Prophetarum & vulgi dicta, & quæ ſola ratio & philoſophia, non autem Scriptura, docet eſſe falſa.* Non igitur jam Scripturæ depravatores, ſed ipſam Scripturam plurimorum errorum ream facit, idque abſque ulla probatione, quo ſane blaſphemiæ notam effugere minime poteſt.

Deinde (R. Alpakhar) *falſo affirmat, unum locum alteri per conſequentiam tantum repugnare, non autem directe.* Nos vero nec per conſequentiam (legitimam videlicet) nec directe unum locum alteri repugnare concedimus. Sed videamus quo modo ſuam aſſertionem veram eſſe oſtendat Adverſarius. Ait enim: *Nam Moſes directe affirmat, Deum eſſe ignem* (*vide Deut.* 4. *verſ.* 24) *& directe negat Deum ullam habere ſimilitudinem cum rebus viſibilibus* (*vide Deut.* 4. 12.)- Utrumque falſum eſt: Moſes enim non directe, ſed improprie Deum ignem appellat. Quod Adverſarius concedere cogitur, dum affirmat Moſen eodem capite & orationis ſerie negare, *Deum ullam cum rebus viſibilibus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

habere ſimilitudinem. (Imo expreſſe pag. 87 fatetur, hæc ipſiſſima Moſis Verba, *Deum eſſe ignem* improprie eſſe accipienda, quod probe notari velim) Si enim Moſes hoc affirmat, nullo modo proprie loquendo Deum *ignem conſumentem* appellare potuit, niſi velimus Moſem inſanum fuiſſe. Si ejuſmodi repugnantias in tractatu Adverſarii enumerare vellem, non unam paginam replere cogerer. Deinde falſum eſt Moſem negare, *Deum nullam cum rebus viſibilibus habere ſimilitudinem*: nihil enim aliud in textu dicitur, quam Moſem *nullam vidiſſe ſimilitudinem.* Adeo ut nullum hic repugnantiæ veſtigium ſuperſit.

At vero *aliud* (multo evidentius opinor) *exemplum* (inquit pag. 170) *in medium proferamus. Nempe Samuel directe negat, Deum ſententiæ pœnitere (vide 1 Samuel cap. 15. verſ. 29) & Jeremias contra affirmat, Deum pœnitere boni & mali quod decreverat, vide Jer. cap. 18. verſ. 8, 10. quid? an ne hæc quidem ſibi invicem directe opponuntur?* Minime gentium. Tum enim demum *directe*, vel potius vere (nam vocem *proprie* non auſus eſt ſcribere) ſibi invicem repugnarent, ſi ſenſus verborum eſſet contrarius. Hic igitur primum inveſtigandus eſt, & tum demum (ipſo fatente Adverſario pag. 87 & alibi) de ſenſus veritate aut repugnantia videndum eſt. Quod igitur ad Samuelem attinet, nullo modo oſtendi poteſt, *eum directe negare, Deum ſententiæ pœnitere.* Ita enim verſu 28 dicit: *Jehova hodie regnum Iſraëlis tibi eripuit, idque proximo tuo, qui te melior eſt, dedit. Neque fallit is qui Iſraëlis eſt victoria, neque pœnitet eum,* videlicet quod regnum Davidi dederit, *non enim homo eſt, ut ipſum* [hoc] *pœniteret.* Homines enim frequenter pœnitentia ducuntur alicujus doni, idque propter lucrum vel commodum aliquod, quo ſeipſos privarunt, quod in Deo locum habere Samuel negat. Atque hunc exiſtimo genuinum eſſe iſtorum verborum ſenſum. Saltem demonſtrari nequit verba hoc modo accipi non poſſe; quod hic ſufficit, ad vim argumenti infringendam. Et ſic locus 1 Sam. 15. 29 optime cum Jer. 18. 8, 10 conſonat. Manifeſtum itaque eſt, iſta non directe, imo ne quidem per conſequentiam, ſibi invicem opponi, ſed optime inter ſe convenire. Adeoque concedimus, perinde eſſe, ſive loca quædam directe, ſive per legitimam conſequentiam aliis locis repugnent. Sed *talia in Bibliis* (abſit *plurima talia*) reperiri, aperte negamus.

Addit pag. 170. *De quibus vide cap. ſecundum (ubi oſtendimus Prophetas diverſas & contrarias habuiſſe opiniones.* Nos vero id falſum eſſe, contra Adverſarii objectiones evicimus. *Et præcipue omnes illas contradictiones, quas in hiſtoriis eſſe oſtendimus (nempe capitibus* IX & X.) Has etiam ad unam omnes diſcuſſimus, & nullam eſſe contradictionem oſtendimus. Atque hinc apparet, quam immerito Adverſarius, Theologiam a Philoſophia ſeparans, Philoſophiam tot encomiis celebret, & eam regnum veritatis, & quæ ſola de rerum veritate dijudicet, appellet; Theologiam vero & Sacram Scripturam tot convitiis proſcindat, eam videlicet ſolam obedientiam, abſque rationis determinatione exigere, imo *nihil præter inſomnia & figmenta continere*, pag. 170. lin. 5 & 6 a fine. Quocirca pag. 171 lin. 12 a fine, vult ut fundamentale dogma Theologiæ, *homines videlicet per ſolam obedientiam, idque abſque rerum intelligentia*, ibid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

lin. 9, à fine (quod dogma ipſum falſo, ne dicam calumnioſe, Scripturæ tribuere jam oſtendimus) *ſalvari*, *certitudine morali amplectamur*, id eſt, ſimulemus nos iſtu amplecti.

Quæ pag. 172 de certitudine Prophetarum diſſerit, ad ea ſatis in ſuperioribu reſpondimus. Nempe eam *in diſtincta & vivida imaginatione fuiſſe fundatam*, idque, u pag. 170 explicat, *abſque rationis adminiculo*, *ſine qua* [mens] *nihil videt præter inſomni & figmenta.* Nos contra affirmamus, eorum certitudinem, in externorum & inter norum ſenſuum teſtimonio, cum ratiocinatione conjuncto, fundatam fuiſſe: Quo adeo eſt manifeſtum, ut nulla probatione indigeat. (Confer inter alia plurima Exod 3. 3. Judic. 7. 9 ad 16. Luc. 1. 34, 35.) Illi enim ubique teſtantur, ſe ea quæ De nomine annunciabant, auribus & oculis percepiſſe, manibuſque contrectaſſe. In qu teſtimonio, abſque ulla hæſitatione, acquieſcere debemus. Fatente & urgente ipſ Adverſario pag. 172 lin. 11 à fine & ſeqq. qui hoc modo ratiocinatur. *Nam quo niam videmus Prophetas charitatem & juſtitiam ſupra omnia commendare, & N. B. nihi aliud intendere, hinc concludimus eos non dolo malo, ſed ex vero animo docuiſſe, homine obedientia & fide beatos fieri, & quia hoc inſuper ſignis confirmaverunt, hinc nobis perſua demus, eos non temere id dixiſſe, neque N. B. deliraviſſe dum prophetabant* &c, quibu adde pag. 173 lin. 3 & ſeqq. *Quare hoc totius Theologiæ & Scripturæ fundamentum quamvis Mathematica demonſtratione oſtendi nequeat, ſano tamen judicio amplectimur. Nam inſcitia eſt id, quod tot Prophetarum teſtimoniis eſt confirmatum &c, nolle tamen amplecti, idque ea ſolum de cauſa, quia Mathematice demonſtrari nequit.* Hæc quamvis alio ſenſu ab Adverſario dicta ſint quam præ ſe fert (vult enim pag. 171 nos morali certitudine iſta amplecti, id eſt ſimulare nos ea amplecti) tamen contra ipſum fortiter ſtringunt. Si enim Prophetæ pii fuerunt, ſequitur eos noluiſſe quidquam hominibus perſuadere, de cujus certitudine non eſſent penitus perſuaſi. Et ſi præterea, dum prophetabant *non delirarunt*, concludendum eſt, eos non erraſſe in illis rebus, quas ſe vidiſſe vel audiviſſe teſtantur.

Adverſarius adverſus iſta poſſet objicere, optime cum pietate conſiſtere, ut, ad homines in officio continendum, & ad reipublicæ in columitatem (quam ſummum bonum appellat pag. 178 lin. penult) eos fallamus, & talia eis perſuadeamus, quamvis falſa, quæ animos eorum in admirationem rapiant, & ad devotionem excitent: quandoquidem nullus, præter Naturam ſive Univerſum iſtud, Deus eſt. Hoc, quamvis veriſſimum ſit, ſi nullus Univerſi Creator eſſet, de Prophetis tamen minime ſuſpicari licet: quia non erant in iſta opinione, ſed firmiter credebant, Deum hujus Univerſi eſſe Creatorem, fatente Adverſario pag. 25. lin. 10, 11, eumque ſub æternæ condemnationis pœna interdixiſſe, ne quis falſo obtendat, ſe ejus nomine loqui.

Quod etiam Adverſarius agnoſcit pag. 172. lin. 13, cum dicit, *nam Deuteron. cap. 18 jubet populum obedire Prophetæ, qui nomine Dei verum ſignum dedit; ſed ſi falſo aliquid, etſi Dei nomine, prædixerit, mortis tamen eundem damnare.* Quamvis in eo

turpiter

turpiter hallucinetur, quod aſſerat Moſen docuiſſe *falſo aliquid* Dei nomine à Prophetis interdum fuiſſe prædictum. Quibus verbis videtur innuere, Moſen docuiſſe, Deum nonnunquam Prophetis mandaſſe, ut falſa prædicerent. Quod ſane non modo blaſphemum eſt, ſed & textui aperte repugnans. *Dicitur enim Deut.* 18. 20: *Propheta autem, qui ſuperbe egerit, loquens verbum in nomine meo* (id eſt, falſo jactans ſe Dei nomine loqui, prout ſequentia verba manifeſto oſtendunt) *quod ego non juſſi eum loqui, occidetur.* Atque ita nunc oſtendimus, nec revelationem ſive Sacram Scripturam ſanę rationi, nec ſanam rationem Sacræ Scripturæ, id eſt, rebus quæ in Bibliis reperiuntur, Adverſari, nec unam ab altera ſeparari debere. Quamvis multi philoſophi plurima doceant, quæ Scripturę apertiſſime repugnant. Iſta autem dogmata non vera philoſophia, ſed hominum pſeudoſophia, ignorantia, arrogantia & ſtupiditas excogitavit, quamvis rectę rationi, per revelationem illuminatæ, (quę ſola eſt recta ratio) quam maxime repugnantia. Superius etiam oſtendi, rerum naturalium cognitionem, non modo valde eſſe obſcuram, & penitus imperveſtigabilem, ſed etiam ad veram felicitatem per ſe minime pertinere. Atque ita id quod intendebam perfeci, videlicet ut ea quę ab Adverſario proferuntur, contra Sacræ Scripturæ & religionis certitudinem, ſolide refutarem. Reſtat, ut id quod promiſi adjiciam, reconciliationem videlicet reliquorum Sacræ Scripturæ, quę ſibi invicem repugnare videntnr, locorum.

LIBRI PRIMI FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ARCANORUM ATHEISMI REVELATORUM,

Et Paradoxe per Philoſophiam refutatorum.

LIBER SECUNDUS.

Quo Atheorum, contra Sacram Scripturam & Religionem argumenta ſecretiora explicantur, & ad rationis lumen examinantur & refelluntur.

Item

DEUM eſſe Demonſtratur:

Et

Tandem Methodus Sacram Scripturam interpretandi, breviter indicatur.

Per FRANCISCUM CUPERUM *Amſtelodamenſem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

CAPUT I.

Veteris Fœderis loca, quæ Athei & Sacræ Scripturæ hoſtes ſibi invicem repugnare contendunt, quotquot alicujus momenti reperiri potuerunt reconciliantur.

AD ea quæ Adverſarius de fundamentis Reipublicæ in ſequentibus diſſerit, quamvis multa falſa & impia contineant, nihil reſpondeo, quia ad meum ſcopum, qui erat Religionem & Scripturam Sacram ab objectionibus & calumniis, quibus Adverſarius utramque oneraverat, vindicare, nihil pertinent. Cum vero aliquoties dixerit, multa Scripturæ loca ſibi invicem repugnantia, nec non alia, quæ Philoſophia falſa & abſurda eſſe oſtendit, in Sacra Scriptura occurrere, præter illa quæ jam ab ipſo prolata, à nobis vero abunde refutata ſunt: placuit in rudiorum gratiam, ad omnia loca alicujus momenti, quæ alicubi reperire potuimus, quæ Adverſarii inter ſe pugnare aſſerunt, & ad ea quæ pro abſurdis habent, breviter reſpondere, ab initio ad finem uſque procedendo. Quod cum hactenus a multis tentatum, ſed à paucis feliciter præſtitum ſit, non inutile fore confido. Atque ita deinceps reliqua capita adjiciam, quæ in procœmio à me fuerunt recenſita.

1. Primus igitur locus eſt Gen. 1. 4, 5. Ubi Deus primo die lucem creaſſe dicitur, diemque ac noctem, at verſu 14, 15 die demum quarto Solem, Lunam reliquaque ſidera. Quæ cum lucis diurnæ ſint cauſa, falſum eſſe videtur, primo die lucem fuiſſe creatam.

Ut intelligamus an hæc inter ſe pugnent, conſiderandum eſt, libri Geneſeos ſcriptorem (quem non plane ſtupidum fuiſſe ex ipſo ſcripto facile perſpici poteſt) non adeo hebetem fuiſſe, ut tam cito oblitus fuerit quid ſcripſerit. Ac propterea facile potuiſſe animadvertere, hæc ſibi invicem repugnare, ſi res ita ſeſe haberet, quod abſque Solis lumine nulla lux exiſtere potuerit. Quocirca nullo modo credendum eſt, eum tam ſubito ſibi ipſi contradicturum fuiſſe. Videndum igitur eſt, annon ſenſus aliquis excogitari poſſit, qui cum mente ſcriptoris minime pugnet, & oſtendat nullam contrarietatem hic reſidere. Id quod in omnibus locis, ubi pugna aliqua eſſe videtur, probe eſt notandum. Cum igitur verſu quarto non dicat Solem vel Lunam, ſed tantum ſimpliciter lucem eſſe creatam, lux vero ab alio corpore quam ab aſtris procedere poſſit (quod in igne eſt manifeſtum) fieri poteſt, ut per lucem corpus aliquod lucidum verſu quarto intellexerit, v.g. ignem, vel aliam materiam, ex qua Deus poſtmodum die quarta in partes diſtributa, Solem cum reliquis luminaribus extruxerit, & ſic nulla pugna hic remanebit.

2. Gen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

2. Gen. 1. 26 Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſui creaſſe dicitur. At Eſa. 40. 17 ad 30 & alibi Deus dicit, ſe nemini aſſimilari poſſe.

Sed priori loco de ſimilitudine, qua homo ſive eſſentia, ſive forma aut figura, vel omnibus ſimul junctis, quæ humanam eſſentiam conſtituunt, Dei imaginem aliquo modo exprimit, ſermonem eſſe intelligi poteſt, poſteriori de æqualitate potentiæ, prout locum integrum inſpicienti eſt manifeſtum, nulla erit contrarietas.

3. Gen. 2. 17 Deus Adamo minatur, eum eodem die quo de arbore ſcientiæ boni & mali comeſturus eſſet moriturum. Cum tamen cap. 5. 5 legamus, ipſum nongentos & triginta annos vixiſſe.

Si vocula בְּיוֹם *bejom in die* accipiatur pro *ſi quando*, quę ſignificatio in Pentateucho multoties reperitur, tum comminatio iſta nihil aliud indicabit, quam Adamum ab eo tempore quo de fructu iſtius arboris comederet, morti certo certius eſſe mancipandum, eamque minime effugiturum, nec ſera pœnitentia pœnam iſtam evitare, ſed ad tempus forſan a ſe depellere poſſe, nulla hic erit contrarietas.

4. Gen. 3. 6 cum verſu 17, Eva Adamum, ad comedendum de fructu vetito, dicitur impuliſſe & ſeduxiſſe: cum tamen 1 Tim. 2. 14 legatur, Adamum non fuiſſe ſeductum.

Ad quod vix opus eſt reſpondere, Paulum nihil aliud indicare, quam Adamum non prius fuiſſe ſeductum, id quod verba inſpicienti eſt manifeſtum.

5. De loco Gen. 4. 7, cum Rom. 7 toto, vide Lib. 1. cap. 2. pag. 28, 29.

6. Gen. 5. 32 Japhet poſtremo loco inter filios Noachi collocatur, ex quo colligitur ipſum natu minimum fuiſſe: capite autem nono verſ. 24 Cham filius minor Noachi appellatur: & rurſus cap. 10. 21 Japhet filius magnus appellatur.

Quod vero ad primum locum attinet, non neceſſe eſt ut ſtatuamus, ibi ordinem nativitatis obſervari. Et quod Cham ſecundo loco minor appellatur, fieri poteſt, ut reſpectu Semi ita appelletur, vel etiam Japheti, & *minor* non pro minimo, ſed ſimpliciter pro eo qui uno aliquo ſit minor natu, & Japhet etiam reſpectu Chami magnus appellari poteſt, vel etiam natu maximus, qualis fortaſſe revera fuit: adeo ut Japhet primogenitus, poſt eum Sem, & poſtremus Chamus fuerit. Semi vero nomen cap. 10 poſtremo loco recenſeri videtur, quia Scriptori propoſitum erat, ejuſdem poſterorum ſeriem pertexere, ex quo Abraham, de quo ſequentia capita loquuntur, erat oriundus, non quod Sem natu fuerit minimus.

7. Eodem modo locus Gen. 10. 22 cum cap. XI. 10 conciliari poteſt.

8. Gen. 6. 3 Deus dicit, dies hominum fore 120 annos, cum tamen cap. XI recenſeantur, qui ad 400 & 500 fere annum vixerint.

Sed omnis difficultas erit ſublata, ſi locum Gen. 6. 3 non de vitæ termino, ſed temporis ſpatio, quod Deus hominibus ad pœnitentiam conceſſerit, accipiamus. Non enim dicitur, ſpatium vitæ humanæ centum viginti annis determinari, ſed tantum tot fore hominum dies, quod de tempore excidii commodiſſime accipi poteſt; præſertim cum videamus, diluvium poſt totidem annos irruiſſe.

9. Gen.

9. Gen. 12. 13, 19 legimus Abrahamum & Iſaacum fuiſſe mentitos, quod idem de aliis piis alibi affirmatur 1 Sam. 27. 10, 11 &c. 2 Chron. 18. 14, 15, 16: cum tamen toties mendacium in S. Scriptura prohiberi videamus.

Sed cum nullibi legamus, mendacia iſta in piis à Deo fuiſſe approbata, nulla hic eſt contrarietas. Præterquam quod in pleriſque nullum mendacium comperiatur, ſed tantum quod partem rei, prout ſeſe habebat ſilentio involverint. Ne dicam, ſimplex mendacium in lege non eſſe prohibitum, præſertim apud hoſtes.

10. Gen. 15. 7 Deus ſeipſum nomine *Jehova* Abrahamo manifeſtat. Contra Exod. 6. 2, 3 dicit, ſe Abrahamo nomine ſuo *Jehova* non fuiſſe cognitum.

Quæ loca facili negotio conciliantur, ſi Hebraica phraſi uſitatiſſima Exod. 6. 3 *nomen* pro ipſa re, nomine iſto ſignificata, accipiatur. Deus autem illud ibidem explicat, quod ſignificet ſe fidelem promiſſorum ſuorum eſſe executorem. Quocirca Deus hic declarat, ſe patribus quidem benedictiones, quas Judæis nunc impertitum ibat, promiſiſſe (quod ſe facturum nomine ſuo Jehovah, quo ſeipſum patribus ipſorum manifeſtaverat, ipſis neſcientibus indicaverat) eos vero effectum ſignificationis iſtius nominis nondum fuiſſe expertos.

11. Gen. 15. 7 Deus dicit, ſe Abrahamum eduxiſſe ex Ur Chaldæorum, quod non ultra, ſed cis flumen ſitum erat. At vero Joſ. 24. 2 Deus dicit ſe Abrahamum ex terra ultra flumen ſita eduxiſſe.

Quæ loca diverſis modis a *Manaſſe Ben Iſraël* pag. 54 & ſeqq. conciliantur. Simpliciſſima videtur mihi conciliatio, qua ſtatuitur Deum ex utroque loco Abrahamum vocaſſe. Videmus enim Gen. x1. 31 primo ex Ur Abrahamum emigraſſe cum Patre & familia, id quod Dei juſſu factum eſſe potuit, & procul dubio etiam factum fuit: at poſt mortem Tarachi Deus cap. 12. 1, 4 ex Haran eum diſcedere jubet, quam patriam Abrahami, non nativitatis, ſed habitationis reſpectu appellat, & ſic utrumque conſtat.

Adde quod Deus Joſ. 24. 2 ex terra ultra flumen ſita vocaſſe dicatur, reſpectu ſitus proprii. Tum enim Joſua ipſe qui hoc dicebat, cis fluvium Jordanem erat, & ſic meritò terram, quæ reſpectu Chaldeę cis flumen erat ſita, ultra flumen appellare potuit, reſpectu loci in quo ipſe tum verſabatur.

12. Gen. 15. 13 prædicitur, Iſraëlitas quadringentis annis ab alienigenis eſſe vexandos. Contra Exod. 12. 40, habitationem filiorum Iſraël in Ægypto fuiſſe quadringentorum & triginta annorum.

Quæ diſcrepantia facile conciliatur, ſi priori loco numerus rotundus pro obliquo vel incerto accipiatur, quod non modo Sacris, ſed & profanis ſcriptoribus frequens eſt. At vero longe major hic ſubjacet difficultas: quamvis enim concedi poſſit & debeat, afflictionem Abrahamidarum ab Iſaaci nativitate initium capere, minime tamen eorundem commorationis in Ægypto tempus, indidem incipi poteſt, quod non plures quam ducentos & decem annos conficit. Adeo ut manifeſtum ſit (quidquid Judæi hic delirantes, ad illud tempus efficiendum proferant, ne mendum aliquod in textu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

irrepſiſſe fateri cogantur) mendum librarii hic eſſe commiſſum, qui pro ducentis qu-
dringentos ſcripſerit. Sed reſtant adhuc triginta anni, quibus ultra ducentos in Ægy-
to commorati fuiſſe dicuntur. Ad totam igitur hanc difficultatem diſſolvendam, omnin
credibile eſt, antiqua exemplaria aliter quam ea quæ nunc habemus legiſſe. Qu
confirmatur lectione τ῀ ἑβδομήκοντα (nec non exemplario Samaritici, aſſerente *Iſaa*
Voßio de 70 Interp. pag. 111) item Pauli ad Gal. 3. 17) qui Exod. 12. 40 haben
commorationem Iſraëlitarum in Ægypto & *N. B.* in terra Canaan, fuiſſe 430 ann
rum. Et tum initium iſtius commorationis à revelationis iſtius tempore commode ſ
mi poteſt, quod numerum iſtum 430 annorum exacte conficit, prout R. Mana
pag. 58, & Voſſius loco citato oſtendunt. Atque hoc pacto hic mendum non opus e
concedere; ſed tantum Gen. 15. 13 numerus rotundus pro inæquali eſt accipiendu
adeo ut triginta annorum in numero 400 habita non fuerit ratio.

13. Gen. 15. 16 Deus promittit, poſteros Abrahami quarta generatione in terra
promiſſam reverſuros. Cum 1 Chron. 1. 27, 34. II. 1, 2, 5 ſex generationes ſive p
tres recenſeantur.

At hæc difficultas nullius eſt momenti, cum per generationes anni centenarii po
ſint intelligi, non vero tempus vitæ quatuor hominum. Quemadmodum poſt 40
annos eos redituros, verſu 13 expreſſe dicitur. Unde patet centenarios pro generation
accipiendos eſſe.

14. Gen. 18. 23, 25 Abrahamus alienum à Deo eſſe debere indicat, occidere juſtur
cum impio. Cum tamen Deus ipſe Ezech. 21. 3 minetur, ſe in Iſraële juſtum cun
impio occiſurum.

Miris modis ſe torquet *Manaſſe Ben Iſraël*, ut hunc nodum ſolvat, nec aliud effu
gium invenire potuit, quam hic ſubeſſe myſterium, nec ullam legitimam concilia
tionem profert. Nos igitur concedimus Abrahamum Patriarcham recte ſenſiſſe, ini
quum eſſe ut Deus juſtum cum impio perdat. Videlicet cum mors, ab irato Deo in-
flicta, finem eſſentiæ hominis adferret. Cum igitur Deus decrevit, ſe juſto imma-
tura morte exſtincto vitam reſtiturum, omnis abſurditas evaneſcit, quæ in occiſione
juſti cum impio reſidere videri poſſet. Adde quod comminatio apud Ezechielem, ipſam
Iſraëlitarum regionem ſpectet, ex qua Deus ſe juſtum cum impio exterminaturum di-
cit, quod reſpectu juſtorum, non opus eſt de morte intelligere; ſufficit ſi de exilio verba
accipiamus, in quo juſtis benefacere potuit Deus, quemadmodum Davidi, Nehe-
miæ, Ezdræ, Mardochæo, Danieli cum ſociis, Jeremiæ, aliiſque plurimis acci-
diſſe videmus. Certum enim eſt, exterminationem de exilio accipi poſſe, ad quam
etiam Deus apud Ezechielem reſpexit, indicans ſe ex terra iſta ejecturum omnes in-
colas, multos interimendo, alios in exilium Babylonicum ſeptuaginta annorum ex-
turbando, & ſic juſtus cum impio ex terra exſtirpatus erat. Nullam tamen iſtud in-
juſtitiæ notam Deo inurit, qui juſtis in ipſo exilio opibus, honore & deliciis abun-
dare, frequentiſſime conceſſit.

15. Gen. 32. 28, 29, 30 Jacobus Patriarcha dicit, *ſe Deum vidiſſe facie ad faciem*, idem
Jobus

Jobus cap. 42. 4. Eſaias cap. 6. 5, & Manoa Judic. 13. 22 de ſeſe affirmant. Cum tamen Joh. 1. 18. 1 Joh. 4. 12 legatur, neminem unquam vidiſſe Deum, quod idem Deus confirmat Exod. 33. 10.

At conciliatio facilis eſt, ſi ſtatuamus *Jacobum Jobum & Manoa*, in eo erraſſe, quod crediderint ſe Deum ipſum vidiſſe, cum nihil niſi Angelum, perſonam Dei ſuſtinentem, qui in Veteri Fœdere paſſim Deus appellatur, conſpexerint. Eſaias autem non refert ſe revera Deum vidiſſe, ſed tantum ſe in ecſtaſi dixiſſe, ſe Deum conſpexiſſe, non vero id revera eſſe factum. Adeo ut nulla contrarietas hic locum habeat. Ea enim ſi locum haberet, aliquis Propheta, vel alius vir pius, Dei nomine & mandato, vel ſaltem tanquam Propheta vel Dei Legatus, debuiſſet dixiſſe, ſe Deum ſummum vidiſſe. Quod cum nullibi fiat, non eſt quod eorum, qui ſe Deum altiſſimum vidiſſe crediderunt, errorem moremur. Conf. quę ad Exod. 24. 11 interius dicentur.

16. Gen. 32. 28. xxxv. 10 Deus dicit, nomen Jacobi non amplius fore *Jacobus*, ſed *Iſraëlem* vocatum iri: cum tamen poſtmodum, non modo ab hominibus, ſed & ab ipſo Deo, aliquoties Jacobus appellatus fuerit. Vide Exod. 3. 6. vi. 1.

Cum Deus dicit eum non Jacobum, ſed Iſraëlem vocatum iri, nihil aliud vult, quam eum ita vocandum eſſe, cum quis ipſum debito, & ipſi vere competenti nomine vocaturus eſſet. Quemadmodum ipſius poſteri poſtmodum, non Jacobitæ, ſed Iſraëlitæ ſemper ſunt appellati, quo ipſo non amplius Jacob vocatus eſt, ſed Iſraël. Eodem ſenſu Adamus Gen. 2. 23 de uxore ſua Eva pronunciat, eam viriſſam, vel viram ſive viraginem appellandam eſſe, quo tamen nomine eam nunquam indigitatam legimus. Sed nomen iſtud ei erat proprium.

17. De loco Gen. 33. 18, contra Act. 7. 16, inf. ad locum Act. 7. 16 cap. 2. egimus.

18. Exod. 4. 20 Moſes uxorem ſuam ſecum in Ægyptum abduxit. At vero cap. 18. 2 Jethro eam ad Moſen in deſertum ducit.

Cum autem fieri potuerit, ut Moſis uxor, vel in ipſo itinere, vel poſtquam in Ægyptum veniſſet, ad patrem ſuum redierit, nulla hic remanet difficultas. Non enim eſt abſurdum, ut Moſe conſcio & conſentiente, cum tot negotiis & moleſtiis in Ægypto obrueretur, uxor ipſius ad tempus in patriam redierit, & poſtea à patre ad Moſen fuerit reducta in deſerto, quod cap. 18. verſu 2 expreſſe additur.

19. Exod. 4. 21 Deus dicitur Pharaonem induraſſe, quod & multis aliis in locis affirmatur. Cum tamen cap. 8. 15, 32 Pharao ſeipſum induraſſe legatur.

Hæc nullo modo ſunt contraria: quia utrumque fieri potuit, & revera factum eſt. Et ſi ad utramque indurationem attendamus, videbimus utramque eandem fuiſſe: induratio enim, qua Deus Pharaonem induravit, nihil aliud fuit, quam quod permiſerit, ut Magi ipſius in tribus prioribus miraculis, ſimilia patrare viſi fuerint cum Moſe, & cæteras plagas, una cum tertia, tam cito ab eo abſtulerit, nec eas tamdiu ei incumbere permiſerit, donec populum dimiſiſſet, qua relaxatione Pharao identidem ſententiam, de dimittendo Iſraële, mutavit. Atque iſto modo Deus eum, & Pharao ſeipſum induravit. Vide Exod. 8. 15, 32. ix. 34, 35, quibus verbis indura-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

tionis ratio exacte deſcribitur, eo quo diximus modo. Et ſic nulla contrarietas remanet.

20. Exod. 6. 19 Amram, pater Moſis, Jochabatam amitam ſuam in uxorem duxit, quod tamen Levit. 18. 12, 16 expreſſe interdictum eſt.

Hæc ab aliis ita conciliantur, quod vox *dodah* non tantum *amitam*, ſed etiam ejuſdem filias ſignificat, eamque a 70 interpretibus hoc ſenſu eſſe expreſſam, ex verſu 17 & 18 confirmari, ubi vox iſta hoc ſenſu uſurpata reperitur. Quæ conciliatio quamvis omnibus ſatiſfacere poſſit, ei tamen addi poteſt, Iſraëlitas non fuiſſe obligatos ex legis Moſaicæ præſcripto vivere, antequam ea lata eſſet. Cum vero Moſis pater uxorem duceret, exque ea prolem ſuſciperet, nondum Deus iſtas leges præſcripſerat.

21. Exod. 17. 17 Moſes dicit, ſe baculo ſuo percuſſurum aquas; ſed cap. 8. 5 Aaroni præcipitur ut id faciat.

Hæc inter ſe facile conciliantur, ſi conſideremus, Aaronem in hoc negotio Moſis fuiſſe miniſtrum, ejuſque baculo aquas percuſſiſſe, prout Exod. 4. 15. VII. 19 & alibi patet.

22. Exod. 7. 19, 20 Moſes omnis fluminis aquas in ſanguinem convertit, & verſu 22 Magi itidem fecerunt. Quomodo autem Magi aquas in ſanguinem convertere potuerunt, cum antea omnes aquæ in ſanguinem commutatæ fuerint?

Reſpondeo, expreſſe dici aquas fluminis ſtagnorum, omneſque tam in vaſis quam alibi collectas, in ſanguinem fuiſſe converſas: Ægyptios autem circa fluvium fodiſſe verſ. 24, ut aquas quibus uti poſſent invenirent, quarum partem Magi in ſanguinem convertere potuerunt. Præterquam quod ex terra Goſen, ubi Iſraëlitæ habitabant, aquam petere potuerint, quam in ſanguinem converterent.

23. Exod. 9. 6 dicitur, omne pecus eſſe mortuum in Ægypto, at verſu 9 & 19 pecudibus novæ plagæ immittuntur.

Quæ difficultas tollitur, modo per vocem *omnis*, non omnia individua, ſed ex omni genere multa intelligantur, quod frequentiſſimum eſſe, non Sacris tantum, ſed omnibus aliis ſcriptoribus, nemo ignorat. Nec etiam de omni promiſcue pecudis genere verba ſunt accipienda, ſed de illo tantum, qui in agro eſſet futurus, quod verba comminationis verſu 20 expreſſe indicant. Credibile autem eſt, plurimos ex Ægyptiis, præcedentibus plagis edoctos, pecora ſua in domibus recondidiſſe. Quod ex eo confirmatur, quod cum Iſraëlitæ ex Ægypto diſcederent, plurimi ex Ægyptiis aliiſque ſe illis adjunxerint, & cum ipſis ad terram promiſſam profecti ſint, cap. 12. 38. Confer cap. 9. 20.

24. Exod. 10. 14 dicitur de locuſtis, Ægyptiorum terræ vaſtatricibus, quod eis ſimiles nunquam antea extiterint, nec poſt extituræ eſſent. Tamen Joël. 1. 2, 4 dicitur, nunquam antea ſimiles proſiliiſſe locuſtas, quales ipſius tempore Judęam per quadriennium vexabant.

Cujus nodi ſolutio inde pendet, quod prior locus de Ægypto, alter de Judęa accipi

cipi debeat. Priori enim loco expreſſe agitur de locuſtis Ægyptum, altero Judæam exhaurientibus, quibus in quaque regione ſimiles nunquam antea, nec in Ægypto poſt extiterunt. Prẹterquam quod nunquam tot locuſtarum genera, tam longo tempore plantas corrodentia, ante tempora Joëlis extiterint eodem tempore, qui tamen diſſimiles Ægyptiis fuerint in eo, quod hi ſeptem diebus, iſti vero quatuor annis indiguerint, ad omnem plantam depaſcendum. Ut ſic & viribus, & mole, & duratione diſſimiles fuerint. Quibus addi poteſt, Joëlis verba metaphorice accipienda eſſe, de hoſtilibus incurſionibus, ſub metaphora inſectarum indicatis, quod ex collatione verſus ſexti manifeſtum eſt, ubi id quod de locuſtis dixerat, explicans ait; *quia populus ſuper terram meam adſcendit, potens & abſque numero, dentes ejus leoninæ ſunt dentes,* &c: Et ſic nulla vel minima repugnantiæ ſpecies remanebit.

25. Exod. 11. 8 & alibi, dicitur Moſes cum excandeſcentia à Pharaone diſceſſiſſe: cum tamen Num. 12. 3 Moſes mitiſſimus ſupra omnes homines appelletur.

Quod nihil eſt: mitiſſimus enim omnium tum temporis hominum aliquando iraſci & excandeſcere potuit.

26. Exod. 12. 2 Menſis Niſan, id eſt Martius, a Deo jubetur ut pro primo menſium habeatur. Sed cap. 23. 16 feſtum Tabernaculorum in fine anni celebrari præcipitur. Cum vero iſtud feſtum in menſem Tirſi ſive Septembrem incidit, ſequitur menſem iſtum primum ibidem appellari. Et ſic priori loco Menſis *Niſan*, poſteriori *Tirſi* primus menſis appellatur.

Quæ loca ſic à *Manaſſe Ben Iſraël* recte conciliantur. Cum Deus priori loco jubeat, ut a menſe Niſan anni initium computent, exinde colligitur Iſraëlitas antea non ab illo, ſed ab alio menſe, initium anni numerare conſueviſſe, videlicet (quod ex poſteriori loco colligitur) à menſe Septembri, adeo ut ab exitu ex Ægypto, in rebus ſacris à menſe *Niſan* anni initium auſpicati fuerint, in civilibus vero à *Tirſi*, quo menſe Mundum eſſe creatum, non abſque veri ſpecie oſtendit dictus Manaſſe. Ratio autem, cur Deus duplex hoc anni initium inſtituerit, hæc à *Dominico Magrio* indicatur, quia ſeptimo quoque anno agros non conſerere, nec fructus ex illis haurire ulli licebat. Jam ſi annus tantum à menſe Martio inchoaretur, duorum annorum fructibus carere coacti fuiſſent: quia ſemel relinquenda fuiſſent in agro, quæ menſe Septembri præcedente terræ mandaſſent ſemina, & cum menſe Septembri anni Sabbatici ſerere non licebat, frumenta non habuiſſent, quæ ex agris potuiſſent colligere menſe Auguſto ſubſequente. Idem etiam hodierno tempore Romæ accidit, ut duplex anni initium numeretur, unum à Calendis Januarii, alterum à menſe Martio, ab incarnatione videlicet Chriſti, ut vocant.

27. Exod. 18. 2 *Gerſon* appellatur filius *Moſis*; ſed Judic. 18. 30 *Gerſon* filius *Manaſſe* nuncupatur, at 1 Chron. 26. 24 *Gerſon* dicitur filius Moſis.

Loca iſta R. Manaſſe valde futiliter reconciliare ſtudet. Sed avunculus meus D. *Brenius*, in ſuis ad *conciliatorem Manaſſis* notis Manuſcriptis (quibus una cum aliis ejuſdem M. S. multorum Veteris Fœderis locorum conciliationem complectentibus,

perpetuò hic utimur, & non pauca hic ex iiſdem inſerimus) hanc reconciliatione tradidit, videlicet Gerſonem iſtum Judic. 18 procul dubio diverſum fuiſſe ab eo qu Exod. 18 memoratur, quemadmodum & is de quo 1 Chron. 26 agitur, diverſum duobus prioribus fuiſſe eſt veriſimile, nec non Moſes iſtius pater, non Moſes Archipropheta, ſed alius quidam Moſes, ſeculis aliquot priori Moſe recentior. Quan conciliationem temporis ratio planè admittit, imo poſtulat.

28. Exod. 19. 20 dicitur, Deum de monte Sinai locutum eſſe ad Judæos. Ibid cap. 20. 22 ipſum de cælo eos fuiſſe allocutum.

Miſſa inepta Judæi ſolutione, nulla remanebit difficultas, ſi poſteriore loco pe cœlum aëra intelligamus, quemadmodum *Man* ex eodem cœlo pluiſſe dicitur, quo David Pſal. 78. 23, 24 de nubibus & aëre explicat. Cælum autem appellatur ſublimior montis Sinai locus Exod. 19. 20, in quem Jehova deſcendiſſe dicitur, ibique in aëre locutus eſſe. Quod etiam Deut. 4. 30 apertius indicatur: ita enim ibi legimus. *E cælo vocem ſuam audire fecit, & in terra magnum ſuum ignem vos videre fecit, & verba ipſius de medio ignis audiviſtis.* Per *cælum* autem aëra intelligere Hebręis, & libri Geneſeos ſcriptori eſt familiariſſimum.

29. Exod. 19. 21 Jubet Deus, ut Sacerdotes ſe mundent, nec in montem Sinai adſcendant, cum tamen tum temporis nondum fuerint Sacerdotes, quos demum cap. 29 Deus creari mandavit.

Reſpondeo, ex eo quod demum cap. 29 Sacerdotes conſtituuntur, minime concludi poteſt antea non fuiſſe Sacerdotes: quia cap. 29 nihil aliud habetur, quam quod Aaron cum ejus familia ad Sacerdotium fuerint allecti, non vero quod nulli antea fuerint, qui Sacerdotii munus obibant, quamvis in iſto munere nondum confirmati. Prætera vox *Kohanim* non *Sacerdotes* tantum, ſed etiam *Principes* denotat, quo ſenſu etiam uſurpatur 2 Sam. 8. 18, *filii Davidis erant Kohanim principes.* Confer 1 Chron. 8. 18. Eodem ſenſu *Ira Jairita Davidis Kohen*; id eſt primarius Miniſter appellatur 2 Sam. 20. 26: is enim poſt Sacerdotes, verſu 25 nominatos, recenſetur. Sic Exod. 19 per *Kohanim* primores populi intelligi poſſunt. Et ſic nulla repugnantiæ nebula comparet.

30 & 31. Exod. 20. 4 Deus prohibet, ne quis imagines faciat, cum tamen cap. 25. 18 præceperit duos Cherubinos facere.

At facilis eſt ſolutio, modo attendamus, priori loco prohiberi effictionem imaginum, eo fine ut iis divinus exhibeatur honos, prout verſu quinto additur: id quod in Cherubinis, qui a nemine unquam, niſi a Summo Sacerdote, idque ſemel tantum in anno, conſpiciebantur, locum habere non poterat. Præterquam quod Deus, prohibendo ne quis imagines ad religioſum cultum faciat, ſibi ipſi Leges non dederit; ſed tantum aliis, ne id abſque expreſſo ſuo mandato faciant, interdixit. Eadem eſt conciliatio loci Num. 21. 8, cum Deut. 4. 18.

32. Exod. 20. 5 Deus dicit, ſe peccata parentum in filios vindicare. Cum tamen Ezech. 18. 19 interdicat, ne filii ob parentum peccata puniantur.

Prior

Prior locus expreſſe dicit, Deum peccata parentum puniturum, in impiis liberis. Quamvis vero prohibuerit, ne homines ſimiliter faciant (modo ejuſdem delicti, ob quod parentes juxta Legem puniebantur, non eſſent conſortes) non tamen ſibi ipſi id prohibuit: nemo enim præter ipſum judex peccatorum in ſe ſolum commiſſorum eſt conſtitutus. Ac idcirco quod homines facere non vult, ipſi efficere eſt licitum & æquum, ſi filii parentibus impiis (quamvis ejuſdem criminis, ob quod eos Deus punit, non ſint rei) non ſint meliores. Adde quod pœna liberorum in parentum pœnam redundat.

33. Exod. 20. 6 Deus dicit, ſe in milleſimam exercere benignitatem, in eos qui ipſum diligunt, & tamen Malach. 1. 3 dicit ſe Eſau, quamvis Abrahami filium, odiſſe.

Sed facilis eſt ſolutio, quoniam apud Malachiam, non de Eſauo ipſo, jam ante ſæcula aliquot defuncto, ſed de ipſius impia poſteritate ſermo eſt, quod ex verſu 4 manifeſtum eſt, ubi dicitur, *& vocabuntur termini impietatis, & populus cui Jehova ſuccenſet in æternm.*

34. Exod. 20. 8 Deus expreſſe jubet diem Sabbati celebrari. Eſaiæ autem cap. 1. 13 contra affirmat, Sabbati celebrationem abominationi ſibi eſſe.

Poſteriori loco, ut & aliis non paucis, Deus non ſimpliciter dicit, ſe Sabbati celebrationem abominari, ſed ipſorum Sabbatha & Sacrificia, una cum reliquis feſtis. Cujus rei cauſa eſt, quod non tantum idolis ſervirent, ſed etiam Sabbathum non ex Dei reverentia in ipſius honorem, ſed tantum ut genio indulgerent, celebrarent, quod expreſſe indicatur Eſa. 58. 13. Eodem modo conciliantur præcepta de oblationibus cum eorundem Dei abominatione Eſai. 1. 11: quandoquidem ex ipſis locis manifeſtum eſt, Deum impiorum oblationes abominari. Quibus adde, quod nonnulli ex Rabbinis (teſte R. *Manaſſe*, in conciliatore pag. 181 & ſeq.) fateantur, Deum ab initio egreſſionis ex Ægypto, non habuiſſe in animo, Sacrificia præſcribere, idque ex Jer. 7. 22 colligunt; ſed id tantum feciſſe, quia videbat Iſraëlitas, Ægyptiorum Sacris aſſuetos, alias ad Idololatriam prolapſuros.

35. Exod. 24. 11 dicitur, 70 Seniores vidiſſe Deum, quod & Eſaias de ſe affirmat cap. 6. 1. Contra Deus Exod. 33. 20 dicit, neminem videre poſſe faciem ſuam.

Hæc loca Judæi conciliare nequeunt, & aperte fatentur ſibi invicem eſſe contraria. Quo ſuam oſcitantiam produnt & cæcitatem, quam ipſis Dominus Jeſus toties objecit. Dicimus igitur hæc loca minime pugnare: non enim dicit Deus, neminem ſe videre poſſe, ſed tantum, neminem poſſe faciem ejus, id eſt integram gloriam (quam Moſes Exod. 33. 18 petierat ut ſibi videre liceat) videre. Si enim fulgorem Solis oculi noſtri tolerare nequeunt, quanto minus fulgorem illius qui Solem creavit. Nihilominus, quandoquidem partem fulgoris ſolaris, cum oculi tenui velo, vel vitro rubicundo ſunt muniti, videre poſſumus, ita etiam Deus ſe videndum exhibere poteſt, quamvis non in ſumma, ſed tali gloria, quam hominum oculi ferre poſſunt. Atque hoc poſteriori modo 70 Seniores & Eſaias Deum videre potuerunt. Quod etiam, non obſcure.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ſcure indicatur Exod. 24. 2. Ubi Iſraëlitæ jubentur procul ſe incurvare, adeo ut D aliquam majeſtatem è longinquo viderint. Eodem quoque modo Eſaias Deum vide potuit. At *faciem*, id eſt plenam Dei majeſtatem, nemo videre poteſt. Atque iſ ſenſu Num. 12. 8 Deus dicit, Moſem ſimilitudinem Dei adſpicere, non vero ipſa Divinam Majeſtatem & gloriam, quæ faciei nomine indicatur. His adde quæ ſup rius ad Gen. 32. 28 diximus.

36. Exod. 27. 1 Deus præcipit, ut altare ex ligno, ære obducto conficiant, cu tamen Exod. 20. 24 illud ex terra confici juſſiſſet.

Flavius Joſephus, Ant. lib. 3. cap. 7, qui Altare in Templo collocatum vidit, t ſtatur illud ex lapidibus quibuſdam fuiſſe conſtructum; ſed lapides primum ligno deinde ære erant obducti. Ex quo apparet ſenſum loci Exod. 20 eſſe, quod altar omnia, vel ex lapidibus coctis, vel ex certa quadam argilla, valde indureſcent confici deberent. Quia vero altare ex argilla vel lapidibus in deſerto circumferri no poterat, propterea illud prius ligno, deinde ære muniri præcipit.

37. Exod. 27. 1 præcipitur, ut altare quinque ulnas in latitudine & longitudine tres autem in altitudine habeat. Quibus Exod. 20. 26 additur, ne Sacerdotes gra dibus ad illud adſcendant. Cum tamen Salomon, 2 Chron. 4. 1 altare extruxerit vi ginti ulnarum in longitudine, & totidem in latitudine, & decem ulnas altum, a quod abſque gradibus adſcendi non poterat.

Reſpondeo. Priori loco non præciſe præſcribitur magnitudo altarium, quam tranſ gredi nunquam liceret, ſed tantum altaris portatilis, cujus uſus in deſerto foret. No enim additur, nunquam majus altare licitum eſſe conficere. Et quod ad gradus atti net, quibus ad altare adſcendere erat illicitum, id de talibus tantum gradibus eſt ac cipiendum, quos Sacerdos adſcendens, pudenda ipſius nudarentur, quod ratio ſta tim ſubjecta, aperte evincit. Quocirca in Templo Salomonis (prout Joſephus dicto loco teſtatur) terra paulatim adſcendens, aditum ad altare exhibebat. Atque de ta libus gradibus locus Ezech. 43. 17 intelligi poteſt, in quo ratio interdicti ceſſat. Imo ipſa Exod. 20. 26 verba expreſſe indicant, licere altare altius, quam tribus ulnis ex-ſtruere: alias enim interdictum de gradibus plane eſſet inutile. Quocirca neceſſario ſequitur, tales quales deſcripſimus gradus ſolum prohiberi. Et propterea de adſcenſu & deſcenſu ad altare legimus Levit. 2. 12. IX. 2 & alibi.

38. Exod. 34. 7 cum Jer. 32. 18. Ezech. 18. 23. Joël 2. 13 de Dei pœnitentia, legantur dicta pag. 27 cap. 2. lib. 1.

39. Levit. 1 &c expreſſe oblationes & holocauſta Iſraëlitis injunguntur. At contra Jer. 7. 22 Deus dicit, ſe, cum Iſraëlitas ex Ægypto educeret, nihil de oblationibus & holocauſtis dixiſſe, nec præcepiſſe.

Ex iis quæ in locum Exod. 20. 7, & in Levit. 18. 5 diximus, hæc aliquo modo conciliari poſſunt. Quibus addimus, apud Jeremiam nihil aliud dici, quam Deum, initio cum Judæos ex Ægypto vocaret, nihil de oblationibus præcepiſſe, nec etiam præcipere in animo habuiſſe. Poſtea vero mutavit ſententiam, cum videret eorum

animos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

animos, abſque cæremoniis ab idololatria minime avelli poſſe. Quocirca non tantum ritus, aliarum Gentium ritibus contrarias, ſed etiam quæ res cæleſtes, ſpirituales & futuras adumbrabant, Iſraëlitis præſcripſit.

40. Levit. xi. 13 Viginti avium generibus veſci prohibentur Iſraëlitæ, at Deut. 14. 21 viginti & uno. In Levitico enim verſ. 14 duæ aves, videlicet *Daja & Aja*, ſed in Deut. verſ. 13 tres, Raja, Daja & Aja appellantur, quas interpretes appellant *ixium* ſive *ixion*, *cornicem & vulturem*, alii *vulturem & milvum.*

Cum vero addatur, *& vulturem* vel *milvum ſecundum ſpeciem ſuam*, fieri poteſt ut una vel altera ejuſdem ſint ſpeciei aves: vel ut ex variatione lectionis in voce ריה & דיך ex ſimilitudine literarum ר & ד reſch & daleth orta, utraque vox in textum tandem irrepſerit, & ſic in Deut. vel *raja*, vel *daja* abundet.

41. Levit. 19. 18 vindictæ cupiditas prohibetur contra Iſraelitas, cum tamen Jeremias cap. xi. 20, 21 non tantum vindictæ cupidus fuerit in concives ſuos, civitatis Anatoth, ſed etiam vindictam in eos a Deo petiit & obtinuit, quod etiam David fecit 1 Sam. 25. 39. Pſal. 69. 23, 24, 25, 26, 28, 29 & alibi. Ne de odio in alios quidquam commemorem Pſal. 139. 19, 20, 21, 22 & plurimis aliis in locis.

Conciliatio iſtorum locorum ex eo non eſt petenda, ut dicamus Davidem & Jeremiam contra Dei præceptum peccaſſe: quia ſi hoc verum eſſet, non tantum a Deo non debuerint exaudiri, ſed etiam reprehendi. Conſiderandum itaque, eos qui in Deum & pios ita peccarent, ut ex Dei mandato capite mulctandi eſſent, vel juxta ejuſdem pronunciata, pro maledictis reputari deberent, non amplius pro proximis vel Iſraelitis habendos eſſe. Quocirca præceptum de vindictæ remiſſione Levit. 19 hujuſmodi peccatores non concernit, multo minus alias nationes, Iſraelitarum populo inimicas.

42. Levit. xi. 15 Deus corvum inter immundas aves ablegat: immundis autem Iſraelitæ non modo non veſci, ſed ne attingere quidem ea erat licitum. Et tamen Deus Eliæ a corvis cibum afferri curavit 1 Reg. 17. 6.

Animalia immunda viva attingere, in Lege nullibi eſt prohibitum. Et quamvis eſſet, Deus tamen ſibi ipſi leges non fixit; ſed eas, pro ſuo arbitratu, mutare vel inhibere poteſt. Atque ideo non eſt abſurdum, ut Deus Eliæ permittat, cibum à corvis aſportatum accipere.

43. Levit. 16. 29 & alibi, jejunium die reconciliationis, decimo menſis ſeptimi indicitur, at cap. 23. 32 die nono veſperi idem præcipitur.

In quo nulla eſt difficultas, ſi attendamus Hebræos diem à veſpera diem præcedente inchoare, ſic enim veſpera noni diei, initium eſt decimi.

44. Levit. 18. 5 Deus dicit, eum qui inſtituta ſua (in deſerto data) ſervaret, per ea victurum. Contra Ezech. 20. 25 dicit Deus, ſe Iſraelitis dediſſe *ſtatuta non bona* (in eodem deſerto & eodem tempore) *& jura*, *per quæ non viverent.*

In Ezechiele Deus cap. 20 ter dicit, ſe Iſraelitis ſtatuta dediſſe, per quæ, ſi illa obſervarent, viverent, videlicet verſu 11, 13, 21, cui poſtea verſu 25 opponit ſtatuta quibus

ta quibus non viverent, & quæ non eſſent bona. Ex quo ſatis apertum eſt, eum ve ſu 25 de aliis ſtatutis & juribus loqui, quam ea de quibus verſu 11, 13 & 21 locut fuerat. Itaque nullo modo contraria ſunt iſta loca, cum non de iiſdem, ſed de dive ſis ſtatutis in poſteriori, quam in prioribus locis ſermo ſit. Atque hoc ſufficit ad to lendam omnem repugnantiam. Nec opus eſt ut oſtendamus, quid per priora, qu per poſteriora iſta ſtatuta intelligatur. Ut vero omnibus quantum fieri poteſt ſatiſf ciamus, per ſtatuta quibus viverent, intelligere poſſumus decalogum, & reliq ſtatuta, quæ a cap. 20 Exodi uſque ad 24 recenſentur, quibus officium hominis e ga Deum & proximum docetur: per ſtatuta non bona, ceremonias, quas Deus po idololatriam cum vitulo, & alia enormia ſcelera, Iſraelitis libro Levitici præſcripſi quas (fatentibus Judæis) Deus non videtur fuiſſe præſcripturus, ſi ab idololatria, c jam penitus adſueverant, animus eorum abſque illis avocari potuiſſet. Quæ ceremo niæ, cum ſub exſtripationis pœna eſſent injunctę, hominibus adeo pervicacibus impiis, neceſſario exitium inferebant, cum piis & Deum timentibus ſalutaria e poſſent.

45. Levit. 18. 9 prohibetur, ne quis ſororem ſuam in uxorem ducat, cum tame Abrahamus Gen. 20. 12 id feciſſe legatur.

Reſpondeo, Legem Moſis neminem obligaſſe antequam eſſet lata. Quocirc non peccavit Abrahamus, ſororem in uxorem aſſumens. Sed major eſt difficultas quod verſu 24 dicit Deus, ſe ob omnia flagitia, quæ a verſu 6 ad 24 recenſentur Chananæos extirpaſſe (quorum unum eſt, ſororem matrimonio ſibi copulare) & Chananæos omnibus iſtis flagitiis conſpurcatos fuiſſe. Quem nodum ut ſolvamus con ſiderandum, Legem de non ducenda ſorore, tum tantum vigere poſſe, cum alia mulieres ſuppetunt. Quapropter primi parentes, non alias quam germanas ſorores in uxores aſſumere potuerunt, quod creſcente mulierum numero, illicitum & inde corum eſſe, Deus hic inculcat, & procul dubio hominibus indicavit, qui id perpe tua traditione cæteros docuerunt. Quod verum eſſe ad minimum poteſt. Et hæc cau ſa eſſe potuit, quod Deus etiam ob iſtiuſmodi matrimonia Chananęos exſtirpaverit quibus quatuor ſecula ad reſipiſcendum antea indulſerat. Chananęos autem a Deo etiam leges accepiſſe, ex Gen. 14. 18 & ſeqq. xx. 3 & ſeqq. coll. cum cap. 15, 16 & Num. 20. 21 &c colligi poteſt. Ac proinde fieri poteſt, ut ipſis leges matrimo-moniales præſcripſerit. Cum autem Abrahamus & Sara, primi Populi Dei parentes, & ſoli ad veri Dei cognitionem perducti, & ab idololatria immunes fuerint (vide Gen. 12. 1 collat. cum cap. 29. 30, 31) neceſſario generis propagandi gratia, matri-monio jungi debuerunt, quod poſtquam progenies eorum multiplicata eſſet, juſſu Dei ceſſavit.

46. Levit. 27. 26 Deus interdicit, ne quis primogenitum ex beſtiis Domino ſan-ctificet. Contra Deut. 15. 19 omne primogenitum ex beſtiis, quod maſculum foret, Domino ſanctificari pręcipitur.

Loca iſta, quamvis ſibi invicem e diametro adverſari videantur, in eundem tamen ſenſum

ſenſum optime conſpirant. Quia totum Levit. 27 caput de votis, quæ Deo ſponte nuncupantur, agit, quod ex ſecundo verſu manifeſtum evadit. Cum autem primogenita beſtiarum Deo dicari ſemper deberent, ejuſque eſſent propria, merito interdicitur, ne quis ea voti nomine Deo conſecret: nam ſic nihil Deo dicaret, quia jam antea Dei erant propria. Quæ Deo erant dicata, Sacerdotum erant peculium. Qui ergo voti nomine primogenitum Sacerdoti offeret, is injuria illum afficiebat, voti nomine offerens, quod jure primogenituræ ad ipſum pertinebat.

47. Num. 1. 2, 3 Deus jubet Moſen, ut populi numerum ſuſcipiat. Cum David idem faciens 2 Sam. 24. 1. 1 Chron. 21. 1 Dei immenſam indignationem, quæ non niſi 70000 cæde expiari potuit, incitaverit.

Priori loco Deus numerum virorum qui vigeſimum annum expleverant, recenſeri jubet. Jam omnino ſtatuendum eſt, Davidem & Joabum hujus præcepti minime ignaros fuiſſe. Cum igitur Joabus & ipſe David agnoverint, numerationem quam inſtituerent Deo diſplicere, omnino ſtatuendum eſt, alterius generis numerationem fuiſſe hanc poſteriorem, quam ea quam Deus præceperat Moſi. Quapropter exiſtimo Davidem numerum omnium hominum, qui in toto regno habitarent, inveſtigare voluiſſe: quo ipſo Deum quaſi mendacii arguere voluiſſe videri potuit, qui Abrahamo innumerabilem poſteritatem promiſiſſet. Eamque ob cauſam Joabus Regis edicto morem non gerens, numerum eorum qui boni militia eſſent, tantum attuliſſe fertur 2 Sam. 24. 3. 1 Chron. 21. 5. Quibus omnibus, cum nihil in textu contrarium reperiatur, ſed aperte potius voce *populi*, quem David numerari juſſit, indicetur: omnino concedendum eſt, juſtam hanc eſſe conciliationem. Quod vero ad eos attinet, qui occaſione iſtius delicti peſte interierunt, numero 70000, ejuſdem vel etiam aliorum criminum rei impœnitentes fuiſſe poſſunt, cum David, pœnitentia ductus, precibus pœnam exoraverit. Atque hoc pacto omnis, non modo contrarietas, ſed etiam injuſtitia, commodiſſime tollitur.

48. Num. 4. 15 interdicitur Kahatithis, ne nullam rem ſacram, ſub mortis pœna attingant. At Deut. 31. 25 Moſes Levitis præcepit, ut Librum Legis in Sanctuarium deferant, quod abſque contactu facere non potuerunt.

Sed ſolutio facilis eſt, quia priori loco tantum interdicitur, ne dum Sacrarium & reliqua Tabernaculi inſtrumenta, humeris portarent, vectibus ad illa aptatis, ullam rem ſacram tangant, manibus videlicet, ne curioſitate ſeducantur, ad ea accurate ſcrutanda, ne forte quid in terram decidens polluatur. Quod non obſtat, quo minus id juſſi facere potuerint. Præterquam quod liber Legis, arcula incluſus eſſe potuerit, ne a Levitis tangeretur.

49. Num. xi. 19 Deus promiſit Iſraëlitis, eos per integrum menſem veſcituros carnibus: cum tamen verſu 33 dicatur, carne nondum dentibus comminuta, Deum in ipſos plagam mortis immiſiſſe.

Quod conciliatur, ſi dicamus exacto menſe, & carnibus eo die nondum penitus manſis, plagam incepiſſe: potuerunt enim carnes adhuc ore contineri in fine menſis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

& plaga cœpiſſe graſſari dum epularentur. Cujus contrarium nihil in textu reperitur Confer Pſal. 78. 29, 30, 31.

50. Num. 14. 20 Deus dicit, ſe condonaſſe Iſraëlitis peccatum, quod in Ægyptum reverti vellent, & tamen verſu 21, 22 jurat, eos in terram Canaan non ingreſſuros, quod condonationi eſt contrarium.

Reſpondeo, Deum prius omnes ſtatim & ſimul voluiſſe interficere, id vero Moſes ne faceret rogaverat, quod ex verſu 15 eſt manifeſtum, ubi Moſes dicit, *& tu totum hunc populum, quaſi unum hominem interficeres?* Illud ergo eſt quod Deus condonaverat, non vero integram pœnam.

51. Num. 16. 32 Corah cum omnibus hominibus qui erant Corachi a terra dehiſcente abſorpti dicuntur, cum tamen cap. 26. 11 legamus, filios Corah non fuiſſe interemtos.

Omnis difficultas in eo ſita eſt, quod ſub hominibus Coræ etiam liberi ejus comprehendi poſſint. Quia vero etiam de ſolis ſervis, cęteraque ſeditionis auxiliatrici familiæ ejus caterva accipi poſſunt, exceptis liberis, nulla remanebit difficultas. Præterea vocem *omnes* non ſemper abſolute, ſed frequenter de omnibus in certo genere, vel etiam de pleriſque intelligi, non eſt quod oſtendamus, cum id nemini ſit ignotum.

52. Num. 20. 18 Legimus, Idumæos noluiſſe Iſraëlitis tranſitum per ſuam regionem concedere. Contra Deut. 2. 27, 28 Moſes dicit, Idumæos habitatores Seïr, & Moabitas Ar habitatores tranſitum conceſſiſſe.

Qui nodus ſolvitur, ſi conſideremus Seïr Idumeæ, & Ar Moabitidis extremos fuiſſe fines (quod ex Num. 20. 22. Deut. 2. 18, item Num. 21. 13, 15. XXII. 1, 36 conſtat) per quos ab iſtarum civitatum incolis tranſitus Iſraëlitis eſt conceſſus, reliqui vero Edomitæ & Moabitæ viam præcluſerunt.

53. Num. 22. 20 Deus permittit Bileamo, ut ad Balacum proficiſcatur, & tamen verſu 22 dicitur, Deum Bileamo iratum fuiſſe, quod ad eum proficiſceretur.

Sed ex Dei ad Bileamum reſponſo ſatis apparet, Deum Bileamo abitum conceſſiſſe, non animo maledicendi Iſraëlitis, Bileamum autem in intinere, in animum induxiſſe, modo poſſet, illis maledicere. Quapropter Angelus verſu 34 ipſi injungit, ne aliter quam Deus vellet faceret. Succenſuit igitur Deus Bileamo, non quod a Balacum abiret, ſed quod animo maledicendi Iſraëlitis ad eum tenderet.

54. Num. 33. 31 Iſraëlitæ dicuntur profecti eſſe *Moſerothis ad Bene Jakan*. Contra Deut. 10. 6 a *Bene* (id eſt filiis) *Jakan* ad *Moſera*.

Nulla hic eſt pugna, modo attendatur in poſteriori loco præpoſitionem *ad* in Hebræo non exſtare, ac proinde ibidem dici, Iſraëlitas ab utroque loco (videlicet *Bene-jakan* & *Moſera*, quod idem cum *Moſeroth* eſſe crediderim) diſceſſiſſe, quemadmodum Belgici interpretes legunt. Ita ut loco prępoſitionis *ad* conjunctio *&* ſubintelligi debeat, & Deut. 10. 6 legi, eos profectos eſſe a *Bene Jakan & Moſera*.

55. Num. 33. 38 Aaron dicitur obiiſſe in monte Hor, at Deut. 10. 6 in Moſera.

Ubi nulla erit contrarietas, ſi Moſera locus in monte *Hor* ſita fuerit. Ajunt enim Hebræi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Hebræi, montem Moſera valde magnum fuiſſe, in quo ſeptem illa loca, Num. 33. 31, 32, 33, 34, 35 memorata, ſita erant, inter quæ etiam *Hor* numeratur.

56. Deut. 4. 19 dicitur Deus diſtribuiſſe hominibus omnibus ſidera. Hunc locum Judęi futili ſua expoſitione contrarium faciunt aliis locis, quibus idololatria prohibetur. Putant enim ſenſum eſſe loci, quod reliquas nationes ſiderum potentiæ ſubjecerit. Quam ſi rejecerimus, nulla erit repugnantia. Nihil enim aliud volunt iſta verba, quam quod Deus ſidera creaverit, ut non Iſraëlitis tantum, ſed omnibus hominibus ſerviant, ac idcirco ab illis coli non debere; cui poſtea alteram ſubjungit rationem, quia Deo ſoli, ob liberationem ex dura Ægyptiorum ſervitute, ſervire tenebantur, non ſideribus, nec aliis idolis.

57. Deut. 4. 24. cum verſu 12. vide ſupra pag. 136. lib. 1. cap. 15.

58. Deut. 6. 16 prohibetur, ne quis Deum tentet. At Malach. 3. 10 Deus Iſraëlitis mandat ut ſe tentent.

Ex diverſitate vocum in textu Hebræo, nodus iſte facile ſolvi poteſt, priori enim loco eſt vox *naſah*, quæ accipitur de exploratione, an Deus aliquid efficere poſſit, idque animo incredulo, ob quam cauſam additur, *quemadmodum me tentaverunt in Maſſa*, ſed vox quę apud Malachiam eſt ובחנוני *probate me*, accipitur de experimento voluntatis, an ſcilicet Deus id quod poteſt & promittit, ſit facturus, & fidelem ſe præſtiturus.

59. Deut. 10 17 Deus dicit, ſe non eſſe προσωπολήπτην, cum tamen Jobi faciem ſe ſuſcepturum, in precibus quas pro amicis fuſurus eſſet, Job 42. 8, 9 expreſſe dicat.

Proſopolepſias vitium, ſive perſonarum acceptionis, cum nihil aliud ſit, quam injuſte in judicio alicujus cauſam probare propter dona, quemadmodum ex priori loco verſ. 18 manifeſtum eſt, & apud omnes in confeſſo, nullo modo crimen iſtud committit Deus, qui beneficia juſto & pio abſque ullius injuria confert, imo ea aliis niſi intercedentibus illius precibus, conferre velit. Quid quod nec in Veteri Fœdere iniquum erat, divites & potentes, qui ex Legis præſcripto & benedictionibus ibidem promiſſis, pro piis cenſeri poterant, præ pauperibus diligere & honorare. Cum vero benedictiones ſeculares ſub Novo Fœdere, inter divinas benedictiones piis debitas non recenſeantur, etiam iſtud nunc proſopolepſias vitio accenſeri debet.

60. Deut. 15. 4 dicit Deus, *non erit inter vos egens*, vel *mendicus*, cum tamen ibidem verſu 11 dicatur, nunquam pauperes inter eos defuturos.

Tribus modis ab interpretibus recte hæc loca inter ſe conciliantur. Nonnulli putant priori loco prohiberi, ne ſinant Hebręum aliquem mendicum eſſe, id eſt, ut id liberalitate ſua pręcaveant, cum tamen pauperes eſſe poſſint, qui ab aliis accipere ſtipem nolint, quod nemo impedire poteſt, vel, quos ſublevare teneantur, non permittentes ut mendicent. Alii priori loco officium præſcribi, poſteriori eventum indicari exiſtimant. Tertio ſunt, iique Hebraïce optime callentes, qui quartum verſum aliter interpretantur, ita nimirum, *remittentes ſeptimo anno fratri quæ tibi debet,*

præterquam ſi non ſit pauper in te, cujus ſenſus eſt, Iſraëlitas ſeptimo anno teneri co[n]donare omnibus quibus mutuo dederint, ſi pauperes ſint, at ſi non ſint pauperes, tu[m] non opus eſſe remittere. Et ſic non repugnabunt verba verſus quarti cum undecimo.

61. Deut. 17. 14 Deus præcipit, ſi Regem ſibi creare vellent, ut eum ex fratr[i]bus ſuis ſumant, & tamen Deus, cum Regem poſtularent 1 Sam. 8. 4, adeo illis ſuc[ce]nſuit.

Primum ſuppono Deum in Deuteronomio non juſſiſſe ut Regem eligerent, ſe[d] permiſiſſe tantum, non tamen ut rem quæ ipſi placeret, ſed quam ex eorum perv[i]cacia oriturum facile conjicere poterat, & propter quam eos rejicere penitus noleba[t]. Juſtam tamen indignationis cauſam habebat, quod adeo intempeſtive & petulant[er] Regem poſtularent, dum tam placide, ſub Samuelis præfectura a Deo regerentur.

62. 1 Sam. 7. 13, cum cap. 13. 19 & ſeqq. ubi dicitur Philiſtęos toto tempor[e] vitæ Samuelis terram Iſraëlitarum non fuiſſe ingreſſos, & rurſus plane contrarium. De his conſule dicta Lib. 1. pag. 97.

63. 1 Sam. 13. 22 narratur, in Iſraëlitarum exercitu nec gladium nec haſtam fuiſſe cuiquam, pręter Regem & filium ejus Jonathanem, cujus rei cauſa verſu 1[9] redditur, quod Philiſtæi ſolicite curaverint, ne faber aliquis ferrarius inter Iſraëlita[s] eſſet. Cum tamen cap. 14. 22 referatur, eoſdem Iſraëlitas magnam ſtragem inte[r] Philiſtæos edidiſſe.

Hæc prima fronte abſurda videntur; ſed rem attentius conſideranti minime. Primo enim cap. 14. 14, 20, 21 legimus, Jonathanem una cum ſuo armigero, proſtratis viginti hoſtibus, magnum terrorem hoſtili exercitui, Deo procurante, incuſſiſſe, adeo ut in ſe invicem irruerent, & Hebræi, quos in exercitu armatos habebant, arma in eos converterent. Ex quo in fugam conjecti, & abſque ordine contra proprias legiones, & Hebræos in ipſorum exercitu exiſtentes, cum maximo terrore dimicantes, vel potius fugientes, facillime ſtipitibus duris, ſudibuſve præuſtis, & quibuſcunque furor armis miniſtrabat, ab ovantibus Hebræis proſterni potuerint. Quæ victoria ipſis non tantum animos addidit, ſed etiam arma copioſe ſuppeditavit.

64. 1 Sam. 15. 29 cum Jer. 18. 8, 10. Vide pag. 27. Lib. 1. cap. 2, Deum nullius rei pœnitere, & contrarium.

65. De cap. 16 & 17 ejuſdem Libri, cum cap. 18, lege Lib. 1. pag. 95.

66. De cap. 24 cum cap. 26 ejuſdem Libri, inſpice Lib. 1. pag. 96.

67. 2 Sam. 6. 2. contra 1 Chron. 13. 6, conſule dicta Lib. 1. pag. 99.

68. 2 Sam. 8. 4 dicitur Davidem ab Hadadezare 700 equites cepiſſe, at 1 Chron. 18. 4, 7000.

De ſimilibus contrarietatibus in refutatione *Tractat. Theol. Polit.* egimus, conceſſimuſque in numeris errores quoſdam ex ſimilitudine literarum Hebraicarum (quibus numeros ſuos exprimere ſolent) in textum Veteris Inſtrumenti irrepſiſſe, vel negligentia, vel humana imbecillitate ab amanuenſibus admiſſa. Talia vero ſibi invicem contraria, nunquam ſcriptori imputari debent, niſi ipſe ea ſcripſerit. Nec enim prohibere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

hibere poteſt, quo minus alii, in deſcribendis iis quæ in chartam conjecit, vitia committant.

69. 2 Sam. 17. 25, 26 Amaſæ pater Iſraëlita fuiſſe dicitur, ejuſque mater filia Naæ. Contra 1 Par. 2. 17 pater Iſmaëlita, & mater ejus filia Iſai.

Quod ad Amaſam attinet, Iſmaëlita genere potuit eſſe, ſed Iſraëlita quoad religionem quam amplexus fuerat, ac ſic utrumque verum eſſe. Vel ſi quis alterutro in loco mendum in deſcribendo irrepſiſſe vult, & in alterutro loco litera *m* pro *r*, מ *mem* pro ר *reſch* a ſcribis fuiſſe poſitum, vel vice verſa (veriſimilius enim eſt Jether Iſmaëlitam quam Iſraëlitam fuiſſe, quia ſi Iſraëlita fuiſſet, nihil opus fuiſſet ipſum eo nomine ab aliis diſtinguere) non eſt quod de eo ſimus ſoliciti, prout mox oſtendimus: quamvis non opus ſit iſtud concedere, ubi conciliatio non incongrua ſeſe offert. Jam quod in Samuele *Abigail* filia *Naas* dicitur, fieri poteſt ut Naas iſte idem ſit qui Iſaï, & binominis fuerit: quod Hebræis familiare fuiſſe, ſequentia loca docent, 2 Sam. 12. 24, 25. 1 Reg. 8. 2. 1 Par. 6. 28 coll. cum verſu 33. 2 Reg. 15. 1. 2 Par. 26. 1. 1 Par. 8. 36. coll. cum 1 Par. 9. 42. 2 Par. 15. 1. coll. cum verſu 8.

70. 2 Sam. 23. 8 Adino Ezrites una vice octingentos ex agmine hoſtili proſtraviſſe dicitur. at 1 Chron. XI. 11 de trecentis id tantum affirmatur.

Vel mendum in numero alterutro in loco agnoſcimus, vel duo Joſchebi iſtius facinora diverſa recenſeri eſt dicendum. Cujus contrarium cum oſtendi nequeat, nullo modo affirmari poteſt, loca iſta ſibi invicem eſſe contraria. Quod hic omnino ſufficit, cum non opponentis ſed reſpondentis partes tueamur, refutantes tantum eorum aſſertionem, qui hæc ſibi invicem contraria eſſe affirmant.

71. Ibid. verſu 11 numerus Heroum Davidis triginta & ſeptem fuiſſe dicitur in univerſum, cum tamen 1 Chron. 11 & 12 multo plures recenſeantur.

Hæc nullo modo ſunt contraria, cum diverſo tempore calculus iſte initus fuiſſe potuerit, ita ut uno tempore multo plures quam alio viros fortes miniſtrantes ſibi habere potuerit David.

72. 2 Sam. 24. 9. Cum Joab Davidis juſſu populum numeraſſet, indicatur ejus numerus 1300000. Sed 1 Chron. 21. 5 numerus fuit 1570000.

1 Chron. 21 toto capite numerus ordinarii exercitus, quem David perpetuo alebat, recenſetur duodecies viginti & quatuor millia, qui faciunt manum 283000 militum, quos in numerando Joab procul dubio omiſit, cum is Davidi ſatis eſſet cognitus. Igitur fieri poteſt, ut in libro Samuelis numerus tradatur eorum qui non alebantur a Rege, primo vero Chronicorum libro uterque numerus conjunctim. Tum vero utrumque numerum ſuperabunt octodecim millia) qui vel mortui, vel deſertores eſſe potuerunt. Quæ conciliatio, ſi cui minus arrideat, mendum in deſcribendo commiſſum eſſe, per me ſtatuat licet.

73. 2 Sam. 24. 24 David aream Ornani Jebuſitæ emit, una cum bobus & traha, quinquaginta ſiclis argenteis, quam 1 Chron. 21. 25 quingentis ſiclis aureis coëmiſſe dicitur.

Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Si uterque locus accurate examinetur, nullam reperiemus contrarietatem, na[m] apud Samuelem indicatur pretium ſolius areæ & boum cum lignis, ſed in libro Chronicorum pretium totius fundi, cujus area pars erat, innuitur, verſu enim 22 Dav[id] Ornano dicit, *da mihi* N. B. *locum areæ*: quem locum ſpatioſum ſatis fuiſſe, non mo[do] pretium quingentorum aureorum ſiclorum (qui fere ſex millia florenorum noſtr[a]tium conficiunt) ſed & moles Templi, ei inædificati, ſatis arguit.

74. 1 Reg. 14. 8. XVI. 3 Jereboamo & Baëzæ minatur Deus, quod à canibu[s] qui ex eorum familia in urbe moriuntur, & qui in agro ab avibus ſint dilaniandi, cu[m] tamen probari non poſſit, id unquam eſſe impletum, imo de Baeza expreſſe dicat[ur] 1 Reg. 16. 6, eum ſepultum eſſe.

At nugator iſte, qui hoc avunculo meo *Brenio* objecerat, non animadvertit, velit aſſerere eventum prædictioni non reſpondiſſe, ſibi iſtius rei probationem incumbere. Præterea hæc non de ipſo Jeroboamo & Baeza, ſed de ipſorum progeni[e] prædici, prout ipſa verb ſonant, in quibus prophetiam hanc impletam eſſe, expreſſ[e] habetur 1 Reg. 15. 25, 26, 27, 29. XVI. 10, 11, 12.

75. 1 Reg. 14. 25 narratur de *Seſako* Ægyptiorum Rege, quod omnia vaſa & theſauros ex domo Dei ſurripuerit. Et tamen 2 Reg. 24. 13 Nebucadnezar poſtea dicitur vaſa aurea, quæ Salomon fecerat, ſurripuiſſe. Quod fieri minime potuit, cum Siſa[c] ea abſtulerit antea.

Primo dici poteſt, vocem *omnia* in priori loco, non ita præciſe accipiendam eſſe ut nihil plane excipi poſſit. De qua vocis acceptione non eſt quod plura addamus. E[t] ſic fieri potuit, ut Siſac, ex Numinis reverentia, quædam vaſa, ad Templi uſum neceſſaria, reliquerit, vel reddiderit; vel quod à Sacerdotibus, vel aliis, ex vaſi[s] aureis aliqua alio fuerint delata & abſcondita, adeo ut Siſac ea reperire non potuerit & ſic quidquid in Templo repererat abſtulerit, & vaſa iſta poſt illius diſceſſum in ſuum locum fuerint repoſita. Fieri etiam potuit, ut vel Siſac, aut alius ex illius in regno ſucceſſoribus, vel ſua ſponte vaſa iſta reddiderit, vel pretio redemta ab Iſraelitis in Templum reportata ſint, vel denique ut alia ejuſdem ponderis & formæ vaſa, a ſuccedente aliquo Judæorum Rege confecta, nomine vaſorum à Salomone confectorum, ob ſimilitudinem fuerint inſignita: quemadmodum pii Reges Templi inſtrumenta & ornamenta frequenter renovaſſe leguntur 2 Reg. 18. 16. 2 Par. 24. 14. coll. cum 2 Reg. 16. 14. 2 Par. 27. 3. XXIX. 3. Ita ut hoc vel illo modo Nebucadnezar tanto poſt tempore, vaſa quæ Salomon confecerat, ſurripuere potuerit.

76. 1 Reg. 15. 2 mater Abiæ Regis appellatur Maacha, & verſu 20, item 2 Chron. 15. 16 Aſæ, filii ejus mater, eodem nomine inſignitur. Rurſus 2 Chron. 13. 2 mater Abiæ Michaja, filia Urielis dicitur, cum priori loco filia Abſolomi eſſet vocata, iterum cap. XI Abſalomi filia.

Nullo negotio hæc conciliantur, modo attendamus Maacha & Michaja idem eſſe nomen, iiſdem literis Hebraicis ſcribi, & mutatis punctis vocalibus, nunc hoc, nunc illo modo literas legi, quemadmodum & nomen Abiſalon & Abſolon: Matri

autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

autem Aſæ & filii ejus Abiæ idem nomen eſſe potuit; vel mater pro avia eſſe poſita, quod S. Scripturæ eſt familiariſſimum. Et ſic omnis diſparet contrarietas.

77. 1 Reg. 15. 33 narratur, Baezam Regem Iſraëlis, tertio Aſæ anno regnum eſſe adeptum. Cum autem ex cap. 16. 8 apparea, Ellam Baezæ filium, anno vigeſimo ſexto Aſæ Regem fuiſſe creatum (quod poſt Baeſæ mortem factum eſſe debuit) quo pacto 2 Par. 16. 1 dici poteſt, quod Baeſa trigeſimo ſexto Aſę regni anno Rama ædificaverit, cum decennio ante obierit?

Reſpondeo, ſi concedatur error decennii, nullam eſſe difficultatem, ut 36 pro 26 anno Aſæ ſit poſitus ab amanuenſi, quod ex loco 1 Reg. 16. 12, 13 admodum fit veriſimile, nec non ex 1 Reg. 15. 17, 32, & 2 Chron. 15. 19 uſque ad 35.

78. 2 Reg. 1. 17 contra 2 Reg. 8. 16. Vide Lib. 1. pag. 98.

79. 1 Reg. 15. 17, 32 dicitur Baeſa cum Aſa per totam ſuam vitam bellum geſſiſſe, cum tamen 2 Chron. 15. 19 dicat ſcriptor, uſque ad 35 Aſæ regni annum, non exarſiſſe bellum.

2 Chron. 14. 1 dicitur, Aſæ tempore regnum decem annis in páce tranſegiſſe, non addito an ſub initium, an vero ſub finem ejus regiminis iſtud acciderit. 1 Reg. 16. 8 narratur, Baëſam vigeſimo ſexto regni Aſæ anno, eodem videlicet quo Rama ædificaverat, obiiſſe, & ſic cum vitæ exitu belli finem feciſſe. Atque ita verum eſſe apparet, quamdiu Aſa & Baeſa ſimul in vivis eſſent, bellum ſibi mutuo intuliſſe, ſed ab obitu Baeſæ Iſraelitas tribui Judæ bellum intuliſſe non legimus, inteſtinis diſſidiis per aliquot annos exercitati. Itaque poſt Baeſæ obitum, decem annis regnum Juda in pace tranſegiſſe veriſimile eſt, ſaltem contrarium oſtendi non poteſt. Idem etiam ex eo confirmatur, quod 1 Chron. 15. 19 dicatur, uſque ad 35 Aſæ regni annum non fuiſſe bellum, quod tempus à vigeſimo ſeptimo ejuſdem regni (& Baeſæ morte) anno inchoatum, decem annos conficit, incluſis vigeſimo ſeptimo & trigeſimo quinto annis, more numerandi apud Hebræos familiariſſimo.

80. 2 Reg. 8. 26 habetur, Ahaſiam vigeſimo ſecundo ætatis anno regnum fuiſſe adeptum, at 2 Chron. 22. 3 quadrageſimo ſecundo.

Poſteriorem locum mendoſum eſſe, arguit Græca ſeptuaginta interpretum verſio, quæ ibidem non quadrageſimum, ſed vigeſimum ſecundum annum ei tribuit. Ad ſimilia paucula quæ adhuc reſtant loca, non opus eſt reſpondere, quia error in deſcribendo commiſſus, authoritatem libri non minuit. Nullus enim ex antiquis quos habemus ſcriptoribus reperitur, in quo iſtud locum non habeat, ut in eo variantes lectiones, menda & errores non reperiantur, qui propterea à nemine rejiciuntur, nec eorum authoritas in dubium vocatur. Confer ea quæ pag. 99. Lib. 1. diximus.

81. 2 Chron. 3. 15 Salomon duas columnas erexiſſe dicitur, triginta quinque ulnas longas, contra Jer. 52. 21 dicitur eas octodecim ulnis fuiſſe longas.

At nulla hic eſt difficultas, cum de diverſis columnis ſermo ſit. Videtur enim Salomon quatuor columnas erexiſſe, duos in atrio Templi 1 Reg. 7. 15, quæ eædem ſunt quas Jeremias deſcribit. Illæ vero quas liber Chronicorum indicat, in ipſo Tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

plo, prope Sanctuarium collocatæ fuerunt, longe majores præcedentibus, utræq tamen eodem nomine à Salomone inſignitæ.

82. 2 Reg. 9. 27 refert Scriptor, Ahaſiam à Jehu inſequente vulneratum, Megiddo fugiſſe, ibique mortuum eſſe. Cui repugnat id quod 2 Chron. 22. 9 dicitu Ahaſiam in urbe Samaria occultatum, ibidem deprehenſum, & ad Jehu adductum occiſum eſſe.

Diverſitas quidem hic eſt in narratione, ex eo quod unus omittit id quod alter re fert, ſed nulla eſt contrarietas: omnia enim quæ ab utroque narrantur, evener Prius enim Ahazias, videns Achabum à Jehu lethaliter vulneratum 2 Reg. 9. 23, 24 fuga ſibi conſuluit, & ipſe terga dedit, & per viam horti Achabi evadens, Samariam nactus, ibidem ſe occultavit; ſed à Jehu miniſtris, in latibulo quæſitus, dum eum ad Jehu deducunt, ipſe vero reluctatur, ab illis lethaliter vulneratus (non renuent Jehu, qui ipſum non evaſurum videns, nec ſepulturam ei denegans, quod e 2 Chron. 22. 9 non obſcure colligi videtur) Megiddo aufugit, ibique mortuus eſ Et ſic omnia conſtant: nam ad Jehu adductus, ab eo occiſus, & Megiddo mortuu eſt. Quę cum ita facta eſſe potuerint, nec quidquam in utroque libro, quod han conciliationem non admittit, reperiatur, omnino ſunt admittenda. Non enim ad mitti poteſt ulla accuſatio, niſi manifeſto conſtet, ea quæ ad ſui defenſionem reu adfert, aperte falſa eſſe. Si quis ergo Scripturam contradictionis ream facere velit oſtendat nullam conciliationem, niſi quæ vel Scriptoris verbis, vel veritati apert reluctetur, proferri.

83. 2 Reg. 12. 13 dicitur, quod ex pecunia, quam Joas ad Templi reſtaurationem colligebat, nullum aureum nec argenteum vas conficiebatur. Contra 2 Chron 24. 14 expreſſe contrarium dicitur, videlicet aurea & argentea vaſa pro pecunia iſt eſſe confecta.

Poſteriori loco, a verſu 4 uſque ad 14 recenſetur hiſtoria collectionis pecunia pro Templi reſtauratione, quę continuabatur donec totum Templum in integrum reſtitutum eſſet. Atque iſtud eſt quod priori loco dicitur, nullam pecuniam, dum Templum reficeretur, ad vaſa conficienda eſſe deſtinatam. Poſtquam vero omnia quæ ad Templi reſtaurationem requirebantur, perfecta eſſent, tum demum (quod 2 Chron. 24. 14 expreſſe indicatur) curatores iſtius rei, videntes magnam adhuc pecunię vim eſſe reſiduam, id Regi indicaverunt, qui vaſa pro ea confici juſſit. Et ſic nulla remanet difficultas.

84. 2 Reg. 15. 8 Zacharias Jeroboami filius, tregiſimo octavo Azariæ Regis Jehudah anno, Rex Iſraelis creatur, cum tamen quadrageſimo primo ejuſdem Azariæ anno creatus ſit: quia 14 annis una cum Azaria Jeroboam regnavit, & poſt mortem ipſius viginti ſeptem, qui faciunt annos 41. Adeo ut hic duorum vel trium annorum ſit error.

Qui facile corrigitur, modo attendamus, Hebræos in computo annorum, dierum hebdomadarumque, finem præcedentis & initium ſequentis, in numero quem indicant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

indicant, comprehendere, & finem primi, cum initio poſtremi pro integris annis, diebus vel ſeptimanis computare.

85. 2 Reg. 15. 30 Hoſea, filius Ela, dicitur Rex creatus eſſe, vigeſimo anno Jothami, cum tamen verſu 33 Jotham tantum ſedecim annos regnaſſe dicatur.

Cum verſu quinto Jotham loco patris Uzziæ, quem Deus lepra percuſſerat, circa finem regiminis ſui (prout ex 2 Chron. 26. 16 & ſeqq. colligi poteſt) aliquamdiu regum adminiſtraverit, fieri poteſt quod Scriptor priori loco regimen Jothami, quod vivente patre adminiſtraverat, ſub tempore regni comprehenderit, at verſu 33 tempus quo ſolus regnaverat. Non enim ullo modo eſt veriſimile, quiſquis tandem iſtius libri Scriptor fuerit, eum in re tam manifeſta, ſibi ipſi in eadem periodo, adeo turpiter contradicturum eſſe. Confer ea quæ cap. 2. de Creat. Univerſi in fine dicturi ſumus.

86. 2 Reg. 24. 8 dicitur Jechoniam, cum Rex crearetur, octodecim annorum fuiſſe. Contra 2 Chron. 36. 9 octo annorum.

A nonnullis hæc ita conciliantur, quod in prori loco tempus exprimatur, quo poſt mortem patris ſolus Rex fuerit factus, poſteriori tempus quo vivente patre Rex creatus, cum ipſo regnaſſet. Nos vero mendum apographi ſubeſſe in alterutro loco haud gravate concedimus. Confer quę ad locum 2 Reg. 8. 26 diximus.

87. 2 Reg. 25. 2 legimus, nono menſe Urbem à Nebucadnezare fuiſſe captam. Contra Jer. 52. 5 menſe quarto.

Hanc contradictionem non inepte hoc modo concilaverunt Belgici Interpretes. Prior enim locus commode verti poteſt non *nono menſe*, ſed *nono menſis* die videlicet. At Jeremias menſis numerum, quartum videlicet, indicat. Priorem ergo locum ita reddiderunt, *nono* [*quarti*] *menſis*, ex Jerem. 52. 5 vocem *quarti* interjicientes. Alias & hic mendum eſſet agnoſcendum, & *nono* pro *quarto* ſcriptum eſſe.

88. 2 Reg. 25. 8 habetur, Nebuzardanem die ſeptimo menſis quinti Templum incendiſſe, quod Jer. 52. 12 die decimo ejuſdem menſis factum eſſe indicat.

Sed nulla hic eſt difficultas. Vel enim liber Regum incendii initium (quod tribus diebus duravit) Jeremias ejuſdem finem indicat. Vel prior locus Nebuzardanis in civitatem adventum, ad Templum incendendum notat (quod ex fine verſus non obſcure colligitur) Jeremias autem tempus, quo poſt triduanam in urbe commorationem, Templum exuſſerit.

89. 2 Reg. 25. 27 dicitur Joachimum die 27 menſis e carcere liberatum eſſe, cum Jerem. 52. 31, die 25 id accidiſſe referatur.

Quæ diverſitas inde potuit eſſe orta, quod alteruter ad tempus quo e carcere dimittebatur, alter, quo in Palatium Evilmerodachi admitteretur, reſpexerit, ad quod forte biduum requirebatur, priuſquam ornamenta, quibus in aula uti deberet, eſſent parata.

90. 2 Reg. 25. 17 dicuntur æreæ coronæ ſive ſummitates columnarum tribus ulnis fuiſſe altæ, at Jer. 52. 22 quinque ulnis.

Quod inde ortum videtur, quia Jeremias ſub coronarum altitudine, etiam reli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quorum ornamentorum, retiorum videlicet, ligamentorum &c complectitur, quo etiam 1 Reg. 16. 17 eodem modo fit: at 2 Reg. 15 ſola coronarum altitudo indicari videtur. His adde dicta ad locum 2 Chron. 3. 15, contra Jer 52. 21.

91. 2 Chron. 36. 10 Zedekias appellatur frater Jechoniæ, quem tamen ipſus avunculum fuiſſe, ex 2 Reg. 24. 17 conſtat.

Quod ſane nullius eſt momenti, cum propinquos fratres appellare, Hebræis ſi uſitatiſſimum.

92. Job. 1. 19 omnes ipſius liberi ſub ædium ruinis contriti dicuntur. Contra cap. 19. 17 Jobus dicit, ſe ſupplicari debere filiis uteri ſui.

Filii uteri alicujus dicuntur filii ex ſervarum utero geniti, ſive ab ipſo Domino, ſive a ſervis, quibus ancillæ in matrimonium datæ ſint. De qualibus filiis οἱ ἑβδομήκοντα locum hunc interpretantur. Liberi enim ſervorum, dominorum ſunt proprii. Jobus itaque afflictionis ſuæ magnitudinem ex eo etiam deſcribit, quod ne ſervi quidem, ex ſervis geniti, non niſi ſupplicanti ipſi morem gererent.

93. Pſal. 7. 9 David poſtulat à Deo, ut ſecundum juſtitiam ſuam judicet eum: cum tamen Pſal. 143. 2 contrarium petat, ne videlicet Deus cum ipſo litiget, quoniam nullus coram ipſo juſtus ſit.

Quæ difficultas nulla eſt, cum priori loco de controverſia, quam ipſi impii hoſtes movebant, loquatur, poſteriori vero de juſtificatione coram Deo, prout utrumque locum attente conſiderantibus apertum eſt.

94. Pſal. 103. 10 inquit David, Deum non agere nobiſcum ſecundum iniquitates noſtras, nec rependere ſecundum peccata noſtra. At contrarium Eſaias expreſſe de civitate Hieroſolymitana teſtatur nomine Dei, eam videlicet duplum accepiſſe pro peccatis ſuis cap. 40. 2.

Non eſt abſurdum, ut Eſaiæ locus, qui in præterito tempore enunciatur, more Hebræis familiariſſimo, de futuro accipiatur. Continent enim quinque primi iſtius capitis verſus, vaticinationem de liberatione populi Judaïci e captivitate Babylonica: ad cujus certitudinem denotandam, Propheta præterita pro futuris uſurpat, more ſolito. Dicit igitur militiam, id eſt labores & calamitates urbis Hieroſolymitanæ, brevi finiendas eſſe, iniquitates, id eſt, eorundem pœnas eſſe reconciliatas, eamque duplum accepiſſe, pro accepturam, id eſt duplicia beneficia pro peccatis, id eſt pro pœna peccatorum: ſive Deum ipſis duplo pluribus beneficiis affecturum, quam pœnas illis inflixerat. Atque hunc genuinum verborum eſſe ſenſum exiſtimo. Nemo ſaltem oſtendere poteſt, verba hoc modo non poſſe explicari. Et tum duo iſta loca minime inter ſe contraria ſunt.

95. Pſal. 115. 17 David dicit, mortuos Deum non laudare, quemadmodum etiam alibi frequenter indicatur, mortuos nihil ſcire. Contra Philip. 2. 10 Paulus dicit, Chriſtum in eum finem à Deo exaltatum eſſe in cœlis, ut in ipſius nomine omne genu, etiam καταχθονίων (per quos nulli præter mortuos intelligi poſſunt) flectatur, id eſt, ut etiam mortui ipſum adorent.

Hujus

Hujus nodi ſolutio inde pendet, quod ante Chriſti exaltationem nemo beatorum poſt mortem ullo beatitudinis ſenſu ſit decoratus, qui demum poſt Chriſti ad dexteram Dei ſeſſionem, tanquam Novi Fœderis privilegium, piis defunctis conceſſus it. Qua de re videatur Tractatus de ſtatu mortuorum, non ita pridem Belgice editus in quarto.

96. De loco Jer. 22. 30 contra cap. 52. 30. 2 Reg. 25. 27. 1 Par. 3. 17 &c: de hiſtoria Jechoniæ, ſibi non conſtante, vide dicta ſuperius Lib. 1. pag. 103.

CAPUT II.

Conciliatio Locorum, quæ in Novo Fœdere ab Atheis & Religionis Chriſtianæ hoſtibus, inter ſe pugnare dicuntur.

Locus 1. Matth. 1 longe diverſa Genealogia Jeſu traditur ab ea quam Lucas cap. 3 refert.

Ratio cur ita ab illis factum ſit, a nobis reddi certo nequit, nec ad rem quidquam iſtud facit. Sufficit modo veram genealogiam uterque deſcripſerit. Id vero ab illis factum eſſe, negari cum aliqua ſpecie à nemine poteſt, niſi qui contrarium evidentiſſime demonſtrare queat, quod hactenus à nemine, quod ſciam, tentatum eſt. Voluerunt quidem aliqui oſtendere, nonnullorum nomina in genealogia perperam eſſe adſcripta, quoſdam in genealogia eſſe omiſſos, quos Vetus Inſtrumentum recenſet, & numerum quem Mattheus indicat, in ſerie quam deducit non reperiri. Verum iſta non confictam eſſe genealogiam, ſed errores in ea commiſſos eſſe evincerent. Ubi vero oſtenderimus in iſtis non eſſe commiſſum errorem, cauſę nos ſatiſfeciſſe omnino erit ſtatuendum. Quod igitur ad perſonas, quos Lucas à Mattheo diverſas memorat, in eo penitus eſt acquieſcendum, quando libri Regum & Chronicorum non aperte teſtantur, illos quos uterque indicat, nec jure ſucceſſionis, nec nativitatis, ſibi invicem in hæreditate prædeceſſorum ſucceſſiſſe. Cum vero legitima ſit utraque, tam juris quam nativitatis, ſecundum Legem ſucceſſio, & vel Mattheus, vel Lucas in nonnullis ad juris ſucceſſionem reſpexiſſe potuerit, res iſta optime conſtat. Id autem ab alterutro factum eſſe, à doctiſſimis viris, in ſuis ſuper Chriſti genealogiam commentariis, ſufficienter eſt oſtenſum. Inter cæteros in iſta re excellunt *Socinus*, *Grotius*, *Crellius*, *Maldonatus* avunculus meus *Brenius*, & loco omnium *Ludovicus Woltzogenius Auſtriacus*. Qui etiam oſtendit, quam ob cauſam nonnulli à Matthæo omiſſi ſint, & quomodo numerus trium δεκατεσσάρων apud illum optime conſtet, nec ullum in iſta genealogia perperam eſſe relatum, quæ omnia hic repetere non eſt opus.

2. Matth. 1. 5 à Nativitate Boozi, filii Rachabæ Hierechuntinæ, uſque ad Davidis,

vidis, tres tantum homines recenſentur, cum tamen ab internecione Jerichunta
uſque ad Davidis nativitatem, non pauciores 366 annis effluxerint.

Quam difficultatem facile ſolvemus, modo attendamus Rachabam hanc longe
verſam eſſe fęminam ab iſta Hierichuntina. Hæc enim nunquam *Rachab*, ſed conſta
ter *Raab* appellatur Joſ. 2. 1. Pſal. 87. 4 in Græco. Hebr. XI. 31. Joh. 2. 25, &
Novo Fœdere non niſi addito *meretricis* epitheto. Alias hæc eadem quęſtio Ruth. 4.
1 Chron. 1. 10 itidem locum habitura fuiſſet.

3. Matth. 3. 13, 14 apparet *Johanni Baptiſtæ Chriſtum* non fuiſſe incognitum. Ide
tamen Joh. 1. 31, 32 expreſſe dicit, ſe Chriſtum non habuiſſe cognitum, antequa
ipſum baptizaſſet.

Nulla hic eſt contrarietas. Johannes ad tempus uſque prædicationis ſuæ in deſer
vaſtiori habitavit: unde nihil mirum eſt, quod de facie Chriſtum non cognover
Quod vero apud Matthæum Chriſtum eatenus noverit, quod ab ipſo potius baptiza
neceſſe ſe habere agnoverit, id inde accidere potuit, quod nonnulli qui Johanni, cu
eum Chriſtus accederet, adeſſent, Chriſtum cognoſcentes, de ipſius ſanctita
multa Johanni ſignificaverint, ex quibus Johannes conjecturam fecerit ipſum eſ
Chriſtum; vel Chriſtus ipſe forſan quis eſſet ei indicaverit, cum ante iſtud tempus
de quo Joh. 1, Johannes ipſum nunquam vidiſſet, nec eum de facie habuerit cogn
tum. Tamen Johannes, Chriſtum eſſe Meſſiam, non prius certo ſcire potuit, antequa
ſignum deſcendentis in eum Spiritus Sancti, poſt baptiſmum conſpexiſſet Joh. 1
verſ. 32, 33.

4. Matth. 5 celebris illa Chriſti concio, non tantum verbis longe diverſis, ſe
etiam ſententiis & aliis circumſtantiis, ab ea quam Lucas cap. 6 tradit, deſcribitur.

Quamvis exiſtimem, omnem quæ inter loca iſta diverſitas, imo (ſi eandem utro
bique concionem referri volumus) contrarietas eſt, cum hic Chriſtum in planiti
conſtitiſſe, ille montem conſcendiſſe, ibique ſediſſe affirmet, concilari poſſe, prou
ab interpretibus factum eſt, non eſt tamen quod de eo multum laborem. Conceda
mus enim Chriſtum bis in eundem ferme ſenſum, diverſis in locis concionatum eſſe
ſic nulla erit difficultas. Atque fieri poteſt ut Chriſtus ita fecerit, quia nullibi dicitur
Chriſtum ſemel tantum ita verba ad populum feciſſe.

5. Matth. 5. 17, 18, 19 Chriſtus dicit, ſe non veniſſe ut Legem abroget, ſed ut
eam impleat: cum tamen non modo Chriſtiani eam non ſervent, ſed & Paulus ex-
preſſe dicat Gal. 5. 2, 3, ſi Legem obſervent, circumciſionem recipiendo, ſe ad Le-
gis obſervationem conſtringentes, Chriſtum ipſis non fore utilem.

Primo reſpondeo, abrogationem ſive diſſolutionem Legis, non Gentiles (qui
nunquam ad Legis obſervationem a Deo fuerunt obligati) ſed ſolos Judæos reſpicere,
idque non diutius, quam in Regione Iſraëlitica habitare vellent vel poſſent, cui Le-
gis obſervatio alligata erat. Cum vero Chriſtiani ex Judæis & Gentibus eſſent colli-
gendi & collecti ſint, qui ſic permixti non amplius populus Judaïcus appellari poſſint,
præſertim cum Templum una cum urbe Jeruſalem & tota Judæa eſſent exſcindenda,
neceſſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

eceſſario literalis Legis obſervatio ceſſare debuit. Ad hujus igitur nodi ſolutionem ufficit, ſi oſtendi non poſſit, Chriſtum unquam Judæos docuiſſe, ne Legem obſer-arent. Paulus autem non Judæis, ſed Gentilibus loquitur, quando eos Legem ob-ervare vetat. Inquirendum prætereà eſt, quid voce καταλῦσαι indicare voluerit Chri-tus: cum enim Dominus mox ſubjicit: *quicunque igitur unum ex mandatis his minimis iſſolverit, hominesque ita docuerit, minor vocabitur in Regno cœlorum*, apparet per vocem tam non abrogationem, ſed tranſgreſſionem & rejectionem, tanquam Legis a Deo ion profectæ, denotari: quo ſenſu eadem vox accipitur Joh. 5. 18. x. 35 in ſimili enitus locutione. Quamvis autem Chriſtus ſuis legalium literalem obſervationem on injunxerit, in eo tamen nihil Legi contrarium fecit, non tantum ob indicatas nodo rationes, verum etiam quia præcepta iſta unbræ tantum & typi rerum ſpiritua-ium fuerunt, quæ cum quis obſervat, næ is meliori jure Legis obſervator cenſeri lebet, quam is qui literam Legis. Adde quod Sacrificia, propter Judæorum ſum-nam pervicaciam, fatentibus ipſis Judæis (vide Conciliat. *Manaſſis* pag. 181 & ſeqq.) ræter intentionem Dei ſint præſcripta, quia alias ab idolorum cultu revelli non po-uerunt, idque ex ſumma indignatione a Deo factum eſt. Quare cum eos ex Ægypto duxiſſet, nulla Sacrificia præſcripſit. Quæ omnia Jer. 7. 22 & ſeqq. Ezech. 20 a erſu 5 ad 27, imprimis vero verſu 24, 25 apertiſſime indicantur.

6. Matth. 5. 22 Chriſtus dicit, eum qui fratri ſuo dicit, *fatue!* reum eſſe Gehen-ię ignis. Paulus tamen 1 Cor. 15. 36 & Jacobus cap. 2. 20 id fecerunt.

Sed conciliatio facilis eſt: Chriſtus enim non interdicit iſtius vocis uſum, ſed antum, ne quis ex injuſta in fratrem ira, eum conviciis proſcindat, & convicia con-iciis accumulet. Quod duo iſti Apoſtoli minime fecerunt. Chriſtus enim, cum ait, qui dicit fratri ſuo *fatue*, vel *raka*, non ſimpliciter de vocibus iſtis agit, ſed ex verſu ręcedente ſubintelligi debet, fratri ſuo temere iratus.

7. Matth. 5. 34 Chriſtus omne juramentum prohibet, cum tamen Paulus aliquo-ies juraverit Rom. 1. 9. IX. 1. 1 Cor. 15. 31. 2 Cor. 1. 23. XI. 31. Galat. 1. 20 & alibi.

Cum Chriſtus pręceptum ſuum de non jurando, non pręcepto Legis, de jurando per nomen Dei, ſed tantum præcepto de juramentis promiſſoriis ſive votivis opponat Num. 30. 2, cujus loci verba recenſet, iisque ſuum mandatum opponit, apparet Chriſtum non omne jusjurandum, ſed illud tantum quo vota Deo nuncupantur, in-terdicere. Adeo ut nec Chriſtus, nec Apoſtoli, de re præterita vel pręſenti (in qua error non committi poterat, nec ullum periculum jurisjurandi violationis erat) juran-tes, nihil huic pręcepto contrarium fecerint.

8. Matth. 5. 43 Chriſtus affirmat, Antiquis ſive Iſraëlitis in Lege dictum fuiſſe, *proximum tuum diliges, & odio habebis inimicum tuum*, cum tamen in Lege Moſis, non modo tale præceptum non reperiatur, ſed plane contrarium Exod. 23. 4.

Cum in Lege Moſis præcipitur, ut inimicum diligant, apertum eſt id de inimico Iſraëlita intelligi, prout ex Levit. 19. 18 apparet, quos pro hoſtibus habere vel odiſſe, quamdiu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quamdiu jure civitatis, per capitale crimen non exciderant, minime erat licitu
Inimici vero Iſraëlitarum erant omnes quos Deus abſque miſericordia occidi, &
ternecione deleri juſſerat, quales erant *Chananæi*, *Amalecitæ*, *Ammonitæ* & *Moabit*
Dei oſores, idololatræ, blaſphemi, homicidę, adulteri, aliique id genus malefi
in quos odium irreconciliabile exercere Deus expreſſe præcepit Exod. 34. 1, 11,
Deut. 7. 1, 2. XXI. 17, 18, 19. XXIII. 3, 6, 11. Pſal. 139. 21, 22. Deut. 13.
Levit. 24. 14, 15, 16. Num. 35. 30, 31. Levit. 18. 20, 29. XX. 10. Deut. 22. 2
Quamvis igitur iiſdem literis & ſyllabis expreſſum non legatur *odio habebis inimicum*
hoc nullam difficultatem parit, cum ſenſum toties & tam expreſſe legamus.

9. Matth. 5. 44 Chriſtus imperat, ut pro malefacientibus nobis Deum orem
Paulus tamen 2 Tim. 4. 14 Alexandro fabro ærario dira imprecatur, dicens: Alexa
der multa in me mala commiſit, Deus ei ſecundum ipſius opera remuneretur! Q
manifeſta videtur eſſe imprecatio.

Cum imprecatio, prout ipſum vocabulum indicat, nihil aliud ſit, quam optare alic
malum, idque abſque ulla conditione, & quidem verbis aſperioribus, animoque i
æſtuanti, merito negari poteſt, ullam in poſteriori loco imprecationem eſſe, ſe
modeſtam tantum ad divinum judicium provocationem, cui committatur ſentent
pronunciatio, quid homo in nos injurius promeritus ſit, vel poſtmodum promerit
rus ſit, pœnam an condonationem. Dicimus itaque Paulum Alexandro nihil imprec
ri, ſed tantum niſi reſipiſcat, Deo, ſive vindictam, ſive facti excuſationem, cuj
judicium Paulus ſibi ſumere recuſat, committere. Et ſic nulla hic ſupereſt difficulta
Adde quod non deſint exemplaria, quæ expreſſe pro *reddat*, *reddet* legunt.

9. Matth. 6. 19 Chriſtus dicit, *ne colligite vobis theſauros in terra*. Contra Paul
2 Cor. 12. 14, *liberi pro parentibus non tenentur theſauros colligere*, *ſed parentes pro liber*

Si per theſauros utrobiqe idem ſignificaretur, nulla tamen eſſet pugna. Quia Chr
ſtus poſſet dici prohibuiſſe theſaurorum collectionem pro ſeipſo, Paulus vero eam pr
liberis, non pro ſeſe inſtitui debere aſſereret. Et tali reſponſo Chriſtianæ Religion
adverſariis ſatiſfactum eſt. Sed ſi quis forte inſtet & urgeat, non tantum Chriſtum
ſed ipſum etiam Paulum docere, nec pro liberis theſauros eſſe colligendos, & ſic ver
ba ipſius, nec cum ſua propria, nec cum Chriſti doctrina convenire. Huic reſpon
debo, ex ipſis textus circumſtantiis facile perſpici poſſe, Paulum 2 Cor. 12 non i
velle, ut parentes pro liberis divitias colligant, ſed tantum de eo agere quod apu
homines obtinet. Et præterea per theſauros non intelligere aliud quam victum & ne
ceſſaria vitæ ſubſidia, de quibus toto capite agit.

11. Matth. 8. 1 dicitur centurionem ad Jeſum veniſſe, eumque ut ſervum ſuum
ſanaret rogaſſe. At Luc. 7. 2 dicitur Judæos a centurione miſſos fuiſſe, centurionem
vero non veniſſe ad Jeſum.

In quo nulla eſt contrarietas, quandoquidem Matthæus centurioni tribuit, quod pe
amicos ſuos dixit & fecit, modo loquendi omnibus hominibus admodum familiari
Eadem eſt conciliatio Matth. 20. 20, cum Marc. 10. 35.

12. Matth.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

12. Matth. 8. 28 Matthæus duos dęmoniacos, Lucas cap. 8. 26 unum Jeſu occurriſſe refert.

At hæc non contraria, ſed tantum diverſa ſunt, & a Matthæo accuratius quam a Luca hiſtoria iſta deſcribitur. Lucas enim non dicit non plures uno fuiſſe. Unum autem potuit dixiſſe, quia unus præcipuus, & alterius incentor fuerit, alter vero tantum ipſi comes, & non adeo ſævus. Eodem modo conciliantur Math. 20. 29 cum Mar. 10. 46.

13. Matth. 9. 18 dicitur, quod Jaïri filia, cum ipſe Jeſum ſupplicans accederet, obierit. Contra Marc. 5. 22, quod lethaliter ægrotaret.

Uterque rem prout geſta eſt narrat. Ex Marco enim conſtat, cum primo Jeſum accederet Jaïrus, filiam ipſius in mortis agone verſaſſe, & dum cum Jeſu ſermones miſcet, ipſi nunciatum fuiſſe, filiam exſpiraſſe. Atque Jaïrus, prius à Chriſto in ſpem erectus, ut Marcus cap. 5. 35, 36 ait, oraſſe ut eam in vitam revocaret, quod poſterius ſolum à Matthæo deſcribitur.

14. Matth. 10. 34, 35 & Luc. 12. 51 Chriſtus dicit, ſe non veniſſe ut pacem det in terra, cum tamen Eſa. 2. 4. Zach. 9. 10 Meſſias dicatur pacem in orbe terrarum allaturus eſſe.

Hæc inter ſe minime pugnant: Prophetæ enim de pace agunt, quam Meſſias populis & regnis inter ſeſe conciliaturus eſſet: Chriſtus autem de pace inter ejuſdem familiæ domeſticos, quod citata loca inſpicienti eſt manifeſtum. Atque hoc reſponſo contrarietatem inter iſta loca penitus ſuſtulimus. Si quis vero inſtet, Chriſtum pacem ab Eſaia prædictam, in mundo nunquam ſtabiliviſſe, is primo conſideret, prædictiones iſtas prȩſupponere, Judæos Meſſiam pro ſuo Rege agnituros. Quod cum nondum fecerint, pax iſta minime exſpectanda fuit. Cum vero Chriſtus ſe rediturum, & per totum mundum pacem daturum promiſerit (quod tum demum futurum eſſe indicatur Rom. XI, cum Iſraëlitȩ illum pro Meſſia agnoſcent) non eſt quod quis cauſetur, Prophetias iſtas nondum complementum ſuum eſſe ſortitas. De iſtiuſmodi vero prædictionibus videatur dicta Brenii diſputatio pag. 74 & ſeqq. & pag. 89 in Fol.

15. Matth. XI. 30 Chriſtus jugum ſuum dulce, & onus ſuum leve appellat. Cum tamen cap. 7. 13, 14 prȩcepta ſua anguſtam portam, & viam quam pauci ingrediantur, vocet, & cap. 19. 24 dicat, divites difficilius in Regnum cælorum ingredi, quam camelum per foramen acus. Præter difficillima iſta de cupiditatum naturalium, & vitæ ipſius abnegatione, mandata. Quæ profecto onus graviſſimum, ne dicam intolerabile eſſe, nemo negare poteſt.

Chriſti præcepta eſſe difficillima, & nemini niſi qui Dei Spiritu ſuſtentatur, præſtitu poſſibilia, omnino certum eſt. Quare diſpiciendum eſt, an iſta tamen non poſſint ſuavia & levia dici. Quod nemo negare poterit, ſi non tantum animo reputet, auxilium Spiritus Sancti, fidelibus promiſſum, ſed præcipue promiſſa vitæ æternæ, cuivis Chriſtiano oranti eſſe parata. Quæ profecto adeo ſunt excellentia, ut nihil tam difficile à nobis poſtulari poſſit, quod illa non facillimum reddant. Quid quod appel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

latio *jugi & oneris*, præceptorum difficultatem non obſcure indicet, quæ tantis pr miis levia & dulcia redduntur.

16. Matth. 15. 10. Marc. 7. 7 Chriſtus dicit, Deum fruſtra mandatis hominu coli. Petrus tamen 1 Pet. 2. 13 jubet, ut omni humanæ ordinationi pareamus.

Petrus dicit πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, *omni humanæ creaturæ*, id eſt magiſtratui, cuj mandatis in rebus civilibus obedire tenemur. Chriſtus vero de Dei cultu loquitur, i quo nullis hominum mandatis obſtricti ſumus.

17. Matth. 16. 4 Chriſtus Phariſæis ſignum e cœlo petentibus dixit, ſignum Jo næ, nec aliud ullum ipſis dandum eſſe. At Marc. 8. 12 nullum ipſis ſignum datum i affirmat. Cum tamen omnes circumſtantiæ, eandem utrobique hiſtoriam deſcribi aperte evincant.

Nulla omnino eſt contrarietas. Uterque enim negat Chriſtum ſignum e cęlo, qual poſtulabant, dare voluiſſe. Cum vero Matthæus referat, ſignum Jonæ ipſis fuiſſ promiſſum, non indicat ſignum ipſis fuiſſe conceſſum: ſignum enim Jonæ non era illis tunc ſignum, multo minus quale poſtulaverant. Petierant enim ſignum e cœlo quale videlicet Joſua ediderat, lumen ſolare per 24 horas terram illuſtrans, aut aliu ſimile. Cum ergo Marcus dicit, Chriſtum dixiſſe, nullum ſignum ipſis datum iri id optime de tali ſigno quale petierant, e cœlo videlicet, intelligi poteſt. Nec etiam Chriſtus apud Marcum dicit, nullum ſignum ipſis eſſe dandum; ſed tantum, *ſi dabitur ipſis ſignum*, quale nimirum petierunt e cœlo.

18. Matth. 21. 40, 41 dicitur Chriſtum Judæos interrogaſſe, in parabola de vinea, quid vineæ Dominus agricolis, qui filium ipſius interfecerant, & legatos male exceperant, eſſet facturus: Judæos autem reſpondiſſe, quod impios iſtos trucidaturus, & vineam melioribus agricolis conceſſurus eſſet. Sed Luc. 20. 15, 16 ipſe Chriſtus id dixiſſe refertur.

Si quis omnes circumſtantias, quas uterque Euangeliſta narrat, conſideret, videbit fieri poſſe, ut prius Judæi, deinde ipſe Chriſtus iſtam ſententiam pronunciaverint. Et cum Chriſtus prius ipſos interrogaſſet, quid cum iſtis latronibus agricolis, vineæ dominus eſſet acturus, illi vero reſpondiſſent, ipſum eos male mulctaturum, Chriſtus eorum reſponſum, prout Lucas refert, ita repetiiſſe, ut ſtatim intellexerint in ſe iſtud telum eſſe directum, & omen a ſe averterint, dicentes, *abſit iſtud*. Et ſic omnia optime conſtabunt, & uterque Euangeliſta rem prout geſta eſt retulerit, ſed alteruter aliquid quod alter dixit, omiſerit.

19. Matth. 23. 25 Chriſtus dicit, Judæos interfeciſſe Zachariam filium Barachiæ. Cum tamen 2 Chron. 24. 10, non Barachiæ, ſed Jojadæ filium fuiſſe Zachariam iſtum ſcriptum ſit.

Fuſius hanc quæſtionem tractat *Brenius* contra Judæos pag. 89, 90, ad quem Lectorem remittimus. Is enim exiſtimat (quod falſum eſſe oſtendi nequit) Jojadam binominem fuiſſe, & nomen Barachiæ etiam habuiſſe. Idque tanto magis veriſimile eſt, quia *Jojada* & *Barachias* vocabula ſunt ejuſdem ſignificationis, utrumque enim bene-

dictum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

dictum notat. Quare facile fieri poteſt, ut utroque nomine fuerit appellatus.

20. Matth. 26. 6 & Mar. 14. 3 narratur, fœminam iſtam caput Chriſti unxiſſe, Lucas vero eam pedes ejus unxiſſe refert cap. 7. 37.

Qui nodus facile ſolvitur, ſi dicamus fœminam iſtam bis Jeſum in eadem domo unxiſſe, quod non modo diverſæ iſtæ circumſtantiæ, ſed & occaſio diverſa facti, ſuadent. Conferatur *Brenius* in Lucam cap. 7. 37. Ex Matthæo enim, Marco & Johanne cap. 12. 3 apparet, unctionem quam illi referunt, paulo ante Chriſti mortem à Maria, Lazari ſorore, eſſe peractam, in qua nec de pedibus unguento iſto delibutis, nec de cȩteris quas Lucas memorat circumſtantiis, quidquam accidiſſe apparet. Quid quod Johannes, qui idem iſtud factum cap. 12. 3 recenſet, cap. xi. 2 expreſſe indicare videtur, eandem Mariam ante iſtud tempus adhuc ſemel Chriſtum unxiſſe, oleo videlicet & lacrymis, idque non caput, ſed pedes. Quod ex Luc. 7. 3 (qui ſolus iſtam hiſtoriam narrat) apparet, non multo poſt initium prædicationis Jeſu accidiſſe, vivente adhuc fere Johanne Baptiſta verſu 18, & ante omnia iſta quæ Lucas poſtmodum toto ferme libro ſuo, a Jeſu perpetrata eſſe memoriæ prodidit, prout ex cap. 8. 1 eſt manifeſtum.

21. Matth. 26. 23 hoc ſigno proditorem Jeſus indicat, quod manum in patinam ſecum intingeret. Sed Joh. 13. 26 eum fore, cui offam intinctam daret.

Omnino credibile eſt Chriſtum bis ſignum indicaſſe, ſemel ab omnibus aperte, ſemel a Johanne clanculum vel ſubmiſſa voce interrogatus, prout ex Matth. 26. 22 & Joh. 13. 24, 25 evidenter conſtat, ubi prius a Matthæo, poſterius a Johanne expreſſum reperias.

22. Matth. 26. 17, 19, 20 Chriſtus dicitur Paſcha cum diſcipulis ſuis celebraſſe die Paraſceues. Contra Lucas illum iſto die ſepultum eſſe teſtari videtur cap. 23. 54, idque ante tempus veſpertinum, quo Agnus comedi ſolebat, & a Matthæo Chriſtum iſtud comediſſe aſſeritur.

Cujus nodi ſolutionem apud *Brenium* in Amica diſput. pag. 86 Lector reperiet. Sed lubet hic conciliationem, quæ cæteris longe ſimplicior, & cum veritate magis conſona eſſe videtur, adjicere. Ea ſic eſt. Matth. 26. 17 dicitur diſcipulos τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων prima azymorum Jeſum, interrogaſſe ubi vellet ut ipſi Agnum Paſchalem pararent? Quod certum eſt fieri debuiſſe ante tempus, quo iſtud comedi debebat. Jam ex Exod. cap. 12. 6, 8, & Judæorum conſtanti & perpetua praxi conſtat, agnum mactari debuiſſe inter duas veſperas, id eſt intra tertiam & nonam pomeridianam, noctu vero comedi, id eſt poſt horam nonam. Conſtat etiam Judæos diem non a matutino tempore, quemadmodum nos, ſed a veſpertino inchoare. Ex quo manifeſtum eſt, Matthæum per πρώτην τῶν ἀζύμων diem Jovis intelligere, ſive diem quæ primum diem Azymorum præcedebat, quod non tantum Græcæ voces permittunt, ſed & res ipſa poſtulat. Hoc ſi recte intelligatur, res per ſe manifeſta erit. Chriſtus enim noctu poſt noſtrum diem Jovis, qui apud Judæos diei Veneris eſt pars prior, Paſchalem agnum comedit, & ipſo die Veneris, qui reſpectu Sabbati dies eſt Paraſceues,

una cum precedente veſpera & nocte, eſt crucifixus, referente Luca cap. 23. 5.
Et ſic Chriſtus diei Paraſceues priori parte, ſive veſperi, Paſcha comedit, & ejuſdem diei parte poſteriori, id eſt ipſo diurno tempore, quem nos diem Veneris appellamus, crucifixus eſt. Quæ conciliatio, ſive Paſcha tum fuerit tranſlatum in diem ſequentem (more apud Judæos uſitato, quando primus Paſchatis dies in diem Veneris incideret, quod eo tempore Judæi accidiſſe tradunt) ſive minus, omnes difficultates exhaurit, excepta unica, quod Joh. 18. 28 referatur, Judæos prætorium ingredi noluiſſe, *ut comederent Paſcha*, quaſi eo die quo Chriſtus cruci erat affigendus agnus Paſchalis demum comedi deberet. Hanc objectionem alii recte ſolverunt, affirmantes per *Paſcha* a Johanne intelligi potuiſſe hoſtias, quas ſeptem diebus feſti Iſraëlitas offerre & comedere fuiſſe ſolitos, ex 2 Chron. 35. 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 1. conſtat.

23. Matth. 27. 44 dicitur latrones Chriſto convicia dediſſe. At Luc. 23. 39 alter tantum latronum id feciſſe narratur.

In quo nulla eſt contrarietas. Matthęus enim indefinite de latronibus iſtud dicit non vero utrumque id feciſſe. Lucas vero rem accuratius exponit. Similes locutiones reperias Gen. 19. 29. Jonę 1. 5. Luc. 17. 14. XXIII. 36. Joh. 19. 29. Eſtque Enallage numeri pluralis pro ſingulari, apud prophanos autores, & in vulgari ſermone ſatis frequens.

24. Mar. 2. 26 Chriſtus dicit, Davidem tempore Sacerdotii Abjatharis panes propoſitionis comediſſe. Quod 1 Sam. 21. 1 ſub Achimelechi Sacerdotio factum eſſe memoratur.

Difficultas hæc a Belgicis Interpretibus optime ſolvitur. Oſtendunt enim utrumque vera dicere: cum Abjathar etiam Achimelech, & Achimelech Abjathar fuerit appellatus. Quod inde apparet, quia 2 Sam. 8. 17. & 1 Chron. 24. 1 Achimelech Abjatharis filius vocetur, idque poſtquam Achimelech a Saule eſſet interemtus, qui idem Achimelech 1 Sam. 21. 1 coll. cum cap. 22. 20, 21 Abjatharis pater appellatur. Ex quo manifeſtum eſt, utrumque idem nomen geſſiſſe, & nec Chriſtum, nec libri Samuelis ſcriptorem, in nomine Abjatharis vel Achimelechi erraſſe. Et cum id ad minimum verum eſſe potuerit, non eſt quod hic contrarietas demonſtrari poſſit.

25. Mar. 16. 5 dicitur unum Angelum mulieribus fuiſſe conſpectum. At Lucas cap. 24. 4, duos.

Hujus nodi ſolutionem, una cum reliquorum in eadem hiſtoria difficultatum accurata explanatione, vide apud *Brenium* pag. 87 *in Amica diſputatione*. Ea autem huc redit, quod Euangeliſtæ, in deſcribendo itinere mulierum ad ſepulcrum Chriſti, non omnes plane idem iter intellexerint. Fieri enim potuit (quod diverſę apud Euangeliſtas circumſtantiæ non parum confirmant) ut mulieres iſtæ non ſemel, idque non ſemper omnes ſimul, ſed ſemel ſimul, poſtea nunc hæc, nunc illa ſola; nunc una, duæ, treſve ſimul; hæc ſemel, alia bis terve, ad ſepulcrum itaverint, & ſic alteri unus, alteri duo Angeli, alteri Chriſtus ipſe, alteri nec Angelus, nec Chriſtus conſpectus fuerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

26. Luc. 4. 25 & Jac. 5. 17 dicitur, tribus annis & ſex menſibus non pluiſſe, cum tamen 1 Reg. 18. 1 nondum tres anni videantur effluxiſſe, cum plueret.

Liber Regum dicit, poſt multos dies anno tertio Deum Eliæ indicaſſe, ſe pluviam daturum, & poſt illud tempus multa adhuc interceſſiſſe apparet, videlicet quod Achab & Obadias per totum regnum aquas quæſiverint, congregatio omnium prophetarum Baalaticorum, concertatio de vero Dei cultu, & alia multa: adeo ut ex iſta hiſtoria minime probari poſſit, ante tres annos cum dimidio pluviam de cœlo decidiſſe.

27. Joh. 1. 21 Johannes aperte negat ſe eſſe Eliam. Contra Chriſtus Matth. xi. 14 dicit, Johannem eſſe Eliam, qui venturus erat.

Cum Johannes Judęorum legatis reſpondet, ſe non eſſe Eliam, manifeſtum eſt eos de Eliæ perſona proprie loquendo interrogaſſe: illum enim venturum in hunc uſque diem credunt Iſraëlitę. Eo autem ſenſu negabat Johannes, ſe Eliam eſſe. Chriſtus autem ipſum Eliam appellat eo ſenſu, quem Lucas cap. 1. 17 indicat, quod ſcilicet in ſpiritu & virtute Eliæ venerit, negatque Eliam illum, olim defunctum, proprie loquendo venturum; ſed tantum figurate loquendo. Adeo ut hæc minime ſint contraria.

28. Joh. 10. 17, 18 Chriſtus dicit: *Ideo me pater diligit, quia pono animam meam, ut rurſum eam capiam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo. Poteſtatem habeo eam ponere, & poteſtatem habeo eam rurſum ſumere.* Contra Lucas Act. 2. 32 teſtatur, Deum excitaſſe Jeſum à mortuis. Confer Act. 3. 26. Rom. 6. 4.

Si in primo loco vox λαμβάνειν vertatur *accipere* (quę non minus propria ejus eſt ſignificatio quam *capere, ſumere*) tum nihil aliud Chriſtus dicit, quam neminem poſſe ſibi invito vitam eripere, ſeque à Deo *jus* accepiſſe (ita enim verti debet vox ἐξουσία) ut, ſi ſponte vitam deponat (quod in ejus arbitrio erat conſtitutum) eam à Deo ſit recepturus, tum facile concilientur iſta loca.

29. Act. 7. 4 Jacobus in Ægypto fuiſſe dicitur cum ſeptuaginta quinque animabus. Cum Gen. 46. 26, 27 & alibi, ſeptuaginta tantum numerentur.

Ut duo iſta loca concilientur, animadvertendum non plane idem utrumque ſcriptorem velle. In libro enim Geneſeos expreſſe indicatur, illos tantum recenſeri, qui ex ipſo Jacobo erant progeniti: verſu enim 26 dicitur: *omnes animæ cum Jacobo in Ægyptum venientes,* N. B. *de femore ipſius egreſſæ.* Idem dicitur Exod. 1. 5. Stephanus autem Act. 7. 14 de iſtis omnibus expreſſe loquitur, quos Joſeph ex terra Chananæa in Ægyptum adduci juſſerit, inter quos non tantum numerandæ ſunt filiorum Jacobi undecim uxores, quæ Gen. 46. 26 expreſſe ex illius ſcriptoris numero ſecluduntur, ſed etiam ipſe Joſephus, cum duobus ipſius filiis, nec non duobus Judæ filiis, in terra Palæſtina defunctis, Er videlicet & Onane. Quibus ſi etiam Simeon annumeretur, quem Joſephus a principio captivum apud ſe detinuerat Gen. 42. 24, & fortaſſis etiam uſque ad totius familię ſuę adventum apud ſe comitem retinuit (quod ſane valde veriſimile eſſe quivis facile videt, ſaltem id fieri potuiſſe nemo negare poteſt, ut vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

delicet Joſephus eos tantum ad patrem ſuum arceſſendum miſerit, qui tum ſimul ab ad ſe venerant, & Simeonem, quem jam per tot menſes apud ſe detinuerat duri cule, nunc ſuavem tantiſper comitem penes ſe munifice detineret) ſic apud Lucam Actis de numero ſeptuagenario, quem Hebraïcus Geneſeos, Exodi & Deuteronom textus deſignat (Græcus enim duobus prioribus libris etiam habet 75, quamvis, arbitror, mendoſe) ſex erunt detrahendi, in quorum locum undecim uxores filioru Jacobi ſuccedentes, exacte numerum 75 conficiunt. Et ſic utrobique accuratus n merus erit expreſſus.

30. Act. 7. 16 Stephanus tria dicit. 1. Abrahamum mercatum eſſe ſepulcru iſtud, in quo Patriarchæ ſepulti ſunt, cum tamen Gen. 33. 19 legamus, Jacobu agrum iſtum emiſſe. 2. Jacobum una cum Patriarchis Sichemi eſſe ſepultum, qui t men Gen. 49. 30, 31, coll. cum cap. 23. 2, 17 Hebrone eſt ſepultus. 3. Emmor a ipſo filius Sichemi videtur appellari, qui tamen ipſius fuit pater Gen. 33. 19.

Quod ad primum attinet, ſi concederem in voce *Abraham* errorem eſſe commiſſum illamque in deſcribendo ab aliquo eſſe adjectam, nihil iſtud faceret ad minuenda Scriptoris, vel ipſius Stephani authoritatem. Non potuit enim iſtiuſmodi error Luca vel ipſo Stephano (qui totam Veteris Inſtrumenti hiſtoriam optime callebant quod hæc ipſa oratio abunde teſtatur) eſſe commiſſus, in re adeo nota. Nec etia fallendi animo hiſtoriam perperam recenſere potuerunt, cum in eo nullum cauſ ſuę præſidium poſitum ſit, præſertim coram illis, qui eos e veſtigio mendacii arguer poterant. Errores autem iſtiuſmodi in omnibus authoribus Antiquis à deſcriptoribu commiſſi, apud neminem quidquam ipſorum authoritati detrahunt. Videtur autem ut & hoc nunc adjiciam, in Patriarcharum ſepultura aliquid accidiſſe, quod obſcu ritatem illis, qui rem prout geſta eſt non accurate ſciunt, pariat, quoſdam videli cet eorum in ſepulcro quod Abrahamus Hebrone emerat, prius eſſe ſepultos Gen. 50. 13, poſtea vero, cum Iſraëlitæ terram Chananæam occupaſſent, oſſa quorun dam una cum oſſibus Joſephi, Sichemum eſſe tranſportata Joſ. 24. 32. Quæ con jectura ex eo confirmatur, quod *Hieronymus* de *Paula* referat, eam peregrinantem, inſcriptiones ſepulcrorum Patriarcharum *Sichemi* vidiſſe. *Flavius Joſephus* autem, *Antiq.* lib. 2. cap. 4 dicit, eorum ſepulcra Hebrone eſſe. Quod utrumque eo quo dictum eſt modo verum eſſe potuit; non vero omnes Patriarchas Sichemi ſepultos eſſe, Stephani verba aperte indicare videntur. Non enim dicit καὶ ἐτάφησαν ἐν Συχὲμ *& Sepulti ſunt Sichemi*, ſed καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ *& tranſpoſiti* vel *tranſportati* ſunt Sichemum. Adeo ut Stephanus ſcriptoribus Veteris Fœderis minime ſit adverſus. Non enim dicit ubi omnes ſepulti fuerint, ſed ubi partim tranſportati, partim ſepulti ſunt. Cujus contrarium neutiquam oſtendi poteſt. Et ſic verba Stephani, *& tranſlati ſunt Sichemum, & poſiti ſunt in monumento quod emit* ſcil. Jacobus &c, duas diverſas relationes continebunt, quoſdam videlicet Patriarcharum Sichemi, quoſdam Hebrone eſſe ſepultos. Et ſic prima difficultas penitus erit ſublata, una cum ſecunda.

Reſtat tertia, de Emmore filio Sichemi. Quæ nulla plane eſt: quamvis enim frequenter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

requenter in genitivis iſtiuſmodi vox *filii* ſubintelligatur, non deſunt tamen exemla, tam in S. Scriptura, quam apud prophanos authores, in quibus vel vox *matris* el *patris* ſubaudiri debet. Sic Luc. 24. 10 Μαρία Ἰακώβου *Maria Jacobi* ſcilicet *mater*, non filia, prout non tantum ex Mar. 15. 40, ſed etiam ex Syriaca & Arabica verſione conſtat, quę Luc. 24. 10 vocem matris etiam exprimunt. *Herodotus* in Clio dicit δρηστος ὁ Γορδίεω τοῦ Μίδεω *Adraſtus Gordiæi* ſcil nepos, *qui Midæ fuit pater*. In *Ælian*. lib. 13. 30 Ὀλυμπιὰς ἡ Ἀλεξάνδρου *Olympias* mater *Alexandri*. *H. Stephanus* in voce Δαίδαλα citat Δαιδάλου ὁ Ἰκάρου *Dædalo* patre *Icari* & ſimilia alibi occurrunt. Quocirca hic locus à multis ita redditus eſt: *Emmor patris Sichem*. Et hoc pacto locus iſte conciliari poteſt. Quod autem ocus hic in deſcribendo ſit mutatus, ex Syriaca illa vetuſtiſſima verſione non obſcure colligitur: ea enim ſic verba hæc reddit: *Et deſcendit Jacob in Ægyptum, defunctuſque eſt* N.B. *illic ipſe & patres noſtri, & tranſlatus eſt* (pro eo quod hic eſt *& tranſlati ſunt*) *n Sychem, & poſitus eſt in ſepulcro* (in Græco eſt *& poſiti ſunt*) *quod emerat Abraham argento à filiis Hemor*, omiſſa voce τοῦ Συχὲμ filii vel patris Sichemi. In qua lectione, ſi vox Abraham omittatur, neceſſario *Jacob* ſubaudiendus erit ex verſu 15. Et tum nihil aliud reſtaret, quam conjectura, quod cadaver ſive oſſa Jacobi, prius Hebrone epulta, poſtmodum Sichemum ſint delata. Et ſic omnia erunt plana, cum ſenſum ſtum verba ejus plane admittant. Delata autem illuc eſſe potuerunt, cum Joſephi oſſa ibidem terræ mandarentur.

31. Act. 9. 7 dicitur, Pauli comites vocem quæ ei loquebatur, audiviſſe, ſed neminem vidiſſe. Contra cap. 22. 9 dicitur, illos vocem quæ Paulo loquebatur non audiviſſe.

Paulus à Pontificibus in mandatis habebat, Chriſtianos captivos Hieroſolymam abducere. Quocirca veriſimile eſt comitatum fuiſſe à Romanis militibus, qui Hebraïcam linguam minime callebant. Cum vero Hebræis ſit familiare, *audiendi* vocem pro *intelligere* frequenter uſurpare, omnino veriſimile eſt, alterutro locorum eam ita accipi debere, quemadmodum Joh. 12. 29. Vide Gen. 42. 23. 2 Chron. 26. 28. Eſa. 36. 11. Jer. 5. 15. Matth. 7. 24, 26. Luc. 6. 47, 49. 1 Cor. 14. 2 in Græco. Et ſic in ſecundo loco Paulus indicabit comites ſuos, quamvis ſonitum quendam auribus perceperint, & forte voces aliquas proferri, nec tamen earum ſenſum, cum linguam Hebraicam non intelligerent, percepiſſe.

32. Actor. 13. 21 dicitur Saul quadraginta annis regnaſſe. Cum 1 Sam. 13. 1 biennio tantum regnaſſe dicatur.

De conciliatione horum locorum videatur *Brenii* diſputatio pag. 91, 92. Conciliationis autem ſumma in eo conſiſtit, quod plane falſum ſit, in libro Samuelis numerum annorum quibus Saul imperium in Iſraëlitas obtinuit, definiri. Nihil enim aliud ibidem dicitur, quam eum biennio tum regnaſſe, cum tria illa ſatellitum millia eligeret. Et cum non poſſit oſtendi, Saulem paucioribus quam quadraginta annis, quot hic Stephanus ei aſſignat, regnum obtinuiſſe, non eſt quod hic repugnantiam obtendamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

33. Act. 15. 20 Apoſtoli præcipiunt, ut Chriſtiani ab idolothytis, ſanguine ſuffocato abſtineant. Paulus contra 1 Cor. 10. 25, 27 iſtorum eſum Chriſtian concedit.

Iſtorum locorum novam, ſed egregiam reconciliationem excogitavit editor belli, Belgico idiomate anno 1672 excuſi, cui titulus eſt, **Schriftuurlijke waa dering van het heedensdaagſe Prediken en Kerkgaan &c** / in hunc ferme ſe ſum, quod videlicet Paulus 1 Cor. 10 nihil eorum comedere permittat, quæ Ap ſtoli Act. cap. 15 ne quis comedat prohibuerunt. Oſtendit enim Apoſtolos ibi n ſimpliciter abſtinentiam à ſanguine & ſuffocato injungere, ſed tantum quatenus i idolis immolata, in eorum honorem comedebantur. Quapropter ipſorum interdictu iſtiuſmodi verbis ſit conceptum, ut iſtum ſenſum clariſſime indicare videatur. D cunt enim verſu 20 ſe injungere, ut Chriſtiani abſtineant *ab illis quæ per idola ſunt co taminata, & ab iſto ſanguine, & ab iſto ſuffocato* (ſic enim verba Græce ſonant) q ſanguis & quod ſuffocatum ipſum erat idolothytum. Quandoquidem gentiles, cu animalia ad Sacrificia mactarent, prius ea mallei ictu in terram proſternerent, tanto commodius, & minori cum ſtrepitu occidi poſſent, & de ſanguinis ſeparatio non admodum eſſent ſolliciti, adeo ut ipſorum Sacrificia non poſſent comedi, ni ſimul ſanguis & ſuffocatum aſſumeretur. Oſtendit ſimul iſtius ſcripti editor, ipſa ſcortationem ad Sacrificia & religionem Paganorum pertinuiſſe. Adeo ut Apoſto illic loci nil niſi idololatriæ, cum omnibus quæ ad eam pertinebant communionem Chriſtianis interdixerint. Cum quibus optime conveniunt ea quæ Paulus 1 Cor. 10 14, 16 prohibet, videlicet epula idololatrica, una cum ſcortatione. A quibus poſte verſu 25, 27 carnes in Macello coëmtas, & in privatis Ethnicorum conviviis appo ſitas, aperte diſtinguit. Additque editor, ejuſdem Apoſtoli verba verſu 28, ut, quis in convivio Chriſtianis ſignificet, carnes appoſitas idolothyton eſſe, ne iis tu veſcantur, ita eſſe accipienda, (ita ſaltem accipi poſſe negari non poteſt) quod qui indicet, epulum iſtud in idolorum honorem eſſe inſtitutum, carneſque appoſitas e Sacrificio idololatrico domum ab hoſpite abductas, ejus eſſe partem. Cum id apu Ethnicos novum non fuerit, ut illi qui animal aliquod idolis immolaſſent, parten quæ Sacrificanti competebat, non in Idoleo, ſed domi ſuæ, cum familia, vel alii quos invitaret, in Deorum honorem comederent. Videatur dictus tractatus pag. 17 18, 19, 20, 21.

De loco ad Rom. 3. 27, 28 contra Jacobi cap. 2. 24, legantur ſuperius dicta Lib. 1 pag. 116.

34. 1 Cor. 10. 8 Paulus dicit, ſcortatorum Iſraëliticorum in deſerto uno die occubuiſſe viginti & tria millia. Cum tamen Num. 25. 9 viginti & quatuor millia ceci-diſſe dicantur.

Si concederemus vel hic, vel ibi librariorum incuria, vel imbecillitate in numero eſſe erratum, ut & Act. 7. 14, nulla hinc oriretur difficultas. Cum vero Num. 25. 5 Moſes judicibus juſſerit, ut quiſque virum ſuum interficeret, quod verſu quarto ap-

paret

paret de præfectis populi intelligi, qui forte mille numero fuerunt, & reliqui 23000 à Deo poſtridie plaga immiſſa interemti fuerint. Hos omnes Moſes ſimul complectitur, quos tamen non dicit uno die cecidiſſe, Paulus de poſterioribus tantum agit.

35. Gal. 1. 19 Jacobus frater Chriſti inter fideles ejuſque Apoſtolos recenſetur. Contra Joh. 7. 5 dicitur, fratres ipſius in eum non credidiſſe.

Aliquoties hac de re gloriantur Judęi, tractatu quem *Nitzachon* (*victoriam*) appellant, quod & mater & fratres ejus in eum non crediderint: quaſi id ab eis ſit factum, quia impoſturas ejus animadvertiſſent. Quod autem Mater Jeſu in eum non crediderit, abſque ullo fundamento colligitur ex Matth. 12. 46, ubi legitur quod foris cum fratribus Chriſti ſtaret, nec domum ingrederetur: Cum tamen conſtet id factum, quia propter ingentem populi confluxum intrare ad eum non potuerint. Quod vero fratres ſive conſanguinei in eum non crediderint, id ex malo ipſorum animo eſt profectum, quod in reliquis Judæis etiamnum locum habet. Qua de re pluribus agendi hic non eſt locus. Cum vero Jacobus Chriſti frater in ipſum crediderit, Johannes autem cap. 7. verſ. 51 non dicat, omnes Chriſti fratres, ſive conſanguineos in Chriſtum non credidiſſe, ſed tantum *ejus fratres*, quod de aliquibus, & forte de majori eorum parte accipi poteſt, de omnibus autem non neceſſario intelligendum ſit, apparet Paulum Johanni minime contradicere.

CAPUT III.

De narrationibus, præceptis & rebus in Veteri Fœdere, quas Athei aliique S. Scripturæ hoſtes, pro abſurdis habent, vel alicui prima fronte tales videri poſſunt.

POſt conciliationem locorum quæ in Bibliis inter ſe pugnare a nonnullis creduntur, animus eſt oſtendere, nihil in iiſdem reperiri, quod vel abſurdum, vel impoſſibile, vel falſum merito exiſtimari poſſit. Iſta vero in tria capita diſpeſcemus, quorum primum continebit ea quæ in Veteri Fœdere pro talibus ab Atheis, aliiſque verbi Divini contemtoribus, habentur. Secundum eadem ex Novo Fœdere deprompta abſolvet. Tertium quæ utrique Fœderi ſunt communia.

De Creatione Univerſi.

1. Primas igitur merito obtinebit creatio hujus Univerſi, cujus prima omnium in S. Literis fit mentio. Quam Athei pro re impoſſibili & plane falſa habent, creden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

tes illud ab omni æternitate extitiſſe. (de cæteris enim de Mundi exordio opinionibu, ſive fortuito, ſive per atomorum concurſum, vel etiam per circulationem Naturæ nihil operæ pretium eſt dicere, cum hodierni Athei talia nobiſcum exſibilent, multo minus veriſimilia ſint, quam ea quæ liber Geneſeos refert) Primum quod ejus narratione carpunt eſt, quod Deus eam ſex diebus, ut opifex quidam perfecerit & poſt ejuſdem perfectionem quieverit, quaſi laboribus feſſus. Alterum eſt ipſa r poſſibilitas, cum nihil videatur exiſtere, quod tanti operis cauſa exiſtere queat. Primo igitur ſumemus, quod Adverſarii non modo concedunt, ſed etiam urgent, creationem iſtam omnes Naturę vires ſuperare. Deinde eam ex nihilo minime fieri potuiſſ cum ex nihilo nihil produci poſſit, & inter nihil & corpus infinita ſit diſtantia, qu proinde uniri nullo modo queant. Ex quibus manifeſtum eſt, ex naturali ratiocinatione de ea diſputari non poſſe utrum contigerit nec ne, cum res ſit mere hiſtoric. Cum igitur non tantum in Scriptura ejus mentio habeatur adeo luculenta, ſed etiam ejus veritas ab omnibus nationibus, ſibi invicem per tot ſæculorum myriades incognitis, imo infenſiſſimis odiis ſemet inſectantibus, unanimiter recipiatur, quam à ſ mutuo haurire non potuerunt, nulla alia ejus rei ratio excogitari poteſt, quam quo omnes eandem à primo homine, cæteriſque quibus ſeipſum Deus manifeſtavit, qua Hiſtoria Sacra memorat, ut certam & indubitatam narrationem hauſerint. Quapropter de eadem nemini dubitare licet, niſi firmas ambigendi cauſas proferre ſciat. Iſtiuſmodi vero nihil in relatione ipſa reperiri poteſt, nec in ipſa rei natura. Quod enim re omnes non ſimul & ſemel uno momento in ordinem redactę ſint, id omnino ration eſt conſentaneum, ſed ut à rudioribus initiis paulatim ad perfectiora creatio exſurrexerit; nec in eo quidquam abſurdi comparet. Quemadmodum etiam à nemine unquam quidquam eſt productum. Sed quod ad quietem attinet, quæ Deo adſcribitur ea nihil aliud quàm ceſſationem ab opere, & creationis perfectionem, non vero laſſitudinem denotat. Alterum vero, ipſa videlicet creatio, nihil etiam abſurdi habet ſi eo modo conſideretur, quo eam Scriptura tradit, nimirum ex præexiſtente materia (quam etiam principio carere neceſſario eſt ſtatuendum) facta. Deus enim ea quæ inter ſe mixta & confuſa erant, ordine & artificioſe diſtinxit, & ſuum cuique locum aſſignavit. In quo nihil fingi poteſt quod rationem vel minimum lædat. Conferantur addanturque ea quæ capp. 7. 8. 9. 10 diſputavimus. Ex quibus omnibus merito concludimus, nihil hic eſſe, quod ullo jure in hac relatione carpi poſſit vel debeat: præſertim ſi addantur ea quæ cap. 1 & 2 de locis ſibi invicem contrariis apparentibus, diſſeruimus. Admodum enim frivolum eſt cogitare, ſi libri Scripturæ ſuppoſititii forent (quæ Atheorum eſt calumnia) iſtius rei authores, quos decipiendi & fallendi ſtudio id feciſſe ſtatuendum eſſet, ſi res ita ſe haberet, non omni conatu id fuiſſe curaturos, ne contrarietates ſaltem in libris occurrerent. Præſertim cum iſtiuſmodi impoſtores non plane ſtupidi eſſe ſoleant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

De Lapſu hominis.

2. Alterum quod Atheos magnopere offendit, eſt hiſtoria de ſeductione Evæ per ſerpentem, in qua multa ridicula & abſurda contineri ſibi perſuadent. Primum eſt quod ei loquelam tribuat Moſes. Secundum, quod tantilla re tantum calamitatis in humanum genus devolutum ſit. Tertium quod beſtiæ ipſi, de qua creditur eam à Diabolo, tanquam inſtrumentum eſſe adhibitam, pœna à Deo ſit inflicta. Quartum, quod homines genitalium uſum ignoraverint, eumque per eſum pomi adepti ſint. Quintum, quod homines ſe à beſtia, idque adeo frivolis argumentis, ſeduci paſſi ſint. Sextum, quod ipſa etiam terra à Deo maledicta ſit, ob iſtud delictum. Singula itaque ordine examinemus. 1. Quod loquela ſerpenti tribuatur, abſurdum cenſeri non poteſt, ſi conſideremus pſittacos & picas ea deſtitutos non eſſe. Fieri enim poteſt, ut & ſerpentes humana voce primitus locuti fuerint, qua facultate poſt ſeductionem à Deo privati fuerint, quemadmodum & pedibus, quibus in primordio inſtructi fuiſſe videntur ſerpentes Gen. 3. 14, & etiamnum nonnulli inſtructi reperiuntur. Ut autem tanto facilius de iſto negotio judicari poſſit, attendere oportet, non omnes totius hiſtoriæ circumſtantias, ſed compendioſiſſimam ejus tantum ſummam referri. Quare conſentaneum eſt credere, (quemadmodum feræ tunc innoxiæ fuerunt) eas cum homine verſatas fuiſſe, & præcipue ſerpentes, qui ut loquela, ita etiam intellectuali facultate naturę humanæ proximi erant. Nec abſurdum eſt exiſtimare, homines ſerpentibus, quemadmodum nos canibus, familiariter uſos, eoſque illorum familiaritati aſſuetos fuiſſe. Deinde conſiderandum eſt Hebræos, Sacroſque Scriptores, nomine *hannachaſch ſerpens ille* Gen. 3. 1, non nudum animal, ſed Diabolum ſignificare. *Nachaſch* ſimpliciter eſt *ſerpens*, ſed *hannachaſch ſerpens iſte*, prout cap. 3. 1, 2, 4, 13, 14 perpetuo articulus voci iſti *Nachaſch* additus eſt, nec unquam in Sacra Scriptura, nomen Serpentis Diabolo tributum, abſque articulo reperitur. Vide præter loca citata 2 Cor. XI. 3. Apoc. 12. 9, 14, 15. XX. 2: quod nomen ab hac ſeductione ipſi ab hominibus impoſitum eſſe videtur, quia ſerpentis ope in ea uſus fuerit Diabolus, ipſo tamen ſerpente conſcio & conſentiente. Serpentes enim primitus ratione aliquatenus præditos fuiſſe, veriſimile facit aſtutia, quam etiamnum in illis experiuntur phyſici: nam præter verſutiam quâ pollent, exorciſmatum, capite in terram defoſſo, eluſionem facere norunt Eccleſ. 10. 11. Diabolus itaque, hominem ſeducturus, ope beſtiæ, hominibus familiari uſus eſt, & mulierem aliquoties adortus, blanditiis elegantis fructus illexit, promittens ei novarum rerum (quarum mulieres præſertim ſunt ſtudioſæ) lætam notitiam, ſi maritum, ut eadem faceret, inducere poſſet. 2. Secundum, quod tam exili crimine tot ærumnas ſibi accerſiverint, omnino conſentaneum eſt: quo enim res fuit facilior, tanto melius ab ea temperare ſibi potuerunt & debuerunt. Nihil enim intereſt qua in re Deus obedientiam ſibi pręſtari, & pœnam comminari voluerit. Præterquam quod Deus etiam pœnam mitigaverit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

gaverit, fructumque ipſum typum mundanarum cupiditatum gerere, ſub Chri imperio abnegandarum conſtituerit. Adde quod Adami peccatum ſolum nemini aliis hominibus damnum intuliſſe, Paulus ad Rom. 5. 12, 13, 14 doceat, quem admodum alicubi abunde docuimus. 3. Tertium etiam difficultate caret, ſi ſt tuatur, quod jam indicavimus, ſerpentem in ſeductionem hominis conſenſiſſ Si autem velimus, ſerpentem ratione deſtitutum, inſtrumentum tantum fuiſſe, qu Diabolus uſus fuerit, tanto minus erit difficultatis, tum enim pœna ſerpenti inflict quia eam vix ſentire vel percipere potuit, nullam ei injuriam intulit, ſed in hominu terrorem tantum inflicta erit. Præterquam quod pœna, ſerpenti inflicta, eam qu Diabolum preſſit, præcipue ſignificet. 4. An homines in principio genitalium uſu ignoraverint, plane incertum eſt, id ſolum conſtat, eos neſciviſſe turpe eſſe, nuda gerere, quod non magis mirandum eſt, quam quod pueruli idem neſciant, qua les in creationis principio plurimis in rebus eos fuiſſe, à vero non eſt alienum. 5. Quo adeo frivolis argumentis homo ſit ſeductus, cui mirum videri poteſt, qui conſidere id quod in maxima hominum parte, ab omni ævo cernimus, eos videlicet vaniſſimi rebus ad plurima & atrociſſima ſcelera incitari poſſe. Præſertim ſi negetur (quo omnino negandum eſſe arbitror) primos homines tanta rerum ſcientia præditos fuiſſe quanta vulgus ſomniat. Conferantur ea quæ ſuperius Lib. 1. cap. 2. pag. 23 de Ada mi ſimplicitate & ruditate diſſeruimus. 6. De ſexto nihil opus eſt dicere, cum terr maledictio non terræ, ſed homini nocuerit.

De Dæmonibus.

3. Cum occaſione præcedentis quæſtionis, in mentionem Diaboli, hominum ſeductoris inciderimus, ordo requirere videtur, ut de eo nunc agamus: quia Athei, multique alii, Dęmones in rerum natura eſſe negant, & opinionem quam vulgus de illis fovet, ridiculam & abſurdam eſſe aſſerant. Noſtrum autem non eſt defendere ſtultas vulgi opiniones, ſed illa tantum quæ Scriptura docet. Ea vero de Dęmonibus nullibi dicit, illos à Deo tales quales nunc ſunt eſſe creatos, ſed contra non obſcure innuit, illos ante hunc Mundum conditum a Deo fuiſſe creatos, & quidem naturaliter bonos, certum videlicet ſpiritualium entium numerum, quibus etiam leges ſint datæ, quas obſervare tenerentur, antequam ad æternam vitam admitti poſſent, quorum ingens numerus Deo ſe immorigerum præbens, nec ad meliorem frugem reduci ſe patiens, tandem à Deo in locum deteriorem detruſi, & abſoluto Dei decreto æternæ damnationi deſtinati ſint. In quorum locum Deus homines condidiſſe videri poſſit. Vide 2 Pet. 2. 4. Judæ verſ. 6. Apoc. 20. 2, 10. Iſtiuſmodi dæmones dari, cur alicui abſurdum videri poſſit, fateor me percipere non poſſe. Quamvis fabuloſa plurima de eorundem factis & præſtigiis ab hominibus ſint conficta. Nihil enim hic ſtatuitur quod non æquum ſit & juſtum. Nec etiam in S. Literis quidquam reperitur, huic ſententiæ contrarium. Dæmones autem hominibus multo robuſtiores eſſe, nemini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

mini mirum videri debet, qui expertus ſit, quanto ſpiritus ex rebus naturalibus extracti, ſive per deſtillationem, ſive arte chymica, efficacius quam corpora, operari poſſint. Eos autem regnum & rempublicam inter ſe erexiſſe, nemo ſanæ mentis abſurdum cenſere poteſt, ſi ratione præditi eſſe ſtatuantur, quales eos S. Scriptura deſcribit: Sed de his alibi prolixius egimus.

4. De eo quod Deus non certo ſciverit, utrum Sodomitarum peccata adeo forent enormia, quemadmodum ipſi indicatum erat, & quod, ut ea de re certus eſſet, illuc proficiſci deberet Gen. 18. 20, ſuperius Lib. 1. pag. 24 actum eſt.

5. Quod Hiſtoria de Juda (Gen. 38. 1 & ſeqq.) Jacobi filio, mutila & truncata ſit, actum nobis itidem eſt Lib. 1. pag. 94.

6. Relationem de compreſſione Dinæ & Sichemitica exciſione per Simeonem & Levi Gen. 47 minime ſibi conſtare, adverſarii volunt. Eam vero optime ſibi conſtare docuimus eodem Lib. 1. pagina 94, 95.

De Arca Noachica.

7. Hujus hiſtoriam, quę Gen. 6 capite narratur, multi pro fabula habent, propter multas & inextricabiles, quas eam continere putant difficultates. Quarum prima eſt, quod menſura ei aſſignata, omnium quæ per tot menſes comprehendiſſe dicitur, nullo modo capax fuit, tot videlicet pecorum, jumentorum, ferarum, pabuli, potus, ſtercoris. Altera eſt ipſe beſtiarum in eam ingreſſus. Tertia, miniſteriis quibus homines pro ſe & tanto beſtiarum numero opus haberent, octo homines pares non fuiſſe. Primo igitur oſtendemus, magnitudinem quam ei Scriptura aſſignat, ſatis amplam fuiſſe, ut iſta omnia largiter excipere potuerit. Quod facile evicerimus, ſi veroſimile faciamus, ulnas (quas Scriptura Arcę ſive Navi Noachicæ aſſignat, pro longitudine trecentas, pro latitudine quinquaginta, pro profunditate triginta) novem pedes fuiſſe longas, quod Origenes & Auguſtinus Hebræorum traditionem fuiſſe affirmant, & per ulnas decempedas, ſive Geometricas virgas deſignatas fuiſſe. Quod ex eo etiam aliquo modo confirmatur, quod homines tum temporis grandioris ſtaturæ fuiſſe credibile ſit, quam nunc ſunt: quemadmodum & in noſtro Belgio ante aliquot ſecula, & in multis aliis oris proceriores homines habitaverunt. Ex quo neceſſario ulnarum ſive cubitorum longitudo dependet. Adeo ut tunc cubitos longiores fuiſſe omnino ſit ſtatuendum. Forſan huc etiam faciunt verſus 18, 19, 20, cap. 7 Geneſeos, ubi indicatur aquas, poſtquam Arca jam undis innatare cœpiſſet, adhuc quindecim ulnis in altum excreviſſe, & tum montes ſub aquis occultatos fuiſſe. Ex quo patet 19 vel 20 ulnas montes altitudine tunc ęquaſſe, qui fere non minus quam ducentos pedes alti ſunt, nec in altis iſtis oris altiores forte extiterunt. Et ſic navis 2700 communibus pedibus longa, 450 lata, 270 alta extitiſſet. Quod non incredibile eſt, ſi conſideremus quam potens princeps Noachus fuerit, & quod ab aliis non minoris magnitudinis naves ædificatæ fuerint. Qualem P. *Jovius* lib. 7 deſcribit a Gallis exſtructam

 fuiſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

fuiſſe, quæ bis mille tormenta bellica habuit, cum nunc maxima vix 110 ſuſtin
poſſit. Similes deſcribunt Camer. oper. ſubciſ. cap. 26. Buchan. cent. 2. Oſor.
Juſtinian. Hiſt. Venet. lib. 14. Witſius in ſua Architect. Naut. Belgice edita an
1672. Præterquam quod hæc noſtra ratis centum circiter & viginti annis demum
bricata fuiſſe, ex Gen. 6. 3, 7, 8, 13 non abſurde colligitur. Jam ſi hæc quanti
2700 pedum in longitudine, 450 pro latitudine & 270 pro altitudine concedat
tum nemo quod in ea carpat habere poteſt. Quia autem forſan multis hæc non ſatiſ
cient, age oſtendamus omnia multo exiliori loco facile contineri potuiſſe. Cum
ro ulna ſit menſura à cubito uſque ad extremitatem medii digiti, & homines pro
dubio tunc majoris quam nunc ſtaturę fuiſſe, à vero minime abhorreat, poſſemus
nas ſumere longiores. Sed ſtatuamus eas tantum ſeſquipedalis longitudinis: oſte
demus tamen Arcam omnia iſta optime capere potuiſſe, idque modo quo id a *Johan*
Buteone, *Tractatu de Arca Noë* præſtitum eſt. Eum in finem dividemus animalia in bove
lupos & exiliora pecora, pro Camelis, Dromedariis, Elephantibus, Rhinocero
ſubſtituendo boves, & quatuor boves pro uno quatuor iſtorum ſumemus, quod pr
fecto abunde ſufficit. Sint ergo duo Cameli, Dromedarii itidem bini, ac totidem El
phantes & Rhinocerotes, iſti ergo 32 boves æquabunt. Cape etiam 14 boves cu
vaccis. Leones, Urſos, Aſinos, Equos, Tigrides, Pantheras, Cervos, Leopard
octodecim numero. Lupos æquantia animantia totidem. Et forſan vix invenias
univerſum tantum jumentorum numerum, ut nonagenarium conficiant; ſed ſum
mus 120 boves, ne quis numerum nimis parce eſſe conceſſum cauſetur. Reliqua m
nutiora animalia ſub ovium magnitudine conferemus, & dabimus 80 oves fuiſſe. Ac
dantur feræ carnivoræ (quamvis eas jam nos dediſſe cenſendum ſit) numero 64. Itaqu
ſtatuemus in Arca habitare debuiſſe 3730 oves, 120 boves, 80 lupos, id eſt animali
quæ lupos magnitudine æquant, ſive alia in eorum locum. Sumemus pabulum omni
bus in integrum annum, & quidem fœnum, quo omnes paſci potuerunt, & quo
locum præ alio pabuli genere maximum requirit. Experimento comprobatum eſt, ſin
gulis bobus quotidie ſufficere triginta libras Hollandicas fœni, quæ non plus quan
unius ulnæ in quadratura loci occupant. Ita 400 boves non plus fœni in anno opu
habent quam 140000 ulnas quadratas, imo vix tantum devorare queunt. Cum igitu
Noachica navis trecentis ulnis fuerit longa, 50 lata, & quodvis ſolarium 10 ulnis
altum, habemus in quavis concameratione 150000 ulnas. Et ſic unicum ſolarium
omne alimentum abunde capere potuit. Jam ſi omnia animalia ratione boum compu-
tentur, numerum 400 minime æquabunt. Avibus locum aſſignare non eſt opus, cum
illæ ſportis inſideant, & inter animantia habitare queant. Reptilia, quæ terra per ſe
producit, in Arca fuiſſe aſſervata, non eſt opus concedere. Jam pro bove ſumatur
cavea duarum cum una tertia ulnarum in latitudine, 5 in longitudine, ita 400 boves
requirunt ſpatium 5330 ulnarum in pavimento, cum tamen unius cameræ pavimen-
tum 150000 ulnarum habeat. Potuit itaque Noachus infimam in duas diviſiſſe partes,
unam pro dimidia pabuli parte, alteram excipiendo animantium ſtercori, alterum

pabuli

abuli dimidium medio navis ſolario includatur, ubi ipſa animalia fuerunt. In cujus avimento foramina, pro ſtercorum exoneratione in infimam partem, confici potuerunt. Ita octo hominum miniſterio animantia omnia recte curari potuerunt. Præertim ſi Noachus ſervos aliquot in Arcam ſecum ſumſerit abſque ancillis. Qui propterea nullam ſobolem propagare potuerint. Quamvis autem Gen. 7. 13 nulla ſervoum fit mentio, fieri tamen poteſt, ut eos aſſumſerit. Quemadmodum enim Jacob nullos ſervos in Ægyptum duxiſſe legitur Gen. 46. 1, 5, 6 &c, quos tamen habuiſſe, x cap. 32. 15 liquet: quandoquidem cap. 46. 1 cum omnibus quæ poſſidebat, in Ægyptum tendiſſe, expreſſe dicitur, ita forte cap. 7. 1 ſub Noachi familia ſervi comprehendi potuerunt. Noachus cum ſuis totum ſupremum ſolarium incoluerint. Ita omnia ſibi optime conſtabunt, modo concedatur, quod in tanto miraculo abſonum cenſeri non debet, ut Deus fœtorem ſtercoris & animalium cohibuerit, vel etiam ex infima parte per tria tabulata multi tubi, iique inferius lati, in ſupremam navis partem exeuntes, minuendo fœtori, confecti eſſe potuerunt. De tertio ſtatuere poſſumus, ut Deus omnia in Arcam compulerit. Niſi malimus, Noachum, dum res & tempus & ſervi ſuppeterent, ex omnibus numerum præfixum, ſive vi, ſive dolo, in Arcam intruſiſſe. Cum vero per 150 dies cap. 8. 3 imbres deciderint, ſatis aquæ Noacho pro potu ſuppetere potuit pro omnibus animalibus. Quas Deus poſtmodum ex pluvia facile concedere potuit.

De Dei pœnitentia. Gen. 6. 6.

8. Angelum quendam eximium Dei nomen & perſonam, in Legis per Moſem atione ſuſtinuiſſe, eumque paſſim nomine Dei & Jehovæ indigetari, notius eſt quam ut probatione indigeat. Inſpiciantur loca Gen. XI. 5, 6. XII. 1 coll. cum XVI. 7, 10 & XVIII. 1 & XIX. 1. XLVIII. 15, 16. Judic. 2. 1. XIII. 3 coll. cum verſu 22. Eſai. 63. 9. Zach. 3. 2 & alibi. Cum itaque conſtanter in Pentateucho idem ille qui Deus dicitur, introducatur, nec ullum vel minimum diſcrimen appareat inter eum per quem Lex data fuit, & eum qui ante Legem hominibus apparuit, (quem Chriſtianorum maxima pars Chriſtum fuiſſe exiſtimat, qua de re ſuperius cap. 1 & alibi fuſius eſt actum) non abſurdum cenſeri debet, ſi credamus, Deum etiam mundum per Angelum, ſive eundem per quem Legem dedit, ſive alium, cui alios Angelos comites & miniſtros adjunxerit, creaſſe, eundemque deinceps hominibus apparuiſſe. Quod ſi concedatur, quemadmodum certe contrarium ex Sacro codice demonſtrari nequit, protinus omnes diſparebunt ex eo ortæ difficultates, quod nonnunquam talia Deo adſcribantur, quæ Deo ſupremo indecora videri poſſint, qualia ſunt pœnitentia de hominum creatione, deſcenſus de cælo & in eundem adſcenſus, apparitiones variæ, tentatio Abrahami, ut de ejus ſinceritate penitus redderetur ſecurus, & ſi quæ ſunt hujus generis alia. Cum enim Angelorum prudentia ad omnia ſeſe non extendat, fieri potuit ut quid alicubi prȩter eorum intentionem acciderit. Ita tamen, ut Deo dirigente, nihil male cadere potuerit.

De

De tentatione Abrahami.

9. Tentationis Abrahamicę hiſtoriam abſurdam eſſe, non modo Athei, ſed alii S. Scripturæ adverſarii ſummis viribus contendunt: quia Deo indignum eſſe cu- dunt, ut alicui proprium filium occidere, quo de hominis iſtius ſinceritate expe- mentum capiat, injungat. Tota difficultas ex eo oritur, quod vulgo ſtatuunt, Deu futura contingentia, & in hominum arbitrio poſitas actiones certo præſcire, quæ op- nio innumeris abſurditatibus Sacram Scripturam intricatam reddit. Cum vero libe- hominum actiones, antequam fiant, *merum nihil* ſint, nulla certa ſcientia circa e- occupari poteſt, & *merum nihil* divinæ ſcientiæ objectum eſſe nequit. Atque ob h- & alias prægnantes cauſas, à Socinianis aliiſque affatim productas, hæc opinio m- rito rejicitur. Nec idcirco Dei omniſcientię quidquam derogatur, ſed tantum reru- certitudini. Scientia enim tantum circa res verſatur, ſive præſentes, ſive prętерita- ſive etiam certo futuras, quarum cauſæ neceſſario efficientes vel jam exiſtunt, v- etiam certo Dei decreto ſint determinatæ, quorum nullum in liberis actionibus locu- habet. Non enim quæritur an Deus omnia futura ſcire poſſit, nec etiam, an De- omnia futura certo determinare poſſit, ſed tantum, an res futuræ contingentes, ſi- neceſſariæ, & an Deus omnia certo determinaverit: Utrumque autem negatur; no- vero quod Deus omnia certo præſcire poſſit: poſſet, ſi determinare vellet, velle de- terminare negatur. Ex quo manifeſtum eſt, Deum, ſive potius Angelum, ejus per- ſonam gerentem, merito de Abrahami perfecta ſinceritate experimentum capere po- tuiſſe: & nulla quidem re melius, quam ea quæ Abrahamo omnium maxime ardu- videri poſſit. Præſertim cum Deus filium alterum ex ipſius & conjugis mortuis cor- poribus ſuſcitare potuerit. Quod & Abrahamum ratiocinando collegiſſe teſtatur Au- thor Epiſt. ad Hebr. cap. XI. 18.

De præcepto Circumciſionis.

10. Tentationem Abrahami excipit circumciſio, quæ eam præceſſit Gen. 17. 9. Hanc multis ſannis excipiunt Athei, ut rem turpem & fœdam. Ex Levit. 19. 27, 28. XXI. 5 manifeſtum eſt, idololatras in ſignum reverentię, quam Diis ſuis exhibebant, ſolitos fuiſſe capillos & barbam truncare, & corpori ſuo vulnera infligere: quemad- modum & in omnibus fere regionibus, domini ſignum aliquod fronti vel dextrę ſer- vorum incidere vel inurere ſolebant. Quocirca conveniens fuit, ut pro more tum tem- poris uſitato, Dei ſervis aliquod indelebile ſignum imprimeretur: idque non omni- bus conſpicuum, ſed quod veſtibus contectum eſſet. Ad ſignificandum cultores veri Dei, non externis quibuſdam ritibus ab hominibus dignoſci debere, ſed a Deo ex in- diciis ſecretioribus, & ab hominibus, ſi altius divina myſteria ſcrutari vellent. Præ- terea hoc habuit ſignum iſtud, ut (quemadmodum reliqui Legis Moſaicæ ritus) typum

gereret

gererent carnalium cupiditatum abnegationis, per Chriſtum ab hominibus exigendæ. Ad quæ omnia nullum magis accommodum ſignum excogitari potuiſſe videtur; ea videlicet ætate hominibus imprimendum, cum ſenſum doloris quamminimum haberent, & in ea corporis parte, quæ minimum ad vitæ commoda & voluptates uſum haberet. Atque ita in præcepto iſto nihil abſurditatis reſidebat.

De eo quod Libri Moſis multis poſt Moſis obitum ſeculis ab Ezdra fuerint conficti, & Judęis per vim & dolum obtruſi, & cæteri etiam Veteris Fœderis libri non ſint authentici, depravati & corrupti, & de locis Scripturæ, quibus id evinci poſſe ab adverſariis creditur, egimus Libro primo capp. IX. X. XI. XII.

De fucata Legis Moſaïcæ ſpecie.

II. Legis Moſaicę author, eam ſe ad ſolius Divini nominis gloriam tradidiſſe, & ab ipſo Deo accepiſſe, paſſim teſtatur: ſi tamen ea penitius introſpiciatur, ad Moſis & ipſius familiæ gloriam & commoda, quanta quanta eſt, compoſita videtur. Moſi enim Principatus, & familiæ Aaronicæ in perpetuum Sacerdotium aſſeritur, quod non minus honorificum & lucroſum, quam ipſe Principatus erat munus. Ex quo non levis ſuſpicio oriri poſſe videtur, omnia à Moſe in proprium commodum eſſe conficta.

At vero, qui talia in ſuſpicionis tam atrocis cauſam arripit, oſtendit ſe totum in eo eſſe, ut religionem omnem ex animo ſuo exturbet. Primo enim, ſi Moſes impoſtorem agere voluiſſet, cur minus pro ſua, quam pro Aaronis fratris ſui familia ſolicitus fuiſſet? Ei enim Sacerdotium in familia ipſius ſemper continuandum conceſſit, pro ſe autem ipſo de Succeſſore in Principatu nihil fuit ſolicitus: cum tamen duos filios Gerſonem & Elieſerem habuerit Exod. 18. 3, 4, jam grandiuſculos, prout ex Exod. 2. 22 colligi poteſt, cum prior ante Moſis in Ægyptum miſſionem natus fuerit. Nec id tantum, ſed etiam, præteritis filiis, Joſuam miniſtrum ſuum ſucceſſorem conſtituit. Quod vero ipſe Principatum geſſerit, id non tam dignitas ipſi erat, quam onus pene intolerabile. Aaron frater, ſecundus ab ipſo, ad authoritatis confirmationem, ad quam etiam opes Sacerdotales requirebantur, pertinebat, & aliter fieri non debere, recta ratio ſuadet: quia nullus Princeps ulli magis quam ſuis, ad honorifica munia evectis, fidere poteſt. Quid quod nulla ſiniſtrę ſuſpicionis cauſa fuiſſet, ſi Moſes (quod tamen facere noluit) in Aaronicæ familiæ fulcimentum, filiis ſuis Principatum aſſeruiſſet: non enim cæleſtem Eccleſiam, ſed civilem Rempublicam Moſes erexit: quam proinde eo modo inſtituere debuit, quo optime conſiſtere poterat, ſi optimus & maxime ſincerus Princeps eſſe vellet. Qualem cum ſe adeo perfecte exhibuerit, tanto magis credendum eſt, ipſum à Deo mandata accepiſſe, ut non aliter quam fecit Rempublicam inſtitueret: quod adeo bonus & pius Imperator, de ſeipſo coram tot teſtibus, qui Dei mandata propriis auribus exceperant, & tot miracula oculis uſurpaverant, teſtatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

De ritibus Legalibus.

12. Et in his quod carpant adverſarii ſe habere exiſtimant, quod tot nugis, ni quibus nihil Sanctimoniæ inſit, Deus populum ſuum perpetuo occupari voluiſſe, n ſit credibile.

Sed ex iis quæ infra cap. 7, 8, 9, 10 & alibi diſputavimus, perſpici poteſt, religion & Dei cultum, quem ab hominibus exigere velit, non à rerum faciendarum int ſanctitate, ſed ex Divino arbitrio penitus pendere. At propterea nihil pium, juſt vel ſanctum eſſe poſſe, niſi quod Deus præcipiat, nec ullam aliam ob cauſam, qu quia jubet. Quocirca nullo modo abſurdum eſt, quod Deus populo iſti, ad ſuperſ tionem, imo ad idololatriam pertinaciter proclivi, ceremonias plurimas, eaſque quas idolorum cultores habebant contrarias, & ſublimiorum rerum figuras (qua omnes in Lege præſcripti ritus ſunt) injunxerit. Ceremonias vero legales typos fui rerum ſpiritualium ſub Novo Fœdere injungendarum, non modo in plurimis S. Sc ptores Novi Inſtrumenti oſtendunt; ſed etiam in reliquis omnibus facile doceri p ſet, niſi res ipſa per ſe loqueretur. Vide Joh. 16. 6. 1 Cor. 5. 7, 8. IX. 9, 10. C 2. 17. 1 Tim. 5. 8. Hebr. 8. 5. X. 1 & alibi. Et ſi omnia ceremonialia præcepta L gis examinare liberet, oſtendere non eſſet difficile, ea non tantum admodum ſapie ter eſſe præſcripta, ſed etiam maximum reïpublicæ Judaicæ emolumentum adfer apta nata fuiſſe, & debitam in animis Iſraëlitarum reverentiam erga Deum excita potuiſſe. De quo tamen ſuperſedebimus, quia non modo propter molem operis lect ribus tędium pareret, ſed etiam quia nullus hactenus ullam in ſpeciali aliquo rit (præter circumciſionem) abſurditatem demonſtrare conatus eſt.

13. Subjungenda hic fuiſſet quæſtio, de certa futurorum contingentium pręſcie tia, quam Adverſarii Exod. 3. 18 doceri contendunt, ſed quia ea ſuperius pag. 2 Lib. 1 à nobis excuſſa eſt, Lectorem eo remittimus.

14. Item de Dei deſcenſu e cælis Exod. 19. 20, de quo Lib. 1. cap. 15. pag. 13 actum eſt.

15. Nec non de Dei zelotypia, ex Exod. 34. 14, item Deut. 4. 24, quam Lib. cap. 15. pag. 135, 136 diſcuſſimus.

16. De eo quod Deut. 4. 20. XXXII. 8, 9 indicetur, Deum ſolam Iſraëliticar regionem gubernare, alias autem regiones aliis diis conceſſiſſe, de eo videatu Lib. 1. pag. 26.

17. De quiete Solis & Lunæ Joſ. 10. 12, 13, 14, contra demonſtrationes Mathe maticas, vid. Lib. 1. pag. 19, 20.

18. De truncatione loci Judic. 2. 6. Lib. 1. pag. 95.

19. De eo quod 1 Sam. 13. 1 indicetur Saulem biennio tantum regnaviſſe, vid Lib. 1. pag. 97. De quibus omnibus cum locis indicatis diſputatum ſit, non eſt quo hiſce diutius immoremur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

De Saulis rejectione 1 Sam. 15.

20. Deus per Samuelem Sauli injunxit, ut Amalecitas, cum omnibus pecoribus eorum exſcinderet 1 Sam. 15. 3. Saulus ſubactis Amalecitis, non tantum Regem eorum Agagum ſervat, ſed & ex pecoribus (quæ Idololatræ Diis ſuis conſecrare erant ſoliti, quam ob cauſam Deus ea nec in cibum, nec ad ſacrificia adhiberi voluit, ne populus idolothytis veſcendis aſſuefieret) multa ſervat; quam ob cauſam regni abdicatio ei indicitur. Saulus pœnitentia ductus, veniam obnixe identidem rogat, nec tamen obtinuit verſu 24, 25, 30. David, cum longe enormius peccaverit 2 Sam x1, ſimulatque remiſſionem petiit, eam obtinuit 2 Sam. 12. 13, quod iniquum & Deo indignum eſſe exiſtimant adverſarii.

Sed nihil efficiunt: primo enim de hominis ſeria pœnitudine, nemo præter Deum, cordium ſcrutatorem, judicare poteſt: potuit autem pœnitentia Saulis inſincera, Davidis vero perfecta eſſe. De quo cum nobis non conſtet, ex remiſſione Davidi conceſſa, concludere oportet, eam ſolam ſeriam fuiſſe: quod & Pſal. 51, qui ipſius peccatum reſpicit, non leviter indicat. Deinde, non prima erat vice, quemadmodum Davidi fuit, quod Saulus expreſſum & ſpecialiter ſibi datum Dei mandatum fuerat tranſgreſſus. Vide 1 Sam. 13. 13. Cum igitur Saulus prima vice veniam obtinuerit, æquum fuit ut idem Davidi contingeret. Tertio: Saulus etiam veniam aliquatenus obtinuit 1 Sam. 15. 31, adeo ut non modo Samuel ipſum fuerit comitatus, ſed etiam toto vitæ ſuę tempore regnum obtinuerit: cum tamen toties & tam atrociter, contra propriam conſcientiam Davidem perſecutus fuerit, nulla ei pœna inflicta. Nec pœna ejus alia fuit, quam quod regnum in poſteros ejus non ſucceſſerit. Saulis itaque pœna ad mortem ejus uſque fuit dilata, Davidis ſtatim infligi cœpta (non enim ei pœna fuit penitus remiſſa, ſed tantum mors præſentanea, cui vi legis obſtrictus erat) eaque non in uno ſubſtitit, ſed multa acerbiſſima ſuſtinere fuit coactus. Primo enim filius, quem ex adulterio ſuſceperat, obiit 2 Sam. 12. Deinde filiæ ipſius à proprio filio vis infertur cap. 13, poſt filius Amon ab Abſalone filio occiditur cap. 13, tandem regno à proprio filio exturbatus, nece Abſolomi filii dilectiſſimi tragœdiam finiit. Adeo ut nec in Saule, nec in Davide, vel minima abſurditatis aut iniquitatis umbra compareat.

De morte Uzæ.

21. 2 Sam. 6. 6 Uza, quia Arcam caſum minitantem, manu ſuſtinuerat, à Deo occiditur: quod tamen ex Dei reverentia feciſſe videtur: ideoque pro injuſta nece haberi poſſet.

Reſpondeo. Num. 4. 15 prohibetur, ne quis res Sacras manibus contingat, & quidem ſub pœna capitis. Quæ lex ſemel fixa, idque ipſis Sacerdotibus, quanto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

magis cæteris, Uſam mortis reum fecit, etſi neceſſitas contactum exigere videret[ur]. Quæ quamvis excuſationem extorquere videatur, tamen impune commiſſus con[ta]ctus, aliis exemplum contrectandi & introſpiciendi Arcam præbere potuiſſet, cu[m] periculo interitus multorum, quem una cæde Deus præcavere voluit.

22. Locum 2 Sam. 13. 37 non eſſe truncatum, prout adverſarii volunt, ſuperi[us] Lib. 1 pag. 99 oſtendimus.

23. Egimus etiam de Dei motu locali, quem Athei ex 1 Reg. 8. 27 Deo detrah[e]re ſatagunt, Lib. 1. cap. 2. pag. 24.

De Propheta à Leone occiſo 1 *Reg.* 13.

24. Propheta quidam e regno Judeæ in Regnum Jeroboami, qui Decem Tribu[s] bus imperitabat, à Deo miſſus, contra expreſſum ſibi à Deo datum præceptum, [a] ab alio Propheta falli & ſeduci paſſus eſt: quam ob cauſam ſeductus ille Propheta [à] Leone, divinitus immiſſo, dilaceratur.

Neſcio ſane quid in iſta hiſtoria reprehendere velint adverſarii, quod occiſus ſit is qui contra tam expreſſum & ſpeciale mandatum, ſciens prudens peccat, quod eu[m] feciſſe ex verſu 16, 17 liquet. Nec eum ullatenus alterius iſtius Prophetæ mendaciu[m] excuſare potuit: debuit enim cogitare, Deum ſibi potius quam alteri contrariu[m] mandatum indicaturum fuiſſe, ſi ſententiam mutaſſet: cum de alterius dicti veritate nullo ſigno confirmata, dubitare ad minimum debuerit. Præterquam quod vel ex va[ni] na curioſitate, vel ſpe donarii, quod ipſi Jeroboamus obtulerat verſu ſeptimo, for[te] taſſis redierit. Ne dicam graviſſimam ſubeſſe potuiſſe cauſam, cur Deus eum cibum capere in Regno Samaritano noluerit: quæ fortaſſis Prophetæ iſti incognita non erat. Quibus omnibus rite perpenſis, optime ſibi hic æquitatis ratio conſtat. Denique ex eo quod non narratur, concludi nequit Prophetam ſeductorem punitum non fuiſſe.

25. De eo quod Deus Prophetis revelaverit 2 Reg. 2. 3, 4, 5, 16, 18, eos Eliam, in cælis abreptum, alicubi in montibus aut convallibus reperire poſſe, egimus Lib. 1. pag. 18, oſtendimuſque id à Deo minime fuiſſe revelatum.

26. Item de Eliſæi ira 2 Reg. 3. 15, qua impeditus fuerit læta prophetare, priuſquam muſicis inſtrumentis placatus fuerit, eamque hiſtoriam ab omni abſurditate vindicavimus Lib. 1. pag. 15.

27. De eo quod Salomon dicat Eccleſ. 1. 10, nihil novi in Natura contingere, ex quo Athei extrudere conantur, eum docere, nulla unquam miracula fuiſſe edita, ejus contrarium oſtendimus Lib. 1 pag. 73.

28. Nihil eſſe Sanctum extra hominum exiſtimationem, idque ex Jer. 7. 14 & VIII. 8 non evinci, ſed potius contrarium, indicavimus Lib. 1. pag. 122.

29. Ex Prophetarum animi motibus revelationes eſſe profectas, ex Ezech. 3. 14 Athei extorquere volunt. Cujus contrarium demonſtravimus Lib. 1. pag. 16.

De

De Propheta ſeductore Jerem. 28. 9.

30. Deuteron. 13. 1, 2, 3, item cap. 18. 20, 22 Deus injunxit, ut, ſi Propheta quiſpiam ſignum dederit quod ita eveniat, & tamen populum ad idololatriam ſolicitet, vel etiam, ſi ſignum aliquod promittat, quod tamen non præſtet, occidatur. Cum tamen Deus Jerem. 18. 7, 8, 9, 10 teſtetur, ſe pro contumacia vel pœnitentia, quam populus, cui pœnas minatus ſit per Prophetas, exhibuerit, ſententiam in ejus ſalutem vel perniciem mutare, quod & Jonæ accidit. Ex quo apparet, Deum incerta admodum indicia præſcripſiſſe, ex quibus verus à falſo Propheta diſcerni queat: cum tamen Jer. 28. 9 Judæi à Deo moneantur, ut ex adeo incerto ſigno, de Prophetarum ſinceritate dijudicent.

Mirum in modum ſe torquent Judæi aliique, ut hunc nodum exſolvant, ſed fruſtra. Vide *Manaſſis conciliatorem* pag. 229. Qui tamen facili negotio extricari poteſt, modo ſenſus verborum Deut. 13 recte pecipiatur; quæ ita ſe habent: *cum fuerit in medio tui Propheta, aut ſomnium ſomnians (& dederit tibi ſignum vel portentum, eveneritque ſignum & portentum quod locutus eſt tibi) dicendo: eamus poſt Deos alienos (quos non noſti) & colamus eos: non obedies verbis Prophetæ illius, aut ſomniatori illi: quia tentat Jehova Deus veſter vos, ut ſciat an diligatis Jehovam Deum veſtrum &c:* Primo notandum eſt hic agi de Propheta, qui publice univerſo populo perſuadere ſtudeat, ut Deos alienos colant, quod & verſibus 6, 7, 8 &c, item verſibus 12 & ſequentibus confirmatur, ubi prioribus de ſeductore clanculario, qui privatos homines, poſterioribus de eo qui populum ſeducere fuerit conatus, agitur; nec non verbis verſus 5, ubi Prophetam iſtum Deus occidi jubet, *locutus eſt enim ad defectionem*, populi videlicet. Cujus rei inſigne exemplum habemus 1 Reg. 18, in contentione Eliæ, cum pſeudoprophetis Achabi, de vero Dei cultu (nec non Michææ cum 400 pſeudoprophetis 1 Reg. 22 toto) ubi Propheta ſignum promittit, & Baaliticis Prophetis & Sacerdotibus offert, quod cum illos falleret, Eliæ vero ſuccederet, Deus Jehova pro Deo eſt agnitus, illique omnes interemti ſunt. Hoc ſaltem negari non poteſt, poſſe locum Deut. 13 de ſeductoribus totius populi, quibus ſe verus Propheta opponeret, accipi; ubi neutiquam ſignum aliquod locum habere poteſt, quod conditionem ſubintellectam habeat, vel propter hominum mutationem non ſequeretur; ſed iſtiuſmodi ſignum, quod infallibiliter ſequi deberet, quodque exhibitum, veri Dei cultum confirmaret (& ad id, ut ſe à Deo miſſum eſſe oſtendat Propheta, exhibitum, cujus generis ſigna, de quibus Jerem. 18. 7 &c. XXVIII. 9. Jon. 4 agitur, non ſunt) in quo tum ſecure acquieſcere poſſent. Si vero tali occaſione ſignum promiſſum non exhiberetur, vel ſi Propheta, exhibito ſigno, ad idololatriam populum pelliceret, is abſque ullo erroris periculo interfici potuit: ut qui vel Dei mandatum falſo obtendiſſet & dæmonis ope ſignum exhibuiſſet, vel alio aliquo modo hominum oculos faſcinaviſſet; vel poſt ſignum exhibitum, ſententiam de vero Deo Jehova colendo, mutaſſet. Signa autem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ſive calamitates eventuræ, quas Prophetæ prædicunt, quando populum hortantur in pœnitentiam, qualia ſunt de quibus Jer. 18. 7 &c. xxviii. 9. Jon. 4 agitur, longe alterius ſunt naturæ, & ſemper ſub conditione, vel ſubintellecta, vel expreſſa prædicuntur, quemadmodum loca citata & Jon. 4. 2 inſpicienti eſt manifeſtum. Atque ita certiſſimam falſos à veris Prophetis diſcernendi notam, Deus iſtic loci præſcripſit.

CAPUT IV.

De abſurdis, ab Atheis Novo Fœderi imputatis.

1. DE Chriſti genealogia, & difficultatibus eidem objectis, egimus ſupra cap. 2. ad locum Matt. 1. pag. 165.

De partu Virginis.

2. Chriſtum ex Virgine natum eſſe, & ſecundum Prophetarum vaticinia naſci debuiſſe, Matth. 1. 23, 25 expreſſe docetur. Virginem autem parere, non modo contradictorium, ſed & ipſo vocabulo ridiculum eſſe exiſtimant una cum Atheis Judæi, aliique S. Scripturæ adverſarii, cum nihil magis quam partus virginitatem excludere, nec conceptio abſque concubitu concipi.

Nos vero concedimus, iſta naturaliter ita ſeſe habere; verum cum hic de re miraculoſa quæſtio ſit, non eſt quod de Naturæ viribus ſimus ſolliciti. De miraculorum poſſibilitate ſuperius Lib. 1. cap. 6. diſputavimus, oſtendimuſque nihil eſſe quod eam convellat, quod &, conceſſa Dei exiſtentia, per ſe manifeſtum eſt. Si enim Deus eſt, qui Naturæ ſit author, is dubio procul Naturæ curſum ſiſtere, immutare, pervertere pro ſuo libitu, imo penitus deſtruere poteſt, quibus in rebus miraculorum patratio conſiſtit. Quocirca nec de eo dubitari poteſt, an Deus, qui hominem, una cum toto Univerſo ſive Natura condidit, eumque ex terra produxit, ſemen humanum in uterum virginis, citra viri vel hominis cujuſdam opem, conjicere, eique fovendum, & ad maturitatem uſque geſtandum, committere poſſit. Atque adeo iſtud hactenus negari nequit, donec quis demonſtraverit, non eſſe Deum, Univerſi conditorem. Non enim nunc de veritate hiſtoriæ, ſed de rei poſſibilitate agimus. Neque hoc volumus, Mariam etiam poſt conceptionem & partum ipſum virginem manſiſſe: iſtud enim nihil præter meram logomachiam eſt. Si enim virginem eam dicimus, quæ virum non ſit experta, res penitus eſt confecta; ſin virginitatem deſtrui velimus (quod ſane concedi facile poteſt) per ſeminis in utero contentionem, &

partum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

partum, non eſt quod de eo litigemus. Scriptura enim nihil aliud intendit, quam Chriſtum à viro nullo eſſe genitum, ſed ab ipſo Deo in utero virginis creatum, in quo nihil abſurdi eſſe poteſt.

De Chriſto, Joſephi Filio.

3. Cum Chriſtus, non à Joſepho ſit genitus, videtur eum non poſſe Davidis filium vel ſemen appellari.

Quæſtio hæc à plurimis eſt exagitata & feliciter diſcuſſa. Quia inter Judæos jure adoptionis & ſucceſſionis filii appellari conſueverant, prout ab *Grot. Woltz. Mald. Bren. &c*: aliis eſt oſtenſum. Sufficit igitur hæc innuiſſe.

De infanticidio Herodis.

4. Hoc cum à Flavio Joſepho, qui mores & flagitia iſtius Regis accurate depinxit, ne verbulo quidem innuatur, fabuloſum videri quiret. Qua de re *Brenius*, & ex eo *Woltzogenius* accurate tractat, Commentario in Matth. cap. 2. 6. pag. 127, indicatque fieri poſſe, ut infanticidium iſtud non ſub Herodis nomine, ſed imperio diſſimulato, perpetratum ſit. Et hęc cauſa ſubeſſe potuit, cur iſtud facinus Joſepho non fuerit cognitum. Ne dicam hiſtoriam iſtam a *Macrobio* recenſeri.

De loco Joh. 2. 18, ubi Judæi Templum 46 annis ædificatum eſſe aſſerunt.

5. De hoc etiam loco inſpiciatur dictus *Woltzogenius* pag. 743, qui oſtendit Judęos triginta & octo annos, quibus in Templi ædificatione ceſſatum ſit, ſub ipſo ædificationis tempore comprehendere potuiſſe, atque id facere, ut Chriſtum tanto magis pudefaciant. Similemque loquendi modum ex Eſdr. 5. 16, invidiæ Judæis creandæ cauſa, ab eorum hoſtibus ad Regem Darium uſurpatum, producit. Atque ita patet, non a vero abludere, Judæos ita fuiſſe locutos.

De aqua Betheſda.

6. Hiſtoriam de balneo iſto, Johanni Euangeliſtæ cap. 5. 1, 2, 3, 4 &c memorato, falſitatis ſuſpectam reddere nonnulli volunt, eandem ob cauſam ob quam infanticidium Herodis. Sed nihil hoc eſt: cum Joſephus omnia quæ Chriſti gloriam reſpiciebant, quamvis optime ipſi cognita, ſilentio prętermiſerit, imo eo adulationis prolapſus ſit, ut Titum Veſpaſianum pro Meſſia Judæorum non obſcure agnoverit. Fieri etiam potuit, ut miracula ibidem edita, non admodum diu duraverint. Quemadmodum Theodoretus hanc ſanitatis in balneo iſto recuperationem poſt-

mortem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

mortem Chriſti deſiiſſe teſtatur, ut multi illam ignorare potuerint, & inter e
Joſephus.

De ficu, à Chriſto per execrationem exſtirpata.

7. Mattheus cap. 21. 18, 19, 20 refert, Chriſtum ficui, eo quod in ea, idq tempore quo nondum fructus habere poterat, prout Marcus cap. xi. 13 addit, fr ctum non inveniret ita maledixiſſe, ut e veſtigio radicitus exaruerit: id quod Ath aliique abſurdum eſſe credunt.

Sed mirum eſt eos talia taxare: ſive enim cauſa maledicendi fuerit, ſive minu nulla arbori injuria fieri potuit. Chriſtus vero id fecit, ut ſuos fidei efficaciam edoc ret, quem in finem arborem iſtum adhibuit. In Socrate nemo reprehendit, quod, diſcipulum doceret familiam ſuam recte gubernari, uxorem Xantippen juſſerit va oleo & melle repleta, in plateam projicere, eaque ſimul cum illis perdere.

De locis ex Veteri Fœdere perperam ab Apoſtolis allegatis.

8. Hanc calumniam multi Commentatores in Novi Fœderis libros optime deter ſere, oſtendentes in ſingulis locis, vel ea recte ſecundum Septuaginta Interpretu verſionem, vel tantum per applicationem, vel alio convenienti modo, ad ipſoru ſcopum acommodari. Quos inter principem, meo judicio, locum tenet *L. Woltzo genius*, Comm. in Matth. p. 61. Is, de vocibus *ut impleretur quod dictum eſt per Prophe tas*, ſimilibuſque in Novo Inſtrumento non raro occurrentibus oſtendit, illis no ſignificari, ea quæ ibidem facta ſunt, eum in finem ab eo qui illa faceret fieri, ut e quæ à Prophetis prędicta erant eventum ſortirentur; ſed frequenter nihil aliud deno tare, quam quod iſtiuſmodi geſtis, facinoribus vel miraculis, verba alicujus Pro phetæ oportune accommodari poſſint, vel quod iterato eo modo deberent impleri quippe quę futurę rei typum complecterentur, vel etiam ſimilem hiſtoriam deſcribe rent. Et ſic conjunctionem cauſalem *ut* nihil præter rei eventum denotare, & pro *ita ut* accipi debere, cujus acceptionis exempla paſſim in Sacris Literis ſint obvia.

De morte Filii Dei.

9. Tria præcipue hic abſurda objiciuntur. 1. Quod Deus Filium ſuum (qui longe excellentiore modo ejus Filius eſt, quam cæteri homines) eumque innocentiſſimum, trucidari iniquiſſime ſit paſſus. 2. Quod cum Chriſtiani ex Scriptura credant, mor-tem ejus humano generi ſalutem æternam peperiſſe, Deus illius trucidatoribus adeo immitis fuerit, ut eos per tot ſecula tam duriter in exilio, in quod poſt tot atrocia to-lerata depulſi ſunt, detinuerit, & etiamnum detineat. 3. Si ſalus humani generis, morti Chriſti fuerit alligata, quid futurum fuiſſet, ſi nullus eum occidere voluiſſet,

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

vel ipſe ſe morti tradere recuſaſſet, eamque turpi defectione devitare voluiſſet? De primo non eſt quod multum laboremus, cum nihil in eo abſurdi eſſe poſſit, ſi Deus eum non modo à morte liberare, ſed ad ſummum gloriæ, felicitatis & potentiæ faſtigium, poſt & propter toleratos cruciatus, conſtituerit. Quod Deum feciſſe expreſſis verbis teſtatur Scriptura Epiſt. ad Philip. 2. 6, 7, 8, 9, 10. Nec etiam ſecunda objectio multum habet difficultatis: cum facinora non ex bono quod ea ſubſequitur, præter intentionem patrantis, imo contra ejus opinionem, ſed ex animo flagitioſo æſtimari debeant, ſecundum illud *Ovidii*

careat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab eventu facta cruenta notet.

Cum nullum ſcelus atrocius committi potuerit, quam id quod à Judæis in Chriſtum commiſſum eſt, hominem interimendo, non modo nullius criminis convictum, ſed omnium virtutum, & in illos ipſos beneficiorum immenſorum atque innumerorum genere commendatum, idque ex mera invidia, & in pietatem odio. Ad tertium non opus eſt reſpondere, cum Scriptura nullibi expreſſe doceat, ſalutem humani generis, morti Chriſti ita fuiſſe connexam, ut Deo integrum non eſſet, illud alio modo ſalvare.

CAPUT V.

De abſurditatibus utrique Fœderi communibus: & primo

De membris & paſſionibus humanis, Deo attributis.

1. HOrum primum ſumemus, quod Deo paſſim humana membra, nec non paſſiones animi tribuantur: quæ cum recta ratio doceat Deo non competere, hinc concludere licet, Scripturam à Deo minime profectam, ſed ab impoſtoribus confictam, & hominibus pro verbo Dei obtruſam eſſe. Fundamentum objectionis iſtius eſt, quod Deo iſta nullo modo competere poſſint: quod tamen à nemine hactenus eſt oſtenſum, Fateor membra corporalia, qualia homines habent, & paſſiones quæ mentem turbant, adeoque moleſtæ, tædioſæ & fruſtraneæ ſunt, Deo non convenire, cum abſque perfectiſſima beatitate concipi non poſſit; ſed propterea in Deo talia membra & animi attributa, quæ ejus naturæ conveniant, locum habere non poſſe, negamus. Et cum Sacrę Literæ aperte indicent, Deum non eſſe hominibus ſimilem, non eſt quod quidquam abſurdi eam Deo attribuere contendamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

De Dei mutabilitate.

2. Deus populo Judaïco multa præcepit obſervare, idque ſub capitis ſupplicio quæ poſtea Chriſtianis adhuc ſeverius interdixit: terrena bona populo Judaïco, pietatis præmium pollicitus eſt, eorumque fruitionem conceſſit, Chriſtianis vero æterna condemnatione indicta, ni illis abſtineant, eaque abjiciant, indixit. Qu ipſo Scriptura Deum, hominis inſtar, mutabilem ſtatuit. Et qui ſententiam aliqua re mutat, ſe antea erraviſſe eo ipſo palam oſtendit. Quod in Deum cadere poſſe, ne mo ſanæ mentis aſſerere poteſt.

Sententiam mutare, id eſt, credere aliquid falſum eſſe, vel de eo dubitare, quo antea verum eſſe credideris, ingenii erroris obnoxii certiſſimum eſt indicium, quo de Deo ſtatuere abſonum eſſe concedimus & urgemus. Sed hominibus mandare quædam, quorum contraria poſtmodum ab illis exigamus, errorem minime arguit: i enim non fit quia antea erravimus talia præcipiendo; ſed fieri poteſt, quia is cui e mandavimus, poſtea ad meliora pręſtanda idoneus factus eſt, qualis antea non fuerit Filio infanti, animi recreandi gratia, talis & crepundiis uti mandabimus, quod ægerrime feremus in eo poſtquam adoleverit. Præterea, quod Deus Chriſtianis contraria præceperit & promiſerit, illis quæ olim Judæis injunxerat & promiſerat, merum eſ beneficium. Cum enim Judæis nulla niſi terrena promiſſa dederit, nihil etiam præter puerilia ab ipſis (ut ita dicam) exigere potuit. Sed à Chriſtianis, quibus cæleſtia bona eſt pollicitus, meliora & perfectiora exigere potuit. Quod Natura præmii omnino requirere videtur. Nec in eo ulla mutatio animi eſt, quod poſterioribus majora beneficia conferre voluerit quam prioribus: cum liberum ipſi ſit, de ſuo quod vult conferre. Iſtiuſmodi autem mutatio nihil abſurdi, nec Deo inconvenientis habet.

De Prophetiis non impletis.

3. Prophetæ, tam Veteris, quam Novi Fœderis, multa magnifica prædixerunt, quæ hactenus eventum non ſunt ſortita, & quidem talia, quę cum Chriſti ſive Meſſiæ adventu compleri debuerunt. Felicem, videlicet, iſtum populi Dei ſtatum, in quo ſecure, abſque ullo belli, excidii, imo ullius morbi vel incommodi alcujus metu victuri eſſent. Quibus plane contraria hactenus illis acciderunt.

Integrum librum hæc materia requirit, ut accurate tractetur. Nec tamen opus eſt illi longius immorari, cum hactenus nemo ex Atheis in publicum prodierit, qui in ſpecie oſtenderit, quænam prædictiones eventum nondum ſint ſortitę. Et præterea *Brenius*, tractatu *de Regno Chriſti glorioſo*, & in *Amica Diſputatione contra Judæos*, oſtendit, illas prædictiones, quę hactenus nondum ſunt adimpletæ, ita eſſe prolatas, ut tempus, earum completioni deſtinatum, non exſpiraverit. Præterquam quod eas etiam aliquatenus impletas eſſe, ille una cum plurimis aliis doceat. Quocirca, ſi ulterius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ſi ulterius urgere velint, ad ea quæ ab aliis hunc in finem ſunt producta, prius reſpondeant, oportet.

De induratione.

4. Indurationem, quam Scriptura Pharaoni, populo Judaïco, iiſque qui Chriſtianam religionem, penitiſſime ſibi cognitam, deſerunt, immiſſam eſſe teſtatur, injuſtam eſſe volunt adverſarii. Quia tum peccatum homini neceſſarium redditur.

Sed multum falſi ſunt. Scriptura enim Rom. 9. 22 expreſſe teſtatur, neminem à Deo indurari, niſi poſtquam eum multa cum longanimitate & ſatis diu pertulerit, & pœnitentiam exſpectaverit. Deus autem non tenetur reſipiſcentiam hominum diutius exſpectare quam vult, & quam ſpes ejus adhuc aliqua reſtat. Cujus ſpe deficiente, viam reſipiſcentiæ præcludere, eum naturę ſuę relinquere, & Diabolo potentiam ſeductionis abſolute permittere poteſt: nec quidquam in eo eſt injuſtitiæ.

Reſtant non pauca adhuc abſurda, ab Atheis & Judæis aliiſque, Chriſtianis magno numero objecta, v.g. dogma de Trinitate, ubiquitate corporis Chriſti, tranſſubſtantiatione panis & vini in Sanguinem & Corpus Chriſti, de prædeſtinatione hominum æterna & abſoluta ad flammas infernales & ſimilia. Ad quæ reſpondere non eſt opus, cum ipſi infideles paſſim credant, ea in Scriptura non doceri, ſed ab hominibus eſſe conficta, ſaltem merito de multis dubitari poſſe, an Scriptura talia doceat. Quocirca ad iſta tantum, & quidem præcipua, reſpondere neceſſe judicavimus, quæ Scripturam expreſſe docere adverſarii contendunt, vel ſaltem in dubium revocari non poteſt, Scripturam ea docere.

CAPUT VI.

De S. Scripturæ certitudine & veritate.

TAmetſi alii ſatis ſuperque oſtenderint, Sacram Scripturam eſſe divinam, id eſt, nihil niſi vera docere, quę ab ipſo Deo hominibus ſint revelata, ne tamen quis, in hunc tractatum incidens, libris iſtis, a nobis aliquoties citatis, deſtitutus, ſibi non ſatiſfactum eſſe conqueri poſſit, breviter argumentum, quo id evinci poſſit, promere eſt animus.

1. Primo igitur ſtatuendum eſt pro fundamento, quęſtionem hanc, nec experimentis, nec rationibus à Natura petitis dirimi poſſe, cum ſit hiſtoria rerum olim geſtarum, cujus certitudo tota a teſtimonio hominum, qui ejus oculati & auriti teſtes fuerunt, dependet. Quod in omnibus hiſtoriis uſu venit, de quorum fide non dubitamus, modo idonei teſtes non deſint.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

2. Cum Novum Fœdus Veteri veritatis & divinitatis teſtimonium præbeat, Novo tantum laborandum eſt: ejus enim authoritate ſtabilita, ſimul negotium Veteri confectum erit.

3. Scripturam, præſertim Novi Fœderis, incorruptam ad nos perveniſſe, ſuperius Lib. 1. cap. 12 adverſus adverſarii cavillationes oſtendimus, quocirca id nunc verum eſſe præſupponimus.

4. Præſupponimus etiam, ſi vera ſint quę de Chriſti & Apoſtolorum moribus miraculis rebuſque geſtis in Novo Fœdere traduntur, doctrinam quam tradiderunt quæque ibidem deſcripta eſt, à Deo eſſe profectam.

5. Oſtendendum igitur eſt, vera eſſe quæ Scriptura de Chriſto ejuſdemque Apoſtolis recenſet.

6. Iſtud vero evincit fides, a tot hominibus revelationi illi adhibita, idque ex omni ordine & genere, quamvis non modo nihil in doctrina Chriſti, quam rejecta religione, cui à teneris aſſueti eſſent, amplecterentur, naturę gratum & jucundum ſit; ſed etiam infamia, minis ſæviſſimiſque cruciatibus ab ea abſterrerentur.

7. Nullo autem pacto concipi poteſt, religionem iſtam tam ſubito, tot hominum myriadibus & millionibus perſuaderi poſſe, niſi miraculoſis operibus, omnes Naturæ vires ſuperantibus, quorum partem Sacra hiſtoria enumerat, adacti fuiſſent ad credendum, à Deo eſſe profectam.

8. Præſertim cum homines, nulla vi humana adhibita, nec tot malis exterriti eam paſſim amplecterentur. In quo maximum evidentiſſimæ veritatis robur elucet, quod omnium miraculorum efficaciam ad perſuadendum ſuperare videtur. Quis enim unquam hoc præſtitit, vel præſtare potuit, non dicam abſque armorum præſidio, ſed omni verſutiæ genere, exercituum & victoriarum munimentis inſtructus?

9. Chriſtianam vero religionem, eo quod dictum eſt modo orbem pervaſiſſe, dum adhuc ab omnibus premeretur, & omnes Mundi rectores unanimiter in eam ſævirent, eamque omni truculentiæ genere exſtirpare anniterentur, inde eſt manifeſtum, quod ante Conſtantini tempora, id eſt quartum ſeculum, nullus Chriſtianus ad publica munia, nedum ad Imperatoriam vel Regiam dignitatem, quæ ſola vim adhibere potuit, admiſſus fuerit. Cum tamen tribus ipſum præcedentibus fere ſeculis Chriſtianos ubique vixiſſe, & diras perſecutiones, in quibus aliquot centena millia eorum, omni cruciatuum genere interemta ſunt, ſuſtinuiſſe adeo ſit manifeſtum, ut nemo illud, niſi ex mera malitia in dubium vocare queat. Quod & ipſi Chriſtianorum hoſtes abunde teſtantur. Videatur Tacitus Annal. 15. Plinius Junior Epiſt. 97. lib. 10. Suetonius Tranquillus in Nerone &c. Quorum primus ſub annum Chriſti 90, ſecundus 100, tertius 120 anno floruit.

10. Deinde etiam hoc certum eſt, Chriſtianos ab initio eadem de Chriſti prædicatione, vita, morte, reſuſcitatione, in cælos adſcenſione, indidemque Spiritus Sancti effuſione, item de Apoſtolorum & Chriſti miraculis crediaiſſe, quæ in Apoſtolorum Scriptis extant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

11. Si autem nec Chriſtus, nec Apoſtoli ulla miracula feciſſent (præterquam quod plane impoſſibile fuiſſet, ut ſic tot omnis generis, etiam eruditiſſimos & perſpicaciſſimos homines, in ſuas partes, inter tot cruciatus pertrahere potuiſſent) quomodo id omnes adeo conſtanter ab ipſo initio credere potuiſſent, & omnibus qui poſt Chriſti mortem religionem ipſius receperunt, id perſuaderi? De Ignatio Lojola, Jeſuitici ordinis fundatore, ne ipſis quidem Jeſuitis omnibus perſuaderi poteſt, eum miracula edidiſſe, aliis id publice refellentibus, nonnullis defendentibus. Sed non opus eſt his diutius immorari, cum veritas noſtræ Religionis à D. Brenio, in Dialogo ſuo, eique addita Demonſtratione Relig. Chriſt. nec non à Socino, Mornæo, Grotio, aliiſque ſufficienter ſit adſtructa, & à nobis hoc ipſo tractatu non pauca hic illis ſint interſperſa, quæ veritatem ejus non parum confirment.

CAPUT VII.

Argumenta Atheorum, quibus ex Lumine Naturali, non eſſe Deum Naturæ conditorem & gubernatorem, evincere conantur, enodantur, eorumque debilitas oſtenditur.

TErgemina argumentorum claſſe Athei non eſſe Deum Naturæ creatorem & gubernatorem, evincere conantur. Prima eſt eorum quibus ex ipſa Naturæ conſtitutione & natura demonſtrari poſſe credunt, non eſſe Deum. Altera eſt qua volunt oſtendere, omnia in Natura ex æterna cauſarum concatenatione fieri. Tertia claſſis eſt argumentorum, quibus evincere conantur Naturam univerſam nihil eſſe niſi unam, unicam ęternam & perfectam ſubſtantiam, pręter quam nihil exiſtere poſſit.

1. Primam claſſem, quæ octo argumenta continet, hoc capite examinabimus, quorum primum ipſius Naturæ ſtabilitas & firmitudo exhibet, quam nemo negare poteſt adeo eſſe conſtantem, ut in omnem perennitatem inconcuſſa conſiſtere poſſit. Quam & Sacra pagina comprobat, affirmans eam non à ſe ipſa perituram, ſed ab ipſo Deo deſtruendam eſſe Hebr. 1. 11, 12. 2 Pet. 3. 7, 10. Pſal. 102. 26, 27. Ex quo neceſſario conſequitur, eam etiam abſque initio conſiſtere potuiſſe. Atque hinc facile concluditur, ſi nunquam Naturæ conditoris mentionem fando audiviſſemus, neminem ullam iſtiuſmodi conditoris ſuſpicionem, nedum opinionem hauſurum fuiſſe; ſed omnes potius ex Naturæ contemplatione eam pro abſolute æterna fuiſſe habituros, niſi impoſtores quidam, populum ad ſuperſtitionem, quando fortuna ipſis iniqua obtingit, proclivem, in deliram iſtam opinionem, de Mundi creatore abduxiſſent.

Si enim Mundus aliquando deſtrui deberet, vel ab aliqua cauſa in ipſo Univerſo re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ſidente deſtrueretur, vel quæ extra illud ſubſiſtit. Extra Univerſum nihil eſſe pot cum omnia complectatur, & infinitæ ſit extenſionis. In ipſo Univerſo non poteſt ſidere, quia tum vel pars ejus, vel totum eſſe deberet. Neutrum autem illud deſtr re poteſt, ergo nunquam deſtrui poterit.

Reſpondeo ad poſtremum iſtud prius, negando, in ipſo Univerſo non poſſe ha tare cauſam ipſius Univerſi, quæ non ſit pars ejus, ſed Dominus. Quemadmod in domo ejus Dominus & fabricator habitare poteſt, qui tamen non ſit univerſæ d mus pars, ſed eam mutare & deſtruere pro ſuo libitu poſſit.

De impoſtoribus, quos Athei homines ſeduxiſſe contendunt, circa opinionem Naturæ conditore, capite undecimo, Deo dante, acturi ſumus. Sed præſens arg mentum minime evincit non eſſe Deum: quamvis enim concedam neminem ex ſo Naturæ contemplatione ad Dei cognitionem deventurum fuiſſe, hinc minime ſequ tur non eſſe Deum, vel Naturam non eſſe creatam: vel conceſſo eam ab æterno po tuiſſe durare, & nunquam ſponte corruituram. Si enim fabricata eſſet, à nullo al potuit fabricari, niſi ab eo qui abſolute ſit omnipotens, & quidem (ex hypothe Atheorum, quam & nos amplectimur, nihil videlicet niſi ex materia poſſe produci ex materia quæ abſolute ſit ęterna. Ex qua ut ab iſtiuſmodi ente opificium aliquod ex truatur, quod ſponte corrumpi non poſſit, ullam contradictionem implicare abſolu te nego. Ex quo manifeſtum eſt, ex eo quod Natura poſſit eſſe ęterna, minim ſequi eam æternam eſſe, & non factam. A poſſe, enim, ad eſſe, nulla eſt conſe quentia.

Deinde. Conceſſo nullam eſſe abſurditatem in eo, ſi ſtatueretur, Naturam abſo lute eſſe æternam, non magis quam in ejus creatione, nondum tamen ſequitur, prio rem ſententiam eſſe certam. Quin potius contrariam certam eſſe conſtabit ex rationi bus, quas cap. penultimo daturi ſumus.

Adde, ſi Natura ab omni æternitate extitiſſet, nullo modo concipi poteſt, quod de ejus æternitate non multo plures homines eſſent perſuaſi, quam de ejus initio. Cum prior opinio ex ipſa rei veritate & certiſſima experientia oriri debuiſſet; at ea de ejus creatione, contra rationem, veritatem & certiſſimam experientiam omnium hominum, qui ab infinitis ævis extitiſſent, quamque ab incunabulis hauſiſſent, ab omnibus fere recipi debuiſſet.

Hoc tamen ingenue fatemur, ſi nullam unquam Numinis mentionem fando hauſiſſemus, nullam hujus argumenti refutationem nobis in mentem venire poſſe. Atque hinc eſt quod Athei, in diſputationibus quas de Dei exiſtentia inſtituunt, duo requirere ſoleant, primum eſt, ut de veritate noſtræ de Dei exiſtentia opinionis, ſerio dubitemus, quaſi alias non poſſimus ipſorum argumenta abſque præjudicio expendere. Alterum ut mentionem Dei plane ſeponamus: quaſi ex re de qua quæſtio inter nos viget, exceptionem proferre non liceat. Nos vero non modo utrumque planiſſime negamus, verum inſuper exiſtimamus, eos qui iſtam ſemitam terunt, à veritate in hac materia fere neceſſario aberrare, & ad Atheiſmum, juſto Dei judicio, demitti.

Primo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Primo enim plane falſum eſt, non poſſe nos adverſariorum argumenta, juſta rationis lance expendere, niſi de Dei exiſtentia ſerio dubitemus (& ſi id facere tenemur, idem profectò ab Atheis ſerio fieri eſſet neceſſe, ut utrimque eadem foret conditio pugnæ). Deinde omnino iniquum eſt poſtulare, ut de rei alicujus certitudine dubitemus, niſi prius rationes dubitandi juſtæ adſint. Iſtæ vero minime adeſſe poſſunt, niſi vel rationes, ob quas aliquid certum eſſe creditur, infirmas eſſe oſtendatur, vel argumenta quæ non queamus diſſolvere, pro contraria ſententia proferantur. Qui vero abſque iſtis conditionibus ſerio dubitare de religionis veritate audeat, is jam non amplius eſt fidelis, & omne jus ad divina promiſſa amittit: atque ita Dei gratia merito deſtitutus, mirandum non eſt, ſi fidem plane repudiet.

Alterum etiam plane eſt iniquum: quia totum argumentorum Atheiſticorum robur in eo conſiſtit, quod Natura cuncta producit. Iſtud autem incertum ad minimum manet, quamdiu nondum conſtat, an non Ens aliquod, Naturæ conditor, quod jam plerique exiſtimant, exiſtat. Quare non eſt ſeponenda iſtius mentio, donec ab Atheis fuerit demonſtratum, tale ens vel non poſſe exiſtere, vel ſaltem minime exiſtere. Quod in tota hac diſputatione probe eſt notandum, & ejus cardo eſt.

2. Secundum Atheiſmi fulcrum id faciemus, quod Natura ita ſit comparata, ut ipſa ſatis indicet, ſe à nemine ſapienter dirigi (cujus contrarium Numinis aſſertores omni ſtudio contendunt, & ſtatuere coguntur, ſi Naturam creatam eſſe aſſerere volunt, quod non niſi ab ente perfectiſſimo fieri poſſe certum eſt) ſed eam ex inſita ſibi facultate moveri. Si enim ab aliquo ente optimo & ſapientiſſimo dirigeretur, nullo modo eſt conſentaneum, ut tot entia & caſus in ea locum haberent, quę ad ſui ipſius perniciem, & ad humani generis extremam miſeriam & ineffabile tædium comparata ſint. Cujuſmodi ſunt horrendi iſti & ignivomi montes, qui flammarum & cinerum, petrarumque terribili eructatione, agros, pagos, civitates & integras regiones, una cum hominibus cæteriſque animantibus iniquiſſimo fato obruunt. Voragines marinæ, nec non ſcopuli cæci navivori, horrendæ tempeſtates, tonitrua, fulgura, peſtes, in ſolius humani generis perniciem, nec in ullius rei commodum exiſtentes & orientes. Terrę-motus & abyſſi, quibus montes, prata, oppida & regiones abſorbentur, inſulę in continentem, continens in inſulas convertuntur, marium & fluviorum curſus per impervia loca terribiliter impellitur, vel etiam in perviis impervius efficitur, cum infinitorum hominum miſerabili interitu. Venenata & carnivora animantia, nec non alia, quæ vel ſono, vel pruritu, vel mordicatione, vel fructus & flores depaſcendo, hominibus non leviter nocent. Adde tot morbos quibus humana natura ſubjecta eſt, ne infinita alia recenſeam, etiam quæ Natura homini tanquam præſtantiſſima dona conceſſiſſe videtur, ex quibus tot incommoda in humanum genus redundant, ut tota Natura in ejus perniciem conſpirare videatur. Quod ſane locum habere non deberet ſi a bono & ſapienti Numine regetur.

Reſp. Quandoquidem nunc non ex ſolo Naturali lumine diſputamus, ſed una cum mentione Numinis (quod omnino neceſſarium eſſe, paulo ante oſtendimus) nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

nobis jam cognita, ſive ex notionibus ab ipſa Natura petitis (ut vulgo exiſtimant) v potius ex inſtitutione aliorum, multiplici nomine argumentum iſtud eſt ineffica Primo enim negamus, non eſſe conſentaneum, ut iſta omnia, quæ Athei enum rant, in Natura locum habeant, ſi ens aliquod abſolute bonum & ſapiens eam reg Quia multa in rerum Natura exiſtere poſſunt, quorum natura & conſtitutio nol omnino ſit incomperta, & quorum Naturæ gubernator non minorem debeat habe rationem quam hominum. Adeo ut ea quę hominibus ſint pernicioſa, nec ullam ip utilitatem adferant, aliis rebus valde conducant. Deinde merito etiam de eo dubit poteſt, ſi non abſolute negari, quidquam iſtorum eſſe, quod non etiam hominib ſit utile. Quod enim his damnum infert, id aliis ſemper prodeſt. 3. Quid quod & iſ quæ nemini hominum proſunt in naturalibus, ea vel ipſorum quibus accidunt, v aliorum ſaltem animos, ad majorem Numinis, Naturæ conditoris, reverentiam obſequium inſtigant. Et quod ad venenatas & noxias herbas, animalia &c, ex iſt non modo eadem utilitas, ſed & alia commoda, partim incognita, partim etiam pe ſpecta, vel ab hominibus, vel à Deo, vel ab aliis entibus, quæ forte non novimu percipi poſſunt. Quod in ſingulis non opus eſt oſtendere, cum id jam ab aliis luc lenter ſit præſtitum. In balænis id v. c. intelligi poteſt, quarum caro per tot ſecu nullam utilitatem habere credita eſt: cum tamen ex iis tot commoda homines ac cipere nunc didicerint. Idem in cæteris rebus locum habere poteſt, quamvis hom nes nullum hactenus fructum, ex multis rebus quæ in Natura inveniuntur, percipe didicerint. Adde, ſi quid omnino inutile cenſeri deberet, non tantum opus eſſ oſtendere, hominibus id non eſſe utile (quod ne quidem oſtendi poteſt) ſed nihil i tota Natura eſſe, quod aliquod commodum ex iſtis rebus percipere poſſit. Quo omnino oſtendi non poſſe, per ſe eſt manifeſtum. Nec id tantum, ſed etiam oſten deberet, ipſum Deum, ſi quis exiſteret, nullum ex iſtis honorem vel oblectamen tum percipere poſſe.

In piorum adverſa & malorum proſpera fortuna, eædem nobis ſatiſfacere poſſun conſiderationes. Deus enim homini nihil magis debet quam cæteris entibus: adeo u eos abſque iniquitate fortunę naturalis caſibus objicere poſſit, quando obſequium nul lum ab eis exigere vult. Cultum vero exigens, majorem illorum habet rationem. E hinc eſt quod videamus, pios (quos nos admodum raro cognoſcimus) multo majori bus commodis perfrui, quam ex Naturæ curſu accepturi fuiſſent: prout libri Biblic oſtendunt. Cum vero in illis legamus, Deum ſub Novo Fœdere ſola cęleſtia bon promiſiſſe, poſt mortem demum diſtribuenda, nullam plane malorum nobis acci dentium rationem eſſe habendam certum eſt. Imo in piis ſub Veteri Fœdere nullam iſta difficultatem pariunt, cum eadem ſors illos maneat, quamvis illi nullam ejus re notitiam habuerint. Quamdiu igitur, non poteſt oſtendi, hæc ita non ſe habere, vel ea abſurda aut impoſſibilia eſſe, tota difficultas hac exceptione diſſolvitur.

3. Tertia Atheorum ratio eſt infinita hujus Univerſi rum duratio (quam ei mere naturaliter conſideratæ tribuere nos cogi lubens dabo, & reſpectu materiæ ex qua eam creatam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

creatam eſſe abſolute concedo) tum extenſio. Cum autem non poſſit exiſtere ens præſtantius eo, quod abſolute eſt infinitum & æternum, ſequitur non eſſe Deum, Naturæ conditorem. Is enim ſi exiſteret, prӕſtantior ipſa Natura eſſe deberet (utpote iſtius cauſa efficiens) quod impoſſibile eſſe ex præmiſſis apparet: cum nullum præſtantius ens dari poſſit eo, quod abſolute eſt infinitum. Et id quod tale eſt, nullo modo produci, neç alterius entis imperio ſubjectum eſſe poteſt.

Reſp. Si certum foret, nullum præſtantius ens dari poſſe eo, quod reſpectu durationis materię ex qua conſtat, & extenſionis eſt infinitum, ratio iſta nos cogeret, opinionem de Naturæ conditore & gubernatore, ut plane falſam rejicere. Sed iſtud rectiſſime negatur. Quia nullam contradictionem implicat dari ens, quod præter iſta, etiam infinita agendi facultate & intellectu ſit præditum; quod profecto longe excellentius foret ipſa Natura.

At urgebit forte Atheus, nec iſtis attributis Naturam eſſe deſtitutam: ac propterea, me ipſo fatente, nullum præſtantius ens ipſa Natura exiſtere poſſe. Imo nullum præter eam ens exiſtere poſſe, quia impoſſibile eſt ut plura quam unum entia exiſtant, extenſione, duratione, vita, intellectu &c infinitis prædita. Nam præter infinitorum hominum, beſtiarum & aliorum intellectu præditorum entium vitam, intellectum & potentiam, etiam potentia & vita, Solis, cœli, ſiderum & cæterorum entium ſunt conſideranda. Quæ omnia ſimul conſiderata, cum infinitum Univerſum conficiant, per ſe patet, Naturam infinito intellectu, vita, potentia &c eſſe prӕditam.

Verum enim vero apprime eſt notandum, totam hujus inſtantię vim in eo ſitam eſſe, quod Natura proprie loquendo una tantum & ſimplex ſit ſubſtantia (qua de re poſtea pluribus diſſerendi erit locus) eamque non modo infinitum intellectum, per individua Naturæ diſperſum, in ſe continere; ſed inſuper omnes intelligendi facultates, ſi conjunctim conſiderentur, infinitam intelligendi facultatem una conſtituere: nec id tantum, verum etiam omnes iſtas particulares facultates revera poſſe conjungi, vel conjunctas eſſe, adeo ut omnia ſcire & intelligere proprie loquendo Natura poſſit & ſciat. Quæ omnia à nobis negantur, nec unquam demonſtrari poſſunt. Niſi enim oſtendi poſſit, infinita in rerum natura exiſtere entia intelligentia, & talia quidem quæ intellectum ſuum ſimul in unum conjungere poſſunt, nullo modo probari poteſt, Naturam infinito intellectu eſſe præditam. Quod impoſſibile eſſe per ſe patet.

Et quamvis etiam certum eſſe videatur, ens quod abſolutè infinitæ eſt extenſionis, aliud ens extenſum excludere, ac idcirco impoſſibile eſſe videatur, dari Deum: quia contradictionem implicat, ut plura entia exiſtant in eodem loco, quem nunc ens totum occupat. Advertendum eſt ſedulo, 1. nihil eſſe quod nos cogat credere, Dei eſſentiam infinitam habere extenſionem. Quemadmodum enim Sol in Terram & ea quæ inter ipſum & Terram ſunt entia, operatur (qui ſi intellectum potentiæ ſuæ ſimilem haberet, plurima ſciret) quamvis eſſentia ſua non eſt ubique ubicunque operatur, ita multo magis Solis Creator omnia regere poteſt, quamvis eſſentia ſua non ſit ubique. Deinde, quamvis Natura non aliter conſiderari poſſit, quam in infinitum extenſa (ſi vacuum dari concedatur, & ſub ea comprehendatur) certum tamen eſt, aërem (qui omnem locum occu-

pare à multis creditur, in quo non ſint alia corpora denſiora) comprimi poſſe, & aliis entibus locum non denegare: cum multas vacuitates in ſe contineat. Niſi enim ea contineret, vas ſolo aëre ſponte plenum, tantundem corporis extenſi contineret, quantum aliud vas ejuſdem capacitatis, Mercurio, aqua vel plumbo repletum. Dari autem *vacuum*, ab *Ottone Guerichio*, tractatu *de vacuo ſpatio*, libro tertio, Mathematice demonſtratur, adeo ut neceſſe non ſit, ut à nobis quidquam prȩterea addatur. Quando quidem igitur certum eſt, Naturam non abſolute in infinitum eſſe extenſam, vel ſaltem contrarium non poſſit demonſtrari, nullo modo neceſſe eſt, Deum per ejus extenſionem excludi. Prȩterquam quod nulla corpora adeo ſint ſolida, per quæ ſonus (qui nihil eſt quam ſpiritus ſive tenuiſſimum corpus) non poſſit penetrare: quanto magis eſſentia Divina, quam certe non craſſiorem ſtatuere poſſumus quam ſonum, aliumve ſubtiliſſimum ſpiritum naturalem. Ex quo ſequitur divinam eſſentiam (quæ certe non majorem locum quam aër, quamvis in infinitum eſſet extenſus, occupare credi poteſt, nec etiam quam ventus, qui alia entia minime excludit) propter infinitam, quam Naturæ tribuimus extenſionem, minime excludi. Præterquam quod nemo oſtendere poſſit, non eſſe in Natura plurima loca omnino vacua. Etiamſi quid ſit locus diſtincte explicare non poſſimus, niſi locum deſcribere placeat, ſpatium quod corpora capere poſſit. Quæ ſane definitio omnibus ſatiſfacere poteſt.

4. Quartam Atheorum probationem hanc faciemus: ſi quis Naturæ exiſteret creator, omnino neceſſarium eſſet, ut omnibus ſeipſum manifeſtaret, quo non modo ab omnibus ei debitus cultus, ſed etiam honor qui ipſi competeret, exhiberetur. Nunc vero tot homines, & quidem ingenio maxime omnium pollentes, reperiuntur, qui non credunt eſſe Deum. Imo quemadmodum omnia quæ facta ſunt, evidentiſſima ſigna habent impreſſa, ex quibus unuſquiſque colligit eſſe facta: ita etiam Natura, ſi creatorem agnoſceret, creationis indicia manifeſta gerere deberet. Cum tamen ipſimet agnoſcamus, quod ea minime habeat, ſed potius æternitatis argumenta ſui ipſius exhibeat.

Ad poſterius hujus argumenti membrum ſufficiunt ea quæ hujus capitis initio, de eo diſſeruimus, quod ex materia æterna, à Deo omnipotente, Natura aliter creari non debuit, quam ut ſemper immutata conſiſtere poſſit. Sed ad prius membrum dico, valde impertinenter requiri, ut Deus ſe omnibus patefaciat, cum ab omni hominum memoria, vix ulli homines extiterint, quibus ſe non adeo manifeſtaverit, ut firmiter crediderint eum exiſtere, & humillima ſubjectione eum non coluerint.

Recolamus enim omnem antiquitatis memoriam, qua certe nulla antiquior eſt, quam hiſtorica Biblica. Ibi vero legimus Deum, ſimulatque hominem condiderat, ſeipſum illi manifeſtaviſſe. Idem mox etiam *Abeli* & *Caino* fecit Gen. 4. 4, 6, 7, 9, &c. coll. cum Hebr. XI. 4. *Enocho* vix 200 poſt *Adami* obitum annis Gen. 5. 22. *Noacho* Gen. 6. 13 &c, necdum mille ducentis poſt *Adami* fata annis elapſis, & vix 700 poſt *Enochi* tranſlationem. Idque cum patres iſti 900, 300, 400 & pluribus annis revelationes ſuas poſteris prædicaverint & confirmaverint, præter revelationes quæ procul dubio aliis, quos Scriptura non memorat, factæ eſſe poſſunt & contigerunt. Poſt turris *Babel* ædificatoribus Gen. XI. 1 &c, *Abrahamo* Gen. 12. 1 & ſeqq. *Pharaoni* Gen. 12. 17.

Melchi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Melchiſedeco Gen. 14. 1 &c. *Agari* Gen. 16. 7, 8 &c. *Lotho* Gen. 19. 16. *Abimelecho* Gen. 20. 3 &c, multiſque aliis, ut *Moſi* totique populo Judaïco, & ſucceſſive tot Prophetis aliiſque. Tandem *Jeſu Chriſto*, ejuſque Apoſtolis, Legatis & tot Chriſtianis. Per quos omnes totus terrarum orbis Numinis cognitione eſt imbutus. Quod cum homines paulatim fuiſſent obliti, & ſe de Deo & ejus cultu egregie ratiocinari poſſe ſentirent, putaverunt ſe ex propriæ rationis facultate Dei cognitionem excogitaſſe & invenire poſſe.

Quod autem hoc tempore non pauci Deum eſſe negant, id certe non eſt argumentum, quod Deus ſeipſum non ſatis manifeſtaverit: fieri enim poteſt (& procul dubio etiam certum eſt) quod homines iſti evidentiſſima divinæ exiſtentiæ argumenta rejiciant: quemadmodum apud omnes in confeſſo eſt, nihil fere adeo certum eſſe & perſpicuum, quod non ab aliquibus in dubium revocetur, & planiſſime etiam à multis rejiciatur, ipſis Atheis urgentibus. Profectò ſi ea quę libris quos *Biblia* appellamus continentur, certa ſunt, & non confiɛta, ut certè ſunt, nemo adeo erit impudens, credo, qui negare auſit, Deum ſatis ſeipſum manifeſtaſſe. Cum vero nemo unquam oſtenderit, iſta eſſe falſa, ad minimum certum manere debet, neminem oſtendiſſe, Deum ſeipſum non ſatis manifeſtaviſſe.

Adde, quod negari non poſſit, Deum magnam oblectationem & gloriam ex humano genere percipere poſſe, quamvis eorum nullus eſſet, qui ipſum pro Naturæ conditore agnoſceret: quemadmodum homines multa gubernantur, poſſident, & ex illis oblectamentum accipiunt, quæ neſciunt quod eorum ſint domini & productores. Adeo ut nullo modo neceſſe ſit, quod Deus omnibus hominibus indicare debeat, ſe Naturæ eſſe conditorem. Cum fieri ad minimum poſſit, ut Deus (qui hominibus nullo modo indiget, & abſque illis beatus eſſe poteſt) velit fidem hic locum habere. Ad quam omnino neceſſarium eſt, ut neminem cogat credere, ſe exiſtere: ac idcirco aliis mediis, quibus ſuam exiſtentiam manifeſtam faciat, uti non debet, quam illa quæ adhibuit. Ex quo patet, argumentum iſtud nullius eſſe efficaciæ.

5. Quintam rationem hanc faciemus. Si Univerſum eſſet creatum, ex aliqua materia (ſecundum noſtram hypotheſin) creari debuit. Cum vero nulla præter ipſum Univerſum materia exiſtat (cum omnia complectatur) nullo modo creari potuit.

Non conſideravit hujus argumenti inventor, eſſe quidem entia, quæ ex aliqua materia producuntur, ex qua poſtea plura ſimilia, vel etiam alia produci poſſunt; ſed etiam eſſe, quæ totam materiam, ex quo conficiantur, abſumant. Quemadmodum olim Romani omnem materiam lapidis porphyretici, & iſtius ex quo cellæ ad aquas conſervandas conficiuntur (Belgice **tras of cement/duyfſteen**) totam abſumſerunt in ædificiis, eorumque ornamentis, adeo ut nihil ullibi amplius, præterquam in antiquis ædificiis, ſit reſiduum. Sic etiam Univerſum, quod omnia continet, omnem omnino materiam neceſſario requirebat, ſi factum eſt.

6. Sexta ratio erit poſſibilitas circulationis, vel ejuſdem naturalis neceſſitas, eo quo inferius exponemus modo conſiderata cap. 9, ad tertium arg. Quamvis enim Athei eam non urgeant, quin potius eam pro abſurda & impoſſibili habeant, poſſet tamen ex iſtis quæ ibi dicturi ſumus, quis exiſtimare, eam omnino eſſe certam. Jam ſi ipſa

Natura, ex inſitâ ſibi proprietate, corruere, & ex propria ſubſtantia in novam Naturam neceſſario reſtitui deberet, non modo nihil eſſet, quod nos cogat credere eſſe Deum ſed & plane foret abſurdum iſtud opinari.

Reſpondeo. Si ex eo quis oſtendere velit, non eſſe Deum, is validiſſime deberet probare, non modo eſſe poſſibile, Naturam iſto modo ſe habere (quod ex iis quæ deinceps cap. ſeq. dicturi ſumus, impoſſibile eſſe apparebit) ſed id plane eſſe certum Quod non modo minime demonſtrari poteſt, ſed etiam omnino eſt falſum & impoſſibile. Ea enim quam deſcripſimus circulatio, nihil aliud eſt, quam quod animal vel planta &c, ex eſſentia ſua ſemen relinquit (vel quod ejus corpus & anima in terra vel aqua aut aëre conjectum, putreſcit, & ſic ex eo alia entia, ſive generentur, ſive alantur) vel quod ſemen in matrice ab exiguo corpore, per extrinſeca alimenta paulatim creſcit, & perfectionem ſuæ naturæ acquirit. At vero ubinam matrix, ubi alimenta & excrementa deliteſcent, in & ex quibus tota Natura creſcere, nutriri & egerere poſſit? Adeo ut iſta circulatio omnino ſit abſurda & impoſſibilis.

7. Septima ratio eſt. Si Deus eſt Mundi Fabricator, is rationes habuit cur Mundum creaverit. Atqui impoſſibile videtur, ut eadem ratio non citius, imo ab æterno ad creationem eum impulerit. Num antea nihil habuit quod regeret? vel quod eum honore, cultu & obſequio proſecutum fuerit? num ab omni æternitate otioſus fuit?

Reſp. Divina revelatio materiam ſuppeditat refutationis iſtius argumenti. Cum enim materia, ex qua Mundus eſt productus, apta nata ſit ut infinities mutari poſſit; & omnis diverſitas, quam ſponte ſectamur, oblectamentum pariat, Deus ob eandem rationem, ad Mundum hunc producendum permoveri potuit, qua fortaſſis antea longe aliud Univerſum aliquoties produxit, & poſthac producturus ſit. Quod nemo demonſtrare poteſt, non eſſe verum. Materiam autem Naturæ infinities, alio atque alio modo eam miſcendo, poſſe mutari in aliam formam, nemo inficiari poterit, modo ad viginti quatuor literarum elementa attendat, ex quarum permutatione adeo infinitus vocabulorum & linguarum numerus exſurgit. Id vero in Univerſo antehac fortaſſis etiam eſſe factum; ex eo colligi non inepte poteſt, quod Sacra Pagina Angelorum mentionem faciat, quos tamen Creationis hujus initio productos eſſe non legimus. Quocirca minime abſurdum eſt, illos ante Mundum hunc cum alio Univerſo fuiſſe creatos, quod cum tempus illorum judicio deſtinatum effluxiſſet, à Deo deſtructum fuerit. Id vero falſum vel abſurdum eſſe, nemo demonſtrare potis eſt.

Vel ſi cui hæc ſolutio non arrideat, aliam dabimus. Ea eſt, poſſe aliquid aliquando fieri, quod non niſi iſto tempore & occaſione fieri conveniat, ob rationes quas tempus & occaſio exhibet. Cum autem (dato Mundum eſſe creatum) impoſſibile ſit ut nos ſciamus per ratiocinium, quæ ratio Deum ad creationem impulerit (conceſſo etiam quod ſemel tantum Deus creaverit) omnino impertinens eſt exigere, ut nos rationem iſtam indicemus. Quæ profecto talis eſſe poteſt, ut eam ante iſtud tempus Deus nec habuerit, nec habere potuerit, nec poſtea habiturus ſit. Quod etſi à nobis explicari nequit, negari tamen minime poteſt.

8. Octavam rationem ſumemus, humani generis ex terra ſpontaneam generationem

em. Quæ ſi poſſibilis eſſet, vel unquam contigiſſet, nihil impedit credere, Mundum ſſe æternum, nec ullus ejuſdem gubernator requiri videtur: quia tum omnia ab ipſa Natura produci poſſent. Poſſibile iſtud eſſe, ab illis qui S. Scripturæ Authoritatem diinam attribuunt, negari nequit, quæ homines ex terra productos eſſe affirmat Gen. 2. , 19, una cum beſtiis. Ex quo manifeſtum eſt, eam non modo beſtiarum, ſed & hominum eſſe materiam.

Quamvis non deſint Scriptores, qui iſtam hominum ex terra generationem commenorent, nemo tamen reperitur, qui eam ut certam referat, multo minus demonſtrare uerit conatus, eam fieri poſſe, vel unquam eſſe factam. Impoſſibilem eſſe ex omnibus ſtis facile intelligitur, quæ ad hominis productionem neceſſario requiruntur, & in terræ viſceribus ut fiant, minime eſſe poſſibile, per ſe patet. Quamvis enim homines ex erra produci poſſe ab omnipotente ſubſtantia concedam, hinc minime ſequitur, teram illos per ſe, ſive propriis viribus poſſe creare. Neque enim ulla eſt conſequentia, i ex argilla vas, ex cera vel coloribus imago poſſit formari, argillam vel ceram iſta per ſe producere poſſe. Adde quod ne quidem conceſſo, terram homines per ſe poſſe producere, ſequitur non eſſe Deum, non magis quam ex eo quod terra plantas & inſecta producit. Fieri enim poſſet, quod Deus Terrę vires iſtas indidiſſet. At vero, quemadmodum oſtendimus, plane impoſſibilis eſt iſta hominis ex terra productio.

CAPUT VIII.

Alia Atheorum argumenta, præcedentibus adhuc ſubtiliora, examinantur atque enodantur, quæ duas reliquas ipſorum argumentationis claſſes abſolvunt.

PRimum quod hic examinare conſtituimus erit, an omnia quæcunque in tota rerum Univerſitate contingunt, ex inſita ipſi Naturę neceſſitate fiant. Iſtud enim ſi certum foret, fruſtra de Dei exiſtentia eſſemus ſoliciti: quia nec commodum nec noxam nobis vel Naturę inferre valeret. Et ſic nobis perinde foret, ſive Deus exiſteret, ſive minus. Si ergo oſtendi poſſit, omnia neceſſario fieri, res penitus erit confecta.

1. Ut igitur, quid in hac cauſa certum ſit aſſequamur, à vocibus *neceſſarium* & *contingens* ordiamur, quæ nobis, una cum earum ſignificatione innotuerunt. Prima, quando in propria ſignificatione accipitur, id denotat, quod non poterat non, vel aliter quam evenit vel fit evenire. Altera autem id quod vel non, vel aliter contingere vel fieri potuit, antequam exiſteret. Res neceſſarias in eas diſpeſcere cogimur, quæ vel per extrinſecus adhibitam violentiam, vel per inſitam proprietatem aut impetum fiunt. Contingentes vero in eas quæ per accidens, & eas quæ libere fiunt. Quæ poſteriora nullis niſi ratiocinandi vel deliberandi facultate præditis entibus attribui queunt.

Homo ad proprias ſuas actiones attendens, primo intuitu ex inſita naturæ ſuæ proprietate, abſque ratiocinio, non poteſt non credere, ſe in agendo plane eſſe liberum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Atque hinc eſt quod ab ipſa infantia, priuſquam ratiocinari ſciunt, neceſſarium ſe experiuntur impetum, ad vitandum ea quibus offenduntur. Si quod incommod acceperunt, & poſtea videant aliquid, quo malum declinare potuiſſent, ſi cog tum iſtud habuiſſent, ſemper deplorant, quod iſtud in mentem ſibi non venerit ant Abſurdum autem foret, iſta humanæ naturæ eſſe implantata ab ipſa Natura, ſi om à neceſſaria naturalium cauſarum concatenatione inevitabiliter evenirent. Imo co tradictorium eſt, nos clare & evidenter infallibilia ſcire media, quibus aliquid certo tare potuiſſemus, ſi nulla in rerum Natura media exiſterent, quibus id vitari poſſet. quo manifeſtum eſt, planiſſime adverſari cognitioni nobis innatæ, & principiis natu humanæ, nos neceſſario agere, & propterea planiſſime eſſe falſum.

2. Idem etiam ex ſignificatione omnium nominum eſt evidens, quæ qualitates, pr prietates vel attributa ſignificant. Quorum in rerum Natura nullum eſt, cujus non e tet vocabulum, quod ejus contrarium deſignat. V. g. vita, bona valetudo, dulced gaudium, libertas, calor, lux, & quidquid eſt ſimilium. His contraria ſunt mors, mo bus, amarum, dolor, vis vel neceſſitas, frigus, tenebræ &c. Nec eſſent vocabula i cognita, niſi res illis ſignificatæ exiſterent. Cum ergo vox *libertatis in agendo* exiſtat, diſtinctam habeat ſignificationem, procul dubio etiam ea in rerum natura locum habe Ergo non omnia neceſſario fiunt.

3. Si non eſſet libera actio, ſive libertas in agendo, tum libertas merum eſſet *nihil*. ſic objectum noſtræ cognitionis eſſet nihil (novimus enim quid ſit, ejus diſtinctam h bemus definitionem, facultas enim eſt ad agendum vel non agendum aliquid, vel alit quam forſan acturi ſumus agendi) cujus tamen nulla eſt affectio, quod contradicto rium eſt.

4. Nota ſunt hominibus *actio* & *paſſio*. Si non eſſet libertas in agendo, nullę etiam e ſent actiones. Actio enim conſulto & deliberando fit. In paſſione autem deliberati nulla locum habet, ea enim per vim nobis infertur. Niſi enim inter actionem & paſſic nem realis eſſet differentia, & niſi actio in rerum natura locum haberet, unde nobis e cognita eſſe poſſet? num *nihili* diſtinctum conceptum & definitionem cognoſcer poſſumus? Ex quo denuo patet, homines libere agere.

5. Quicquid ex inſita naturæ neceſſitate fit, id tanto fit impetu, ut eum nemo com peſcere, vel ſaltem difficillime queat. Apparet id in orbibus cęleſtibus, motu maris fluminum, coïtu & partu beſtiarum, earundem nidificatione, fotione, educatione fœ tuum & ſimilibus. Nos vero homines (præſertim Chriſtiani, qui ex perſuaſione de ve ritate fidei in Chriſtum actiones dirigimus) multa facimus contra inſtinctus, appetitus & paſſiones naturales, idque non ſine magno labore, & contra reniſum facultatum na turalium. Quod non deberet eſſe poſſibile, ſi omnia ex inſita naturæ neceſſitate à no bis abſolute agerentur neceſſario.

6. Quicquid per inſitam abſolutam neceſſitatem fit, id nulla vi nec arte præpediri poteſt. Omnes autem humanæ actiones, modo quis agendi propoſitum ante ipſam actionem noverit, ſemper impediri poſſunt: quemadmodum in prima ratione ex-

plica-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

icavimus. Ex quo manifeſtum eſt, eas non abſolute neceſſario fieri.

7. Si omnia ab hominibus neceſſario fierent, aliquid exiſtere debet quod eos cogát: emo enim ſeipſum cogit, ſed quiſque neceſſariam habet ad libertatem propenſionem. tud autem quod neceſſitatem imponat, extra humanæ naturæ imperium eſſe debet Deum non appellabimus, quippe cum Atheis negotium habentes) quod iſti æternam uſarum inevitabilium concatenationem eſſe credunt, quarum una ex alia immutabili urſu fluentes, certiſſimum ordinem retinent. Quid vero iſta concatenatio ſit, vel quo acto eam adſtrui poſſe credant, id non niſi intimis amicis revelare volunt. Alii autem anc neceſſitatem ex ipſo judicio practico (quod vocant) quod ea quę mens bona eſſe idicat, neceſſario eligit, deducere volunt.

Prius iſtud nihil aliud eſſe videtur, quam quod cælum, ſtellæ fixæ, ſidera & Cometæ (motu ſuo circa globum terraqueum, vel globi terreſtris circa illa, vel ſaltem ircum Solem, Mercurium & Venerem) efficacem operationem in globum terreſtrem, n ſe mutuo, & in omnia quæ ſibi inſunt & interjacent, emittunt, & ſic omnia ex ſe nvicem neceſſario fluunt. Fatentur tamen ſe ipſum ordinem & ſucceſſionem rerum oncatenatarum in pleriſque ignorare, & præcipue in humanis actionibus. Sed ex rædictionibus rerum futurarum, quas nonnulli in arte aſtrologica exercitati, ex cęli t ſiderum conſtitutione, ex ſommiis & oraculis proferunt, valde in ſua ſententia onfirmantur.

Videamus ergo an ullo modo ſit probabile aut veriſimile, quod cauſæ neceſſitantes, d hominum actiones pertingant. Quod ut rectius intelligatur, animadvertendum eſt, mnes cogentes operationes, motus vel paſſiones (vel quocunque eas nomine indigeare lubet) nobis cognitæ, evidentem & certum ordinem & ſucceſſionem retinent, qui unquam immutatur, vel debilitatur, nec per ulla accidentia impediri poteſt. Manifeſto d cernere licet in motu planetarum, ſtellarum fixarum vel terreſtris globi; in motu naris & fluviorum, ventorum in quibuſdam oris, luminis Lunaris auctione & diminuione, Ecclipſibus Solaribus, Lunaribus, Planetariis &c. Quę omnia abſolute neceſſaium motum naturaliter obtinent, qui Naturaliter immutari nunquam poteſt. Prout xperientia, numerando & menſurando infallibiliter teſtatur.

Sunt præter hæc alia quædam in Natura, motum quidem etiam certum & regularem retinentia; qui tamen per multa extrinſecus accidentia, debilitari, ſiſti & penitus tolli poſſit. Cujuſmodi eſt vegetatio, augmentatio & multiplicatio animalium, plantarum, mineralium, lapidum &c. Quę proinde non abſolute neceſſaria vocari poteſt, vel poſito quod accidentia iſta etiam neceſſario evenirent. Quia finis & perfectio iſtorum (quæ abſque iſtis accidentibus fuiſſet ſecuta, vel citius, vel melius & perfectius fuiſſet abſoluta) per accidentia frequentur impeditur & ſupprimitur.

At tertium motuum naturalium genus, videlicet actiones humanę, in quibus non modo infinitam varietatem, ſed etiam experimur deliberationem locum habere, an, quando & quomodo eas exequi velint, in eis nullum coactionis veſtigium experiri neque oſtendere poſſumus.

9. Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

9. Ex eo quod nihil ex nihilo proveniat, concludunt nonnulli, actiones omnes neceſſarias, quia actionem in Natura locum habere experimur. Cum igitur omnia c exiſtunt, ſecundum iſtud axioma, neceſſario exiſtant, & conſequenter ab ęterno, ſeq tur omnes actiones neceſſarias eſſe, & ab æterno actiones neceſſario in Natura loc habuiſſe.

Sed non conſiderant actiones non eſſe entia, ſed voluntarios tantum entium rati præditorum motus, qui ſtatim deſinunt, & antequam fierent nihil erant actu, potentia tantum. Itaque actionem exiſtere, vel eſſentiam habere proprie loquend negatur. Si omnes actiones ſibi invicem ita connexę eſſent, ut omnes ex ſe mutuo fl rent, nec ulla quies in Natura locum haberet, tunc actio revera exiſteret, quemadm dum in motu orbium cæleſtium, maris &c. Motum itaque ſimplicem neceſſarium e concedo, non actionem. Quando enim animalia dormiunt vel quieſcunt, motus q dem in illis, non vero actio locum habet. Facultatem etiam agendi & non, item h vel illud pro libitu agendi, nec non materiam in qua actiones exſeri debent, in Nat neceſſario exiſtere, fateor; ſed tantum agendi minime. Si ergo (quod quiſque in ſeip experitur) facultas iſta in Natura locum habet, contradictorium eſſet ſi omnis actio n ceſſario exſereretur: quia facultas quieſcendi & pro libitu agendi, nunquam in actu deduceretur. Si enim omnis actio neceſſariam haberet exiſtentiam, ſemper eadem n mero actio exerceri deberet: quod falſum eſſe per ſe patet. Neceſſario igitur exiſte nihil aliud eſſe concedo, quam quod ens ex nihilo non extiterit, nec in nihilum red poſſit. Actiones autem entia eſſe nego, & neceſſarias eſſe minime poſſe, ex earum d finitione per ſe manifeſtum eſt. Atque ita facile intelligi poteſt, actiones omnes, quam vis mere ſint contingentes, non tamen ex nihilo originem trahere, ac proinde non op eſſe ut ſint neceſſariæ. Si demonſtratum foret Naturam unam proprie loquendo e ſubſtantiam, in qua omnia per æternam & immutabilem cauſarum concatenatione fiunt, fateor argumentum recte procedere. De hac materia igitur mox uberius act ſumus. Quamvis ergo facultas agendi, & materia in qua actiones exſeruntur, neceſſ rio exiſtunt, cum tamen motus iſte ab hominum voluntate dependeat, ille non opus e ut neceſſarius exiſtat, niſi demonſtrari poſſit voluntatem cogi. Cujus contrarium ja ſatis oſtendimus.

10. Ajunt præterea, ſi non omnia neceſſario nexu ſibi invicem eſſent connexa, & per cauſarum æternam & inevitabilem concatenationem non fierent in Natura, tota Naturam per aliquod accidens corruere poſſe. V. G. Si caſus aliquis Solis vel Terr motum ſiſteret, tum pars illa Terræ, cui Sol eſſet perpetuo verticalis, & cęli regio So proxima, neceſſario fervoribus iſtis perderetur, altera autem quam nunquam illumina ret, frigore periret, ſimileſque caſus ſi in ventis & tempeſtatibus oborirentur, reliqu Mundi partes neceſſario corruerent, totaque Natura interiret.

Ad quod primum reſpondeo, ſepoſita Numinis conſideratione, nihil in eo eſſ abſurdi, quod tota Natura corrueret. Non enim *nihil* fieret.

Deinde. Nullo modo ſequitur Naturam poſſe corruere, quamvis omnia in tot

Univerſitat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Univerſitate non neceſſario agerent. Quia actiones humanæ ad totius Naturæ conſervationem nihil faciunt. Sufficit ſi iſtæ Naturæ partes neceſſario moveantur, quæ ad ejus conſervationem ſunt neceſſariæ. Qualis eſt motus Stellarum errantium, Terræ, Maris & ſimilium. Sed ab hominum actionibus, à ventorum accidentario motu, & ſi quæ ſunt ſimilia, totius Naturæ conſervatio vel ruina minime dependet. Quia iſtorum efficacia ad totam Naturam non pertingit, imo entium aliquod univerſum genus perdere nequit. Quamvis enim, v. c. ut poſſibile poſſit conſiderari, quod omnes in toto terrarum orbe viri, in eo convenirent, ut omnes mulieres occiderent, ex quo facinore generis humani interitus conſequi neceſſario deberet, iſtud tamen ad reliquas Naturæ partes minime pertinget: quę ceſſante genere humano, nihilo minus immutatæ permanebunt.

At vero ſi mentionem Numinis adhibeamus (quam profecto nulla ratio cogit ſeponere) argumentum iſtud multo adhuc debilius erit: quia reſponderi poteſt (præter jam dicta) fortaſſis eſſe Deum Naturæ conditorem, qui ejus ruinam, ſi per aliquod accidens obtingere poſſet, avertere queat. Saltem incertum ad minimum eſſe, an non tale Numen exiſtat, per ſe patet.

Et quod ad prædictiones futurarum rerum ex conſtitutione Sæli, earum futilitas, vanitas & falſitas adeo eſt manifeſta, ut manibus palpari poſſit. Quæ ut adhuc evidentius pateſcat, exercitatiſſimos in iſta arte provoco, ut ſpecimen ejus exhibeant.

Ea vero cum unice fundata ſit in proprietatibus & viribus ſiderum & Planetarum, quæ illis ex fictis, quibus ab hominibus appellantur, nominibus attribuuntur, & ex Planetarum in Sideribus, & cæli, quas vocant, domibus conjunctione, oppoſitione, aſpectu &c, idque in ipſo nativitatis articulo.

Cumque ipſa ſidera nihil aliud ſint quam fictitia nomina, ab hominibus, ad deſignandum in cælo locum ſtellarum fixarum, collectioni ſtellarum impoſita (v. c. *Aries, Taurus &c*, cujus nullam plane ſimilitudinem figuræ obtinent) de quibus nemo unquam cognoſcere potis eſt, num ſtellæ iſtæ ut una imago conſideratæ, eaſdem vires & proprietates ſimul habeant conjunctim, & annon ſingulę ſtellę proprias, & quidem contrarias in eodem Sidere facultates poſſideant. Et pręterea motus Planetarum adeo ſit velox, nec non globi terreſtris, ut ſingulis momentis centena aliquot milliaria progredi & locum mutare credantur.

Ac idcirco certum conjunctionis & oppoſitionis tempus, eo momento quo homo naſcitur, ſciri nullo modo poteſt. Tempus etiam præciſum quo homo naſcitur obſervari nequit. Multo minus ſciri, an obſervationes ab ipſo conceptionis, an vero à nativitatis momento inchoari debeant (conceptionis ſane nemo novit): quia non minus eſt veriſimile, eas à conceptionis, quam nativitatis momento inſtitui debere, ſi ullis in hominum caſibus Siderum eſſet effectus.

Præterquam quod alia adhuc plurima ſint incerta, videlicet de qualitatibus Martis igneis, de Saturni Frigidis, &c, cum nomina iſta ſint conficta: res ipſa clamat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

plane impoſſibile eſſe, quod hic aliquid certi prædici poſſit; quamvis certa earum
hominibus eſſet & neceſſaria operatio.

Adeo ut merito liceat nobis negare, ſtellas fixas, vel quinque Planetas præter So-
lem & Lunam, ullum in terra effectum præſtare: cum, ſecundum aſtronomicas com-
putationes, immane quantum à ſe invicem & à globo terraqueo diſtent. Ut plane ſci-
non poſſit, utrum plures ſimul in unum effectum conſpirare, vel aliquam qualitatem
ſibi invicem, vel terræ aut illius partibus imprimere valeant. Adde quod operation-
emanatio, ſi qua eſſet, per tantam diſtantiam, per tot corpora, puta aërem, nu-
bes, ventum, valde languida eſſe deberet, & frequentiſſime ab ingruentibus vent-
diſſipari.

10. Secundum pro omnium entium in agendo neceſſitate argumentum, ſive con-
tra Dei exiſtentiam decimum, ab operatione deſumi poteſt omnium entium Natura-
lium in ſe mutuo & in ſeipſis. Sol enim evidentiſſima omnium quę producuntur eſt cau-
ſa. Ille alimenta ex terra educit, quæ animalium vires ſuſtentant, quibus vivere &
agere poſſunt. Vita fons eſt intellectus in homine. Qui quidem neceſſario in enti-
operatur, ſive contemplando, ſive ad ſuum commodum ea accommodando. Nec i-
alio modo operari poteſt quam iſto, quam objecta ſecundum proprietates cujuſqu-
entis efficiunt. Si intellectus eximius eſt, multa capit, pauca ſi minus eſt ſubtilis
Non poteſt autem rem aliter percipere, quam ea menti ſe exhibet. Si quid tanquam
utile vel jucundum intellectui repræſentatur, id appetit. Si ut noxium vel tædioſu-
averſatur & rejicit; nec aliter poteſt: quia Naturam ſuam pervertere nequit.

Nemo enim id quod menti ſuæ ut malum vel falſum objicitur, amare vel credere
vel quod mens ut verum & bonum percipit, rejicere vel odiſſe poteſt. Actiones ve-
ro omnes intellectum ſequuntur, & ex eo fluunt: quæ propterea æque neceſſario
producuntur, quam conceptus.

Per ſe etiam eſt manifeſtum, in nullius eſſe poteſtate, ut objecta hoc vel iſto mo-
do ſe menti vel ſenſibus internis exhibeant. Sed totum iſtud ex objectorum & mentis
proprietatibus dependet. Si mens eſt ſana, & res oblata pulcra, impoſſibile eſt ut
eam ut deformem percipiat, aut fugiendam.

Pręterea videmus, nihil in tota Natura eſſe, quod non aliquam operationem ex-
ſerat, in qua nullam libertatem locum habere, per ſe manifeſtum eſt. Nihil enim eſt,
quantumvis mortuum, corruptum, immutatum, quod non aliquid producat. De
terra, corporibus animalium mortuis, aqua, aëre nihil opus eſt dicere. Arena vero,
in litore vel ripa Maris aut fluviorum, quid non cochlearum, animalculorum &c pro-
ducit. Ligna, oſſa, frondes aridæ, vermes & animacula generant; panis, caſeus, vi-
num, cereviſia, herbæ coctæ, & quidquid excogitare poſſis, vermes, angues, muſcas,
ſcarabæos & ſimilia egerunt; ferrum æruginem; plumbum ceruſſam ſponte gignit; lana
cimices; linum tineas, & ſic in cæteris. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, omni-
bus rebus naturaliter ineſſe facultatem operatricem, neceſſario operantem. Iſtarum
enim rerum productio à nemine impediri poteſt. Hominis intellectus non minus
cogi-

cogitando, quam corpus alimenta conſumendo, ſemper eſt in motu.

Reſp. Si de Deo nihil unquam accepiſſemus, multa in iſto argumento à nobis refutari minime poſſent. Sed poſtquam ejus non modo exiſtentiam, ſed & reliqua attributa, ex Sacræ Scripturæ oraculis percepimus, ad ea facile reſponſionem elicimus. Ajo igitur primo (præter ea quæ in fine reſp. ad primum argumentum notavimus) quamvis naturaliter neceſſaria activa vis omnibus entibus ineſſet, minime tamen ſequi, eam à nemine Naturæ eſſe inditam; iſtud enim erat probandum. Deinde hanc cauſarum concatenationem, utut multis partibus mancam & imperfectam, quamvis juſta connexione deduci non poſſit, tamen ut perfectam & bonam conſiderabimus (ſi enim omnia neceſſario ex ſe invicem fluerent, etiam omnia accidentia & caſus fortuiti connexi eſſe deberent, idque firmiter ab eo demonſtrari, qui omnia neceſſario fieri aſſerere velit) & primo ſolam objectorum repræſentationem in intellectu expendemus. In qua ſedulo attendere oportet, utrum objectorum iſta perceptio facultatem animæ humanæ, quam voluntatem appellamus, adeo inclinet & cogat, ut impoſſibile ei ſit rem ut jucundam vel utilem intellectui repræſentatam non ſectari & arripere, vel contra.

Id ſi certum eſſet, tum etiam impoſſibile nobis eſſe deberet deliberare, utrum bonum iſtud dedita opera vel alias rejicere poſſemus, ſive ut experiremur num libere ageremus, multo minus impoſſibile foret ut reipſa id repudiaremus, & quotieſcunque vellemus, propoſitum & actiones mutaremus. Quæ deliberandi facultas contradictio eſſet in Natura, ſi in hominum actionibus nulla libertas locum haberet.

Homines vero iſtud facere poſſe quiſque in ſeipſo experitur, nec id cuiquam ignotum eſſe poteſt.

Deinde: quandoquidem videmus quam inſtabiles ſint venti, in pleriſque terrarum orbis regionibus; eoſque in iſtis oris, quibus ſtabilem curſum certis temporum periodis obtinent, adeo incerto tempore vel vehementius vel flaccidius propelli, nullo modo in eis neceſſitatem aliquam in motu concipere poſſumus; vel ſaltem neutiquam demonſtrari poteſt; quemadmodum in motu orbium cæleſtium vel terræ, qui perpetuò eſt plane ſui ſimilis. Qui enim iſtud oſtendere vellet, næ is originem & cauſam ventorum infallibiter indicare deberet.

Cum ergo ſciamus, quot caſus & mutationes venti in radiorum ſolarium efficacia, quam in terram exſerit, parere ſoleant & poſſint, ex eo quod nonnunquam denſos nubes, vel rariores globo terreſtri objiciant, frigus vel calorem intenſiorem vel remiſſiorem reddant, facile eſt perſpicere, quot inde caſus & mutationes dependeant, in interitu vel profectu plantarum, fructuum, animalium, valetudinis proſperæ vel adverſæ, interitu hominum, regionum, navium & infinitorum entium, vel eorundem proſperis ſucceſſibus. Ut omnino incredibile ſit, effectus Siderum, ſi qui ſint in hominibus vel rebus terrenis, certum & neceſſarium ſucceſſum obtinere poſſe.

Sunt qui neceſſitatem hominis in agendo ex eo oſtendi poſſe contendunt, quod omnis actio, quatenus eſt actio, neceſſaria eſt, quia non eſt nihil, ſed aliquid:

omne vero aliquid neceſſario exiſtit. Quod cum nil niſi inanis ſit captiuncula, ad ea nihil opus eſt reſpondere. Quando enim negamus homines neceſſario agere, non eſt quæſtio de actionibus præſentibus, ſed futuris; non de actionibus quatenus fiunt, ſed quatenus non fiunt, ac proinde adhuc nihil ſunt, vel non exiſtunt, de iſtis quæritur, an neceſſario fieri debeant antequam fiunt. His ſi addantur, quæ Lib. 1. cap. 3. & 4. pag. 32 & ſeqq. de hac materia diſſeruimus, ſufficienter de neceſſario & voluntario nos diſputaſſe exiſtimamus.

Non deſunt etiam, qui ex corporis Natura neceſſitatem motus neceſſario fluere exiſtimant, adeo ut, niſi demonſtrari poſſit dari entia, vel ens quod nec corpus nec extenſionem ullam habeat, ſtatuendum eſſe omnia neceſſario agere ſive moveri, & non eſſe Deum. Ego autem, quamvis omnes ingenii nervos intendam, nullam iſtius rei conſequentiam nec connexionem percipere queo. Corpora immobilia, ut lapides, ligna, lutum & ſimilia, nullam in motu libertatem habere, facile concipi poteſt: quandoquidem nunquam, niſi ab alio ente impulſa, moveri poſſunt. Sed corpora quæ propria facultate moventur, qualia ſunt animalia, & præcipue homines, neceſſario moveri vel agere, idque ex natura corporis, nullo modo apparet.

11. Undecima ratio erit nobis ea, qua demonſtrare conantur Atheiſmi defenſores, Univerſum hoc cujus pars ſumus, unicam duntaxat ſimplicem, & proprie dictam eſſe ſubſtantiam. Quod ſi evincere poſſint, exiſtimant non poſſe eſſe Deum. Poſterius primo loco examinabimus.

Atque negamus ex eo ſolo, quod Mundus una tantum eſſet ſubſtantia &c, ſequi non eſſe Deum, modo non concedamus, omnia ex inſita naturali cauſarum concatenatione, neceſſario agere & moveri: quia nihil obſtaret, quominus Natura ita à Deo eſſet facta, ut unicam tantum conſtitueret ſubſtantiam.

Non enim Mundus ita conſtitutus eſt, ut in eo non poſſit habitare Ens, quod non ſit ejus pars (prout cap. præced. docuimus) ſed Dominus & Creator: quemadmodum homines in domo habitant.

Cum tamen omnino ſit credibile, ſi Natura unica tantum ſit ſubſtantia, unam etiam principalem & univerſalem ejuſdem eſſe partem, in qua ejus eſſentialis forma conſiſtat, & quæ ejus quaſi anima ſit: credibile etiam eſt eam eſſe æternam. Oportet etiam ut omnia entia totius Univerſi ſint membra & partes. Ex quo opinio de Deo omnium Creatore & Rectore, valde debilitari & evaneſcere videatur. Quocirca (quamvis conſequentia iſta, prout oſtendimus, non eſſet firma) hanc propoſitionem paulo accuratius expendere cogimur.

Videamus ergo quibus eam argumentis fulcire Athei poſſe videantur. Ajunt autem omnes quas in entibus cernimus qualitates, proprietates ſive attributa, ad eorum eſſentiam minime pertinere. Quod inde conſtare putant, quia aliquando ab illis omnia removentur, manente interim id quod eſſentiam conſtituit (nunquam enim quidquam in nihilum redigitur) V. G. vita, intellectus, color, calor, frigus, odor, ſapor, & quidquid excogitari poſſit, aliquando recedunt. Quod nunc vivit, poſtea vita

caret;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

[c]aret; quod calet, rigebit brevi; quod rubet, nigreſcit, & ſic in cæteris.

Eſt tamen aliquid quod à nullo ente unquam recedere poteſt, extenſio nimirum: [e]a enim ſi recederet, jam ens non exiſteret amplius, vel nihil eſſet; quod impoſſi[b]ile eſſe à nemine negari poteſt, & à nobis abſolute conceditur. Ex quo patet, ſolam [e]xtenſionem eſſentiam omnium entium conſtituere: Cum non tantum ſeparari ab illis [n]unquam poſſit, ſed ſola etiam inſeparabilis ſit, & omnium entium propria. Atque [i]ta manifeſtum eſt, totam Naturam unicam tantum eſſe ſubſtantiam, cujus partes in[d]iviſibli nexu inter ſe cohærent. Cum vero Natura omnia entia in ſe comprehendat, [ſ]equitur nullum ens præter eam exiſtere poſſe.

Reſpondeo. Argumentum iſtud plus habere ſubtilitatis, quam ſoliditatis; & for[t]aſſis animum imperitorum confundere, non tamen ei, ſi pius eſt, ſatiſfacere poteſt: quandoquidem id demonſtrare videtur, quod certiſſimæ experientiæ, ſenſuum externorum & internorum teſtimonio reluctatur. Et fundamentum quo totum innititur, omnino falſum eſt. Quamvis enim qualitates & attributa omnia, quæ nunc in entibus locum habent, ab illis ſeparabiles eſſent (quod tamen nullo modo concedi debet & plane falſum eſt, prout mox oſtendemus) per ſe patet alias ſtatim ſuccedere, vel potius ſe prodere. Si calor recedat, frigus ſuccedet; ſi color, odor, ſapor ille abeat, aliæ protinus locum priorum ſupplebunt qualitates.

Quamdiu vero priores qualitates & proprietates illic locum habent, tum iſtud ens conſtituunt, ad cujus eſſentiam pertinent. V. G. ſi homo moritur, omnes humanæ naturæ proprietates recedunt, & ſuccedunt aliæ tum proprietates, tum qualitates; nunquam tamen omnes qualitates vel proprietates præter ſolam extenſionem recedunt: manent enim calor, color, humor, mollities, odor, ſapor & ſimilia, quæ in entibus in quæ ipſius eſſentia poſt mortem convertitur reperiuntur, puta in vermibus, terra, fimo, vaporibus &c, ex ejus eſſentia prodeuntibus. Præterea in iſtis etiam remanet vita, intellectus, gravitas & ſimiles proprietates. Quæ qualitates, ſive proprietates, inſeparabiliter inibi remanentes, quamvis diſpertitæ, clariſſime evincunt, non in ſola extenſione, nec in ſola una aliqua omnibus communi proprietate, rerum eſſentiam conſiſtere.

Atque hinc perſpicuum eſt, iſto argumento, unitatem eſſentialem totius Naturæ minime demonſtrari poſſe. Sed potius cuncta entia ſeparata eſſe entia vel ſubſtantias, ad quarum eſſentiam certæ quædam illis inhærentes proprietates & qualitates pertineant. Quæ quidem poſt interitum ſuæ eſſentiæ, conjunctas iſtas proprietates non retinent; ſed diviſæ in alia entia commutantur; ita tamen, ut prius ex propria ſua eſſentia, plerumque ſui ſimilia produxerint, omnibus quas ipſæ poſſederant proprietatibus prædita.

Cum vero quædam proprietates & qualitates, in quibuſdam entibus nunquam locum habere poſſint: neceſſario ſequitur, Univerſum non eſſe unam ſubſtantiam. Quia diverſa continet entia, ex diverſis & contrariis proprietatibus conſtantia, atque ex talibus, quæ aliis entibus non poſſunt communicari: cujuſmodi ſunt gravitas, duri-

 ties,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ties, fragilitas, tranſparentia ſive pelluciditas, & multa alia.

Quemadmodum enim à metallis gravitas nunquam ſeparari, ita & in aëre, ver & ſpiritibus nunquam locum habere poteſt: quamvis enim lapides & metalla per co- tritionem, digeſtionem, calcinationem, ſolutionem &c, in ſubtiliſſimum pulvere n re- digi poſſint, adeo ut jam cedant digitorum preſſioni, non tamen priorem duritie & gravitatem in minutiſſimis iſtis particulis amittunt: digitis enim compreſſæ non ce- dunt. Ventus vero, aër, aqua, calor, frigus & cætera levia & mollia, nunquam inter digitos conſiſtunt, ſed cedunt & evaneſcunt. Metalla vero, quamvis ad tempus bre- ve, per aquas fortes & regias, in liquorem converti poſſint, pondus tamen no amittunt, nec digitorum contactum effugiunt, quemadmodum aliæ iſtæ ſubſtanti Deinde negamus Naturam ſive Univerſum omnia abſolute in ſeſe complecti. V rum eſt eam omnia quæ ejus eſſentiam conſtituunt, vel ad eam pertinent, compre- hendere: at ex eo non ſequitur nullum aliud ens exiſtere, vel exiſtere poſſe. Quo etſi in Univerſo habitet, ejus tamen non ſit pars, ſed Creator & Dominus, quema modum paulo ante oſtendimus. Quamdiu igitur nondum eſt oſtenſum, non exiſtere vel non poſſe exiſtere Deum, nullo modo ſtatuere licet, Naturam abſolute omnia i ſe continere, quamvis Univerſi nomine ſit indigitata: nulla enim alia entia comple- ctitur, quam quæ ejus ſint partes.

Ante omnia vero eſt notandum, quod etſi concederem, quod omnia quæ mod recenſuimus entia, omnes qualitates ſuas penitus amitterent, pręter ſolam extenſio- nem, ex eo tamen nullo modo ſequitur totum Univerſum unam tantum eſſe ſubſtan- tiam: ratio eſt, quia id in nullis entibus præter eas, quæ exteriorem globi terreſtri corticem tegunt, locum habet. Præcipuæ autem Naturæ partes & longe maxima molis, nunquam immutantur, nec qualitates & attributa ſua amittunt, Terra, vide- licet, aër, venti, cælum, ſtellæ, planetæ. Ex quo manifeſto liquet, Naturam nullo modo unam tantum eſſe ſubſtantiam.

Sed inquies fortaſſe, cogitatione ſaltem eſſe ſeparabiles omnium qualitates, prę- ter extenſionem, & exinde conſtare, unam tantum eſſe Mundum ſubſtantiam.

Ad quod reſpondeo, quando cogitatione ab omnibus Naturæ partibus, omnes qualitates præter extenſionem removes, tum non potes Mundum, Naturam ſive Univerſum concipere, ſed nudam aliquam lineam, undiquaque extenſam, & ſic non Subſtantiam perfectam. Pręterquam quod iſta cogitationum ſeparatio nihil ad rem facit, cum reipſa ſeparatio iſta ſit impoſſibilis. Deinde, ſi omnes omnium en- tium qualitates ſive reipſa, ſive cogitatione ab illis aliquando forent ſeparatæ, tum vel per ſe abſque ſubjectis deberent ſubſiſtere, vel ita concipi, & ſic pars eſſe Natu- ræ, à qua ſane qualitates iſtę nec cogitatione nec reipſa forent ſeparabiles (cum merę tantum eſſent qualitates) vel in nihilum abire. Quod pręterquam impoſſibile utrim- que eſſe ſtatuimus, rurſus Naturę ſive Univerſi eſſentiam tollit, ad quam omnes qua- litates & attributa neceſſario pertinent: quia abſque illis omnia non complecti- tur. Ex quo jam liquido conſtat, Naturam non eſſe unam proprie dictam ſub- ſtantiam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

antiam. De perfectione Naturæ mox in ſecundo argumento agemus.

12. Verum tamen alio adhuc argumento demonſtrari poſſe exiſtimant, Naturam nicam tantum eſſe proprie dictam ſubſtantiam, quod pro duodecimo Atheorum rgum. reputabimus, naturam videlicet *perfectionis abſolutæ*, quam omnes homines icubi exiſtere contendunt. Si enim nos negaremus dari abſolutam perfectionem, Deum etiam abnegare cogeremur. Cum itaque perfectio abſoluta requirat, ut de ea ihil negari poſſit, ſequitur nullum ens abſolute perfectum eſſe poſſe, niſi omnia quę xiſtunt in ſe contineat, atque adeo totam Naturam, cum omnibus ſuis partibus, nam tantum eſſentiam ſive ſubſtantiam conſtituere.

Quod autem ad abſolutam perfectionem neceſſario requiritur, ut de ea nihil negari oſſit, quamvis per ſe evidens eſſe videatur, hinc intelligi poteſt, quia e.g. pediulus propterea abſolutam perfectionem minime poſſidet, quia perfectionibus caniis, leoninis, ſimiæ, hominis &c eſt deſtitutus: quas ſi haberet, extra omnem diſpuationis aleam, longe foret perfectior quam nunc eſt. Similiter, ſi homo præter proriæ naturæ, etiam Solis, Lunæ & cæterorum entium haberet perfectiones, procul ubio multo quam nunc foret perfectior.

Cum igitur in tota rerum Univerſitate nihil exiſtat, quod in ſuo genere non ſit egreium & excellens, neceſſario ſequitur, quod omnia ſimul juncta demum abſolutam erfectionem conſtituunt. Et quandiu dici poteſt aliquid exiſtere, quod de ente aliuo poſſit negari, iſtud non abſolute perfectum eſſe poteſt.

Deinde, cum Univerſum omnia in ſe complectatur; & quod omnia ſimul juncta mnino perfectum ens conſtituere poſſint, per ſe patet, nullum aliud ens abſolute erfectum, præter Univerſum, cujus pars ſumus, exiſtere poſſe: cum impoſſibile it, ut plura uno ente exiſtere poſſint, quod omnia poſſideat.

Reſpondeo. Ratio iſta præſupponit, & in eo unice eſt fundata, quod ens exiſtit bſolute perfectum. Cum vero in hac de Dei exiſtentia controverſia, deciſio inde dependeat, an ens abſolute perfectum exiſtat, nec ne: nos autem, ſi non eſt Deus, Univerſi Creator, nullo modo cogamur concedere, dari iſtiuſmodi ens (cum pręter llum nullum ens abſolute perfectum exiſtere poſſe credamus) quivis facile videt, Atheis non licere præſupponere, dari ens abſolute perfectum, niſi ſimul concederent, ens iſtud eſſe Creatorem & Gubernatorem Univerſi: alias enim iſtud de ente hoc negari poſſet; & ſic abſolute perfectum eſſe, vi hujus argumentationis, nequiret.

Quamobrem, ſi iſtud concedere nolint, altius adſcendendum eſt, & ab illis oſtendi, dari ens abſolute perfectum, priuſquam ex iſto ſuppoſito deducere liceat, Naturam unicam eſſe ſubſtantiam. At vero, quam pro iſta theſi demonſtrationem producere poſſint, fateor me non poſſe indagare, niſi vocis *Entis abſolute perfecti* ſignificationem urgere velint, quam nobis cognitam non poſſe eſſe aſſerant, niſi res ſignificata exiſteret.

Quam quidem argumentationem legitimam eſſe concedo, ſed eadem opera oſtendi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

oſtenditur, dari Creatorem & Gubernatorem Naturæ, ſive Univerſi vel Mundi.

Præterea negamus Naturam omnia in ſe complecti, id eſt nihil eſſe quod in ej eſſentia non comprehendatur: cum enim Naturæ conditoris nomen nobis cognitu ſit, prius erat demonſtrandum, vel non exiſtere iſtius conditorem, vel ſi exiſtere, eum Naturæ eſſe debere partem, quod contradictorium eſt.

Verum preſſius adhuc agamus. Etſi concederem, neceſſario debere exiſtere e abſolute perfectum, nullo tamen modo opus eſſet concedere, ad illius eſſentiam r quiri, ut de eo nihil negari poſſit. Non ob id ſolum, quod tum imperfectio, mo & ſimilia de eo negari poſſe non deberent (quæ in Natura etiam exiſtunt) verum etia quoniam in plurimis entibus talia ad eorum naturam requiruntur, quæ abſolutę pe fectioni abſolute repugnant. Cum enim ens excellentius, omnes entis vilioris pe fectiones poſſideat, nihil ei à viliori ente pręter imperfectiones accedere poteſt, ſi ſuæ eſſentiæ adjungeretur. V.G. Si homo, pręter proprias ſuæ naturæ perfectione proprietates pediculorum, limacum, vermium, & multas alias acciperet, profect multo quam nunc imperfectior, & deteriori conditione fieret. Ex quo patet, de ent abſolute perfecto, omnia debere negari, quæ ipſius eſſentia ſunt deteriora. Hoc tan tum requiritur, quod non poſſit de eo negari, aliquid exiſtere quod ſuum non ſit, & in quod jus & dominium abſolutum non poſſideat.

Et præter iſta omnia, merito etiam negatur; Naturam ſimplicem eſſe ſubſtantian Quod ſane impoſſibile eſt, cum tot & tam craſſas habeat partes, eaſque non mod non connexas, ſed quę connecti nequeunt. Quamvis autem me non latet, Atheos ea non partes, ſed modos exiſtendi appellare, eo minime efficiunt eas non eſſe partes ſic enim ſequeretur, in rerum Natura nullas eſſe partes, imo oculum totum eſſe cor pus, vel etiam totam Naturam. Nomen *modi exiſtendi* partibus impoſitum, nullo mo do partium naturam mutare poteſt, nec efficere ut partes non ſint partes.

Nec etiam iſtud entium vel ſubſtantiarum pluralitatem tollit, quod in uno tertio puta in extenſione conveniunt: iſtud enim nihil aliud evincit, quam quod omnia en tia partis materiæ, ex qua cuncta ſunt creata, ſint participes, non vero quo partes vel modi exiſtendi tantum ſint unius ſubſtantiæ.

13. Tertia ratio, qua oſtendunt Naturam unicam tantum eſſe ſubſtantiam (qua decima tertia pro Atheiſmo erit) hæc eſt, quod evidenter experiamur, omnia entia, quæ in tota Natura exiſtunt, perpetua viciſſitudine in ſui invicem eſſentias converti, eaque proprietates & qualitates omnium aliorum paulatim recipere. Adeo ut nullum ens videatur exiſtere, quod non toties mutatur, donec in omnia alia entia converſum fuerit.

Ex quo infallibiliter apparet, omnia entia adeo ſibi invicem eſſe connexa & unita, ut omnes unicam tantum ſubſtantiam conſtituant.

Quod autem entia omnia ita permutantur, in tot rebus experimur, ut dubium ſupereſſe nullum poſſit, quin idem in iſtis etiam locum habeat, in quibus propter eorum à nobis immenſam diſtantiam, externis ſenſibus id obſervare non liceat. Conſi-

deremus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ſideremus humanam eſſentiam, ab ejus initio ad interitum cujuſque individui. A conceptione enim ejus eſſentia, ab alimento materno paulatim creſcit, quemadmodum ipſe poſt nativitatem alimenta per os aſſumit. Quæ quidem ſunt plurimæ herbæ, fructus, animalia, quæ comminuta in ſuam eſſentiam convertuntur.

Cumque vita noſtra in eo conſiſtat, quod quotidie eſſentiæ noſtræ pars aliqua per poros decedat, & per alimenta nova accedat. Pars vero decedens una cum excrementis craſſioribus alicubi locum invenit, & in aliorum entium alimentum cedit, & in eorum eſſentiam convertitur. Præterea videmus Solem, Lunam & Stellas perpetuo lucem, radios, vapores ſpirituſve emittere, quibus omnia terrena paſcuntur ac refocillantur, & viciſſim calore ſuo vapores, humores & ſpiritus ex terra, aqua & cæteris corporibus ſurſum educere, quorum indubie quædam partes (& præſertim ignium in & ex terra adſcendentium) ad ipſius corpus adſcendunt, ex quibus alimentum recipit; rurſuſque ſuis radiis & ſpiritibus ex ſe emiſſis alia entia paſcit, una cum cæteris in cæli convexitate corporibus: illa vero Solem & ſe mutuo (quemadmodum in corporibus ſublunaribus accidit) ſpiritibus ex ſe exeuntibus, nutriunt.

Ex quo ſimul evidentiſſime conſtare videtur, omnia entia in ſe invicem operari, & inſenſibiliter eſſe concatenata.

Reſpondeo. (Præter ea quæ ad primum argumentum in fine diximus, ea enim hic omnino etiam pertinent) Entia quę exteriorem globi terreſtris partem incolunt, aliorum entium eſſentiam induere, & in ea commutari, omnino confitemur (quod propter hominem tantum fieri ex eo eſt manifeſtum, quia homo plantis & beſtiis veſcitur, non vero hæc hominibus.) Solem etiam ex earum eſſentia partes aliquas ſurſum evellere, ex ſenſuum externorum teſtimonio conſtat. Iſtas vero partes ſupra nubes (quæ pauca tantum à globo terraqueo milliaria diſtare cognovimus) adſcendere, non modo probari nequit, ſed & ab omni veriſimilitudine eſt alienum.

Præterea negamus, terram in ſumma profunditate, ab hominibus vel cæteris animantibus, plus quam ad milliaris unius ſpatium, vel forſan non adeo profunde, attingi, adeo ut integer fere ejus craſſities, vel tota ejus ferme ſubſtantia immutata perſiſtat. Adde quod ne minima quidem in corporibus ſupra-lunaribus mutatio dignoſci vel oſtendi queat, neque in ipſa Luna, ratione eſſentiæ.

Ac idcirco meritiſſimo negamus, ullam eſſentiæ tranſformationem in tota Natura locum habere, præterquam in ſolis quaſi cortice extimo terreſtris globi habitantibus entibus. Adeo ut hæc ratio magno apparatu producta, uno ictu corruat.

14. Quarta igitur pro Naturæ Unitate, vel quartadecima & poſtrema nobis cognita Atheorum argutatio, deſumitur ab ipſa entis Neceſſarii natura. Cum enim negari non poſſit, materiam ex qua Natura conſtat, eſſe ęternam; & quidquid exiſtit, ex materiæ iſtius Univerſalis parte aliqua conſtare. Et præterea cernamus, in Natura, id eſt in iſtius partibus quibuſdam, eſſe animas, intellectum, vitam, cogitationem, motum &c, per ſe evidens eſt, in univerſali materia, materiam iſtarum qualitatum, proprietatum, vel quocunque libeat illa nominare vocabulo, exiſtere: alias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

enim (ſecundum utrimque conceſſam hypotheſin) ex ea produci non potuiſſent.

Cum vero materia dictarum rerum in Natura reſideat, Naturæ autem facultas i ſit, materiam rerum ad maturitatem perducendi, certum eſſe videtur, eam id feciſ cum ad maturitatem res omnes perductæ ſint, & in ſuo genere quæque perfectę nu exiſtant.

Cum vero impoſſibile ſit, ut iſtę qualitates, proprietates, vel quocumque appe lentur nomine, poſſint eſſe abſque ulla operatione, & operatio non niſi ſecundu determinatas cujuſque entis proprietates &c exſeri poſſit, manifeſtum eſt in quav Naturæ parte, non majorem nec minorem poteſtatem operandi ineſſe poſſe qua ineſt: & conſequenter non poteſt majoribus nec minoribus ad operandum viribus ut quam determinata portio virium inſitarum patitur.

Ex dictis conſequitur, Naturam univerſam unam eſſe ſubſtantiam, cujus part ſecundum æternas ejus leges exiſtunt & operantur: nec poſſe aliam exiſtere cauſa entium & operationum naturalium efficientem, præter ipſam Naturam. Cum eni certum ſit, omnia entia ex materiæ æternæ parte conſtare, & Naturam (quemadmo dum paulo ante explicatum eſt, & per ſe patet) facultate debere præditam eſſe, a ea ad perfectionem perducendum, neceſſario etiam iſtud efficere debet in omnibu quę oriuntur ſive producuntur, ut in hominibus, beſtiis, plantis, mineris, metallis cimeliis, ventis, tonitrubus, fulguribus, nebulis &c; ſed & in iſtis quæ non cernimu produci, qualia ſunt Planetę, ſtellę, aër, cælum, terra.

Quod enim cælum, aërem, Stellas, Solem, Lunam cæteroſque Planetas, orbe cæleſtes & ſimilia entia, nunquam videantur eſſe producta, & perpetuo eundem ſer vent ordinem & ſtatum, ex eo non licet concludere, Naturam iſta nunquam produ xiſſe: utpote quorum productionem nemo unquam conſpexerit, quod ſciamus. No vimus enim multoties, novas, non modo Stellas crinitas, (quos Cometas appellamus ſed & fixas apparuiſſe, quarum nonnullæ poſtmodum diſparuerint, aliæ etiamnum perdurant. Præterquam quod ab Aſtronomis ſit obſervatum, circa octingenteſimum quemque annum, quando univerſalis Planetarum conjunctio contingit, novam ſtel lam apparere ſive produci ſolere, plerumque permanentem. Adde quod hiſtorio graphi teſtantur, non raro novos montes ex mari vel terra prorupiſſe, maria diſpa ruiſſe, nova maria fuiſſe coorta, regiones & inſulas abſorptas, alias autem de novo obortas.

Cum autem iſtorum omnium naturales cauſæ oſtendi ſoleant, facile perſpicere licet, quanta ſit Naturæ potentia, nec ab illa Solis vel ullius entis Naturalis productionem excludi poſſe. Atque iſto modo Natura æterna eſſe, & perpetuo mutari poteſt.

Reſpondeo. Si nunquam de Mundi Creatore ullam mentionem audiviſſemus (quemadmodum ad finem primi argumenti cap. præced. docuimus, eaque huc etiam referri volumus) nihil ad rationem iſtam reponi poſſet. Nunc autem, cum nemo demonſtrare hactenus potuerit, nec unquam poſſit, non exiſtere iſtiuſmodi Creatorem & Dominum Naturæ, nullo modo concedi poteſt, Naturam facultates iſtas, ſibi à

nemine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

nemine implantatas, poſſidere. Quemadmodum enim multæ potentiſſimę operationes in Natura exſeruntur, ab entibus ſenſibus externis non obviis, ita fieri poſſet, ut Iſtud Ens, quod plerique credunt Naturæ eſſe conditorem, inſenſibiliter productionem entium naſcentium efficeret, vel ſaltem juvaret. Quod niſi faceret, Natura per ſe efficere non valeret. Ac propterea non licet Atheis ſupponere, vires iſtas ipſi Naturæ ineſſe, eaſque à nemine inditas, niſi prius demonſtrent, nullum prętter ipſam Naturam ens exiſtere, vel exiſtere poſſe. Atque ita nervis iſtius argumenti præciſis, reliquas ex eo eductas conſequentias negligere liceret. Sed liberalius agere lubet, & dare, vires iſtas Naturę ineſſe: nec tamen exinde educi poterit, revera dari Univerſalem operationem (eamque neceſſariam in omnibus) intellectum, vitam, animam &c, ex quibus tota Natura, ut una proprie dicta ſubſtantia conſtaret. Quia fieri poteſt, ut cuivis Naturæ parti, ſpecialis inſit virtus, vel cuivis rerum ſpeciei, quæ ſuæ ſpeciei materiam perfectam reddere valeret, nullam cum reliquis Naturæ partibus communionem ſive commercium habens. Niſi quis oſtendere poſſet, omnes Naturæ partes adeo ſibi invicem eſſe connexas, ut non modo Natura abſque omnibus conſiſtere non poſſet, ſed ut etiam omnes in ſuas invicem eſſentias permutarentur, omneſque ſingularum vires conjungere & in unam coaleſcere poſſe. Quod jam oſtendimus demonſtrari minime poſſe.

Adde quod nullo modo concipi poſſit, globum terraqueum non poſſe conſiſtere, niſi ab elephantibus, pediculis, cetis, paliuris, leonibus, muribus, imo ab ullo animante inhabitaretur. Quid quod demonſtrari nequeat, Naturam abſque iſto Terreſti globo, vel abſque Planetis, plurimis ſtellis vel multis aliis entibus conſiſtere non poſſe.

Præterquam quod ſubſtantiali Naturæ Unitate conceſſa, ne ſic quidem Deus ex Univerſo excludi neceſſario deberet. Oſtendimus enim pręcedenti capite, non deeſſe locum, qui ipſum caperet. Et præterea hoc nihil obſtaret, quo minus exiſteret Numen, quod Naturam ita condidiſſet, ut non modo vires ad omnia producendum ſufficientes haberet, ſed etiam unam tantum ſubſtantiam conſtitueret. Quodque eam deſtruere, immutare, ejus curſum ad tempus cohibere, & quidvis in ea præſtare valeat.

Quod vero de limitata operatione huic argumento eſt inſertum, nihil ea de re hic opus eſt addere: quandoquidem libri primi cap. 3 & 4, nec non hic cap. pręced. iſta omnia ſufficienter refutavimus. Nec etiam productio Solis, Lunæ & cæterorum entium naturalium, ex ortu Cometarum, vel ſtellarum fixarum ſtabiliri poteſt. Ignoramus enim, an non iſtę ſtellę ab initio extiterint, & tum locum tantum mutaverint, & nobis propinquiorem occupaverint (quemadmodum noviter à *Campano*, *Hevelio*, aliiſque inventa teleſcopia, ſtellas à cæteris fixis non minus quam illę à nobis diſtantes detegunt) an de novo producantur. Et ſi producantur, an non illæ, cum reliquis quæ enumeravimus, ab eodem Naturæ conditore producantur. Imo nullus affirmare cum fundamento poteſt, Naturam abſque ipſius operatione viribus ſufficientibus

pollere, ad ullum ens producendum. Etſi enim plurima in Natura producuntur, in[de] concludere non licet, id viribus Naturæ fieri: quia fieri poteſt, ut aliud iſtud En[s] quod plerique Naturam condidiſſe credunt, vires iſtas vel indiderit, vel perpetu[o] indat, conſervet aut juvet. Quo deficiente, nihil producere queat.

Quibus omnibus & hoc addatur, quemadmodum ſuperius indicavimus, nihil om[ni]nino effectum eſſe, ſi demonſtratum fuerit Naturam unam eſſe ſubſtantiam, niſi u[na] oſtendatur eam eſſe unicam, vel nihil præter eam exiſtere, vel exiſtere poſſe. Quam[quam]vis enim antiqui Philoſophi, nomen Univerſi Naturæ impoſuerint, id non efficit [ut] alia complectatur, quam quæ Naturæ ſunt partes: nec alio ſenſu id ab illis intellectu[m] eſſe per ſe patet: illi enim Deos ſuos homines eſſe putabant, nec veram Dei notitia[m] unquam fuerunt aſſecuti. Nos vero, qui Deum Naturæ conditorem eſſe contend[i]mus, neutiquam ſtatuere poſſumus, Eum Naturæ eſſe partem, aut ſub voce *Univer[ſi]* poſſe comprehendi: quod per ſe manifeſtum eſſe nemo non videre poteſt.

CAPUT IX.

Refutatio ſolutionum Atheiſticarum, ad argumenta, quibus divina exiſtentia ex lumine naturali à Theologis probari conſuevit.

NE hic vel Atheis ipſis, vel veritatis in hac materia profeſſoribus, quidqua[m] detrahatur, non modo horum argumenta, ſed & illorum ad ea refutatio[nes], plene quantum quidem poſſumus, proponemus, ut exinde utrorum[que] que vel ſoliditas, vel debilitas eo magis eluceſcat. Atque in eum finem hę[c] in dialogi formam redigere placet.

Philalethes. Miſalethes. Diatetes.

Quamvis te ſemper *Miſalethe*, ob inviſam nominis tui, quod genio tuo apprim[e] reſpondet, ſignificationem, infenſiſſimo ſim odio proſecutus, tamen quando ſe hæ[c] offert occaſio, lubet experiri, an non (quod ſemper exiſtimavi) in te locum habea[t] iſtud vulgatum

Reſpondent rebus nomina ſæpe ſuis.

Age proponam tibi validiſſima, ut ſpero, argumenta, ex lumine naturali petita, quibus de Dei exiſtentia planiſſime eris convictus.

Miſalethes.

Fac quod dicis, & præſta te virum. Ego vero oſtendam, me nihil minus eſſe quam id quod appellor. At noli ægre ferre, nec me conviciis proſcindere, ſi, cum re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ponſiones meas libere proponam, tu eas ſufficienter refellere nequiveris. Alias enim æquiſſimum foret ut nomina utrimque alterius ſuſciperemus.

Diatetes.

Iſtius rei ego me æquiſſimum præbebo judicem, ſi me ut talem recipere vultis.

Philalethes.

Admittimus ſi ęquus videberis. Interim ſententiam abſque partium ſtudio, quantum potes, proferto.

1. Auſculta igitur ad primam meam argumentationem, quam ex imis ignorantiæ tenebris deducam, quibus is, qui nihil unquam de Deo audivit, ex Naturæ ipſius contemplatione, in ejus agnitionem incidere poterit. Quid enim citius in hominis intellectum incidere poteſt, imo neceſſario illabetur, ſi v. c. ad fructuum in arboribus productionem attendat (quod faciet, niſi beſtiis ſimilis vitam tranſigere velit) quod tanta cum concinnitate, ordine, prudentia & artificio contingit, quam iſtud abſque intellectu & conſilio fieri non poſſe? Cum vero arbores intellectu plane ſint deſtitutę, adeo ut de productione fructuum nullam deliberationem inſtituant, & quiſque agnoſcat ſe vires arboribus non indidiſſe, quibus creſcunt, fruticeſcunt, florent & frondent, neceſſario ad aliam ſe potentiorem cauſam iſtarum virium deveniendum eſt. Jam ſi cætera naturalia entia conſideres, eorum cauſas, & tandem ipſius Naturæ, quam à ſeipſa productam eſſe nemo cogitabit; nihil aliud reſtare poteſt, quam cauſa omnipotens, intelligens, æterna, quæ Deus eſt. Quod idem uſu veniet, ſi ſuiipſius animam vel corpus contempletur, quod quaſi compendium eſt totius Naturę, cum anima conjunctum. Ex quo patet Dei cognitionem homine ineſſe naturalem.

Miſalethes.

Lepide tu quidem & emphatice interrogas, quaſi nemo pręter exſpectationem tuam reſpondere auſurus eſſet. Quæro igitur viciſſim, cur homines reſpectu cauſæ rerum naturalium, abſque ulla conſideratione vivere non potuerint? Et ſi non potuerint, cur non proclive fuit cogitare, arbores intellectu eſſe præditas, quemadmodum ipſi ſunt? Vel cur non potuerunt cogitare, iſta nullam habuiſſe cauſam, ſed ab æterno eundem ordinem ſervaſſe & ſervatura? Si autem id contingere potuiſſet (quod ego ſane percipere nequeo, quo pacto in iſtam cogitationem inciderent, cum omni plane fundamento, objecto vel cauſa ſit deſtituta, ex quo creari poſſet) num propterea cogitatio iſta cum rei veritate congrueret? Si vero cognitio Numinis nobis eſſet innata, quod vos urgetis, nullus unquam reperiri poſſet, qui cognitione iſta careret, vel in ea opinionem, ab aliorum ſententia diverſam, haberet; cujus contrarium nunc de integris Nationibus conſtat (conſulatur *Rocheſortii* Hiſtoria Americanarum inſularum, Gallice & Belgice edita) quod in rebus & facultatibus innatis nunquam fit. Nemo enim ignorat facultatem generandi; nemo dubitat an exiſtant alimenta, & an

ea per os aſſumi, & per alvum exonerari debeant; nemo ignorat quid ſit ridere, loq nemo manibus incedere, vel auribus videre conatur. In iſtis omnes idem ſentiu Sed de Deo, cujus cognitio homini innata eſſe creditur, quot diſſidia, quot erro & deliria! Ex quibus manifeſtum eſſe exiſtimo, non modo cognitionem iſtam nob minime eſſe innatam, ſed iſta quam tu propoſuiſti via, minime hauriri poſſe vel d bere, ac propterea non eſſe certam.

Præterea, cum videamus, quam raro homines, ad earum rerum cognitionem, qu certæ ſunt & externis ſenſibus obviæ, & id quidem fortuito deveniant, quivis inte ligit quam facile fieri potuerit, ut multa dilabantur ſecula, quibus nemo hominum causa facultatum, quas in entibus deprehendunt cogitet, & proinde quam plane eſſ fortuita Dei cognitio, ſi rerum naturalium conſideratio eam parere deberet. Quod ab ſurdum eſſe te negaturum, non exiſtimo, ſi hominis ſummum bonum ex ea depen deat. Quod ut melius intelligas, conſidera quæſo terreſtris globi rotunditatem, e qua neceſſario conſequitur, homines ſibi invicem eſſe antipodes; & præter eam, uti litatem quam homines ex Cetorum captura paucis abhinc annis percipere didicerun Nonne ex veſtra ipſorum ſententia quatuor aut quinque annorum millia ſunt elapſa priuſquam homines iſta didicerunt; nec ullam antea de iſtarum rerum veritate & uti litate ſuſpicionem acceperunt. Et prima quidem opinio, quæ tamen Mathematic certitudine demonſtratur, quantas turbas ante pauca ſecula excitavit, cum primum innoteſcere cœpiſſet! Cum vero omnes homines a tot ſeculis, tam evidentes re ignoraverint, idque nullam aliam ob cauſam, quam quia ab initio eas non didice rant. Cumque iſta ſenſibus externis ſint obvia (ne de multis ſimilibus quidquam refe ram) quid de cognitione Dei dicemus, niſi ab impoſtoribus quibuſdam eſſet conficta

Philalethes.

Artes & ſcientias hominibus eſſe innatas exinde conſtat, quia ab hominibus inventæ ſunt omnes: qui enim eas primitus adinvenerant, à nemine didicerant. Ex quo patet ſimiliter Dei cognitionem eſſe hominibus innatam: alioquin enim primi ejus propagatores eam invenire non potuiſſent.

Miſalethes.

Ad ea quæ de indagatione cauſæ facultatum naturalium reſpondi, nihil reponis. Iſta igitur pro invalidis reputabo quæ tu attuliſti. At vero quod de artibus & ſcientiis adfers, plane, me quidem judice, nihil eſt: artes enim & ſcientiæ reliquæ (exceptâ Theologia, de qua jam reſpondi) circa res Naturales verſantur, quas naturaliter cernimus & expendimus. Eas igitur excogitare planiſſime eſt Naturale. Dei autem cognitio ad Naturam non pertinet: quocirca Naturæ humanæ inſita eſſe nequit: Deus enim Naturæ pars eſſe nequit, ſi ejus eſt conditor. Quod igitur homo, quando nihil adhuc de Deo didiciſſet, ſi rerum Naturalium productionem conſideraret, cogitaturus eſſet de cauſa facultatum productricum præter ipſam Naturam, planiſſime

nego.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ego. Cum enim cauſas rerum naturalium producentes oculis adſpiciat, manibus & xternis ſenſibus experiatur, ipſum de alia cauſa fore ſolicitum, mihi minime fit veo ſimile. Videbit enim Terram, pluviis rigatam, ventis placidis fotam, radiis ſolabus calefactam, omnia producere, eaque certiſſimas omnium quæ proveniunt eſſe auſas. Unde ergo aliam ſuſpicaretur cauſam? Quando igitur quotannis & continuo aſdem productionis, & rerum quæ moventur vices experitur, nec quidquam de iovo ipſi occurrit, cujus genus vel ſpecies ante non extiterit, & eaſdem facultates btinuerit, unde quæſo alia animum ipſius ſubibit cogitatio, quam quod ſemper iſta ocum habuerint, ſemper etiam habitura ſint? Tu ſodes oſtende contrarium, ſi poes, nec me interroga an id non ſit futurum, nego enim, ut audis, futurum.

Quibus omnibus coronidis loco adjicio: ſi cognitio Numinis homini foret innata, um eam quiſque ſponte, abſque ulla naturalium rerum conſideratione vel ratiocinaione, haberet. Vel ſi eam eatenus tantum naturalem eſſe vis, quod ex rerum naturaium conſideratione poſſit inveniri, quid de eo exiſtimas futurum, qui à nativitate mutus, ſurdus & cæcus eſſet, num putas ipſum intellectu non poſſe præditum eſſe? Et ſi intellectum ei adſcribis, an ille, qui nulla Naturæ opera, nec partes fere novit, etiam Deum cognoſcet? Idem quamvis ratione præditus, nemini tamen clare indicare poſſet, ſe ratione eſſe præditum. Sed forte ex rebus quibuſdam quas ageret, id concludere liceret. Sic fortaſſe non abſurde, ex productione herbarum, plantarum, animalium, quam terram facere videmus; ex productione foliorum, florum & fructuum in arboribus & plantis, ex artificioſa nidorum, ceræ, mellis aliarumque rerum confectione in beſtiis, omnibus iſtis rationem quis attribuat. Quarum omnium conſideratio non permittit, ut argumento tuo ullam vim ineſſe videam. Si aberravero, u meliora doceto.

Philalethes.

Iſta omnia quæ enumeras, ſi ratione eſſent prædita, artes & ſcientias doceri poſſent, quemadmodum homines. Iſtud vero cum ſit impoſſibile, nefas eſt eas ratione præditas ſtatuere.

Miſalethes.

Non magis quam illos qui ſurdi, muti & cæci ſunt à nativitate. Præterea quemadmodum ex eo, quod homines nunquam poſſunt artes iſtas diſcere, quas bruta (quæ vocamus) animantia exercent, quia membris ad id requiſitis carent, non licet eis rationem denegare, ſic nec ex eo quod beſtiæ artes humanas. Ita, quemadmodum beſtia non poteſt doceri ars aurifabrorum, pictorum vel ſimilium, ita homines artem conficiendi ceram, mel, folia, flores, fructus, ſericum, fraga & infinita alia, addiſcere nequeunt, quæ à beſtiis & plantis producuntur. Beſtiæ quædam humana addiſcunt, videlicet loqui, ſaltare, & alia multa. Ita forſan ars textoria, ab araneis profecta, ad homines dimanavit. Si beſtiæ membris humanis eſſent præditæ, vel homines beſtiarum, quis novit, an non omnes alterutrorum artes exercere poſſent? Adde quod homo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

homo, à nativitate cæcus, mutus & ſurdus, nullas artes addiſcere poſſet. Nec in poſſemus tamen concludere, eum intellectu eſſe deſtitutum: quamvis intellectu ſuum nullo ſigno alteri indicare poſſet: quia membris ad id indicandum neceſſariis e deſtitutus. Idem de beſtiis, plantis & terra ſuſpicari, abſurdum cenſeri non debe quæ iiſdem membris deſtituuntur.

Philalethes.

Facunde tu iſta mihi objectas, quæ tamen animus horret credere. Ex brutis, im ex ſenſu deſtitutis, animantia ratione prædita facere vis. Unde ergo brutorum nome ejuſque ſignificatio, ſi in rerum Natura non exiſtant? An nihil iſta vox ſignificat Si enim omnia ratione ſunt prædita, vanum eſt *brutorum* vocabulum. Quod cum i nullo vocabulo, in tota Natura locum habeat, minime admitti poteſt.

Diatetes.

Si neuter plura, nondum dicta, proferre velit, dicam quod ſentio. *Philalethe* non ſatis firmiter oſtendiſſe exiſtimo, contra adverſarii ſui exceptiones, homine ſuſpicaturos, facultates quæ rebus naturalibus inſunt, ab alia cauſa quam à Natur eſſe inditas; & quamvis id ſuſpicari poſſent, inde ſatis firmum pro ſuſpicionis iſtiu veritate argumentum elici non poſſe. Ad poſterius vero, de Numinis cognitionis in ventione (quamvis ego eam non inventam ab hominibus, ſed à Deo ipſo patefactam non ex lumine Naturali petitam exiſtimo, & poſtmodum demonſtrabo) quam no ſatis urſit & confirmavit *Philalethes*, nec *Miſalethes*, unde homines eam haurire po tuerint, ſi ex Natura id non fecerunt, oſtendere poteſt; item de ſignificatione voci brutorum, nihil ſolidi repoſuit *Miſalethes*. Quamvis autem argumentum *Philaleth* firmiter ſtabiliri non poſſit, inde bona cauſa nullum detrimentum accipit: quia non * deſunt firmiora: quemadmodum forſan Athei, de cauſæ ſuæ bonitate non deſpera bunt, ſi nonnullas ex probationibus quas adferunt, minus ſolidas eſſe quis demonſtra verit, quemadmodum de omnibus quas unquam cognovi, ** alibi feci. Sed forſa validiora mox proferet *Philalethes*.

Philalethes.

2. Quamvis argumentum meum validum eſſe exiſtimem, tamen quia *Diateti* alite eſt viſum, novam proferam rationem. Ea eſt ordo, concinnitas, pulcritudo & miraculoſa, quam in tota Natura conſpicimus harmonia, & in eundem finem conſpiratio, conſervationem videlicet & utilitatem generis humani; quam adeo conſtante ab omnibus Naturæ partibus, ratione deſtitutis obſervari cernimus, ut impoſſibile ſit eam, abſque prudentis & omnipotentis gubernatoris directione, ita ſtabilem perſeverare poſſe. Quemadmodum à *L. Valla*, *Ph Mornæo*, *J. Crellio*, *Parkero* aliiſque luculenter eſt demonſtratum. Adeo ut non minus inſanus videatur, qui ejus factorem

abnegat,

* *Vid. Cap.* XI. ** *Capp.* 7 & 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

abnegat, quam qui in horologio, vel Virgilii poëmatibus authorem agnoſcere nolit.

Miſalethes.

Si uno tantum oculo Naturam intuemur, non leve pondus hęc ratio habere videbitur; ſed utroque oculo conſiderata nullum. Primo enim, ſi quis nunquam de Deo quidquam audiviſſet, nunquam profecto demonſtrare ſuſciperet eſſe Deum. Quocirca attendendum, an ſponte iſte, quem Tu narras ordo & harmonia, homini indicare poſſet, Naturam eſſe creatam. Si ergo ea quę in Natura non concordiam, non utilitatem & conſervationem humani generis, ſed contraria potius indicare videntur, prius, vel ſaltem non ſerius, aut etiam poſtea, animo noſtro obverſantur, profecto non poterit hic Gubernatoris aut Creatoris providentia cognoſci.

Quod omnia Naturalia ad hominis commodum cedant, id partim falſum, partim non creatoris alicujus conſilio, ſed ipſius hominis prudentiæ, vel iniquitati & violentię tribuendum videtur. Et fortaſſe abſque injuria intellectus rebus iſtis adſcribi poteſt, quæ vulgus ea carere exiſtimat.

Ad primum quod attinet, ex eo quod homo ex omnibus entibus Naturalibus utilitatem percipere creditur, & in ſingulis oſtenditur, minime ſequitur iſta ad hominis utilitatem eſſe producta. Nam præterquam quod infinita ſuperſint, quæ hominibus nunquam proſunt, qualia ſunt immenſus ille terræ globus, ad cujus * bis mille fere partes vix ullus unquam, vel ulla Firmamenti efficacia penetrare poſſit; fundus maris, terræ partes Polares, tot ſtellæ, † hactenus nunquam cognitæ, & cætera in infinitum extenſa Naturæ moles, cujus efficaciam ad nos pertingere à nemine oſtendi poteſt. Præterquam, inquam, quod ita reſpondere merito poſſim, fieri etiam poteſt, ut cętera entia, ex humana natura, cæteriſque entibus, non minorem utilitatem, nobis inſciis, capiant, quam nos ex iſtis. Quemadmodum iſta forſan ignorant commoda, quæ ab hominibus ex ſe percipiuntur. Adde quod multa ad aliquid valde ſunt accommoda, ad quod tamen ea exiſtere (vel ut vos vultis à Deo creata eſſe) minime demonſtrari poteſt. Sic Reges & magnates omnia animalia, plantas, fluvios, homines, cęteraque Naturę beneficia, ad ſuum tantum commodum abutuntur, ac ſi pro ipſis ſolis exiſterent, & ad eorum voluptates eſſent diſpoſita.

Accedit, quod plurima ſint in rerum natura, quæ non modo non ad hominum conſervationem & commoda, ſed ad perniciem potius inſerviunt & exiſtere videantur; ex quibus tamen ex hominibus non pauci, multa in ſuum emolumentum convertunt: qualia Tu ipſe præcedenti cap. 7, ſecundi argumenti loco non pauca recenſuiſti. Quibus adjungi poſſunt nitrum, quod ſane tot ſeculis extitit, antequam homines pulverem iſtum bombardicum ex eo conficere didiciſſent. Quod in ære & ferro locum itidem habet, nec non in pyrobolidibus, cæteriſque bellicis inventis, ex veneno, pulvere iſto aliiſque nocentiſſimis rebus confectis. Adde ſuccos, herbas, radices, gummata, barbas tigrorum, animalia & mineralia lethifera, quibus nonnulli ad ſuam

* *Confer dicta cap.* 8 *ad rationem* XIII. † *Vid. cap.* 8 *circa finem & alibi.*

defenſionem & deteſtabiles voluptates abutuntur, ut ſibi formidabiles vel inimico
ſive palam ſive clanculum interimant. Quibus innumera poſſunt adjungi, quæ quiſq
ſi poſſet, ex rerum natura exterminaret.

Profecto, ſi omnia ad generis humani commodum exiſterent, nonne conſen
neum eſt ut ad minimum plus ex omnibus rebus emolumenti & voluptatis, quam tæ
& damni recipiant? ne dicam ea tota in poteſtate hominis eſſe debere. Jam vero co
tra, vix quidquam exiſtit, quod non majore tædio quam voluptate ipſos afficiat.
quot exiſtunt in Mundo, ex quibus nullam utilitatem, alia ex quibus nil niſi damnu
ſentiunt? Quis muliere abſque immenſis cruciatibus frui, quis liberis abſque mi
doloribus, quis deliciis abſque morbis, quis corpore abſque ærumnis, morbis
horrendis doloribus frui poteſt? Quotuſquiſque victu abſque tædioſo labore, v
abſque immenſis curis & animi cruciatibus perfrui poteſt? Dolores parturientiun
lactantium, morbos uteri, mammillarum & cæterorum corporis partium, item infa
tium & innumera incommoda non recenſeo. Quia nemo neſcit Naturam, haud ali
ac humani generis inimicam, in ejus perniciem conſpiraſſe. Adeo ut voluptates
commoda, quas homines ex rebus naturalibus percipiunt, invitæ potius Naturæ e
torquere, quam ab ea benigniter largiente, percipere videantur.

Dixiſti etiam ſolum hominem ratione præditum eſſe cæteraque omnia, ad ſola
humani generis conſervationem, etſi ratione deſtituta, exiſtere & operari, quamv
ipſa finem iſtum ignorent. De conſervatione hominum, ejuſque commodis ſatis e
actum, nunc de ratione videamus, quam an ſoli homini tribuere debeamus, non d
ſunt rationes dubitandi. Cum videamus apes, hirundines, grillo-talpas, aranea
formicas, bombices, pſittacos aliaque animalia adeo artificioſa conſtruere ædifici
ſericum, ceram, mel, cæteraque artis & induſtriæ ſpecimina edere, ut artificio
hominum opera æquare, quædam ſuperare videantur. Quæ omnia in proprium com
modum & oblectationem ea conficere, quis negare audeat: quamvis homines vi
dolo beſtiolis iſtis ſuos theſauros eripiant, & in ſuum commodum vertant. Idem eni
beſtiæ aliquot in homines committunt, ſurripiendo quibus oblectantur, & eoru
carnibus, ubi facultas datur, veſcentes. Quod plantæ & arbores, cum adeo inſigni
ingenii ſpecimina, adeo prudenter & tempeſtive producant, intellectu ſint deſtituta
ex eo demonſtrari nequit, quod fructus quos preferunt, ipſis utiles eſſe nequeant
Nam præterquam quod ignoramus, annon ipſæ ex fructibus utilitatem perciper
poſſint, quemadmodum illæ idem de nobis ignorant; quis novit annon ex ipſa ge-
neratione, quemadmodum animalia, inſignem percipiant voluptatem. Et ſi exi-
guum ex fructibus emolumentum conſequuntur, certe non tot curas, labores, ſum-
tus, triſtitias ex illis habent, quot nos ex ventris noſtri fructibus, liberis dico, ex-
perimur. Quis credat ſtellas & Planetas, orbeſque cæleſtes, adeo immenſæ magni-
tudinis, omni intellectu carere? quis iſtud demonſtrare valet? quis novit, an non
ex iſto circulari motu, quem perpetuo obſervant, immenſam voluptatem perſentiſ-
cant, eamque ob cauſam illam in æternum retineant?

Phila-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Philalethes.

Tu non ut diſputator, ſed quaſi orator reſpondes, multaque excipiendo effutis, quæ ſi probare deberes, nihil quod proferres invenire quires. Et quod de tot incommodis, quibus humanum genus affligitur, narras, quæ, ſi Deus exiſteret, e Natura ſublata eſſe debere credis, in eo magnopere erras. Quia Deus, quamvis Naturam humanæ utilitati inſervire voluerit, omnino ſaltem potuit (quod ego certum eſſe plane exiſtimo, & oſtendere poſſum) etiam hoc intendiſſe, ut quando occaſio commoda ſe offerret, hominibus ſtabiliora bona, poſt hanc vitam, ſub conditione abnegationis naturalium commodorum, patefaceret. Cui fini adverſitates, quas in Natura homini occurrere facit, maxime ſunt accommodæ, ut tanto facilius terrena bona deſerere poſſint. Quod certe, ſi omnia ex voto ſuccederent, longe adhuc difficilius, ne dicam impoſſibile foret. Adeo ut nihil in eo cauſæ tuæ præſidii reſideat.

Diatetes.

Argumentum *Philalethis* ſecundum à *Miſalethe* refutatum eſſe videtur. Sed ipſius argumentationem, refutationi inſertam, * penitus etiam ſuſtulit *Philalethes.*

Philalethes.

3. Tertium igitur argumentum producam, quod ab ipſius Naturæ natura petitum eſt. Videmus enim cuncta corrumpi, initium & finem habere, adeo ut fieri poſſit, ut omnes homines, beſtiæ, plantæ, cęteraque entia Naturalia plane intereant. Quod impoſſibile eſſet, ſi omnia ab æterno, ita ut nunc, extitiſſent: quod enim initio caret, interire etiam nunquam poteſt. Quandoquidem ergo hinc apparet, omnia initium exiſtentiæ agnoſcere, non modo individua, ſed ipſa etiam entium genera, neceſſario eſſentiæ authorem habere debent, qui totius Naturæ Creator eſt & Gubernator.

Miſalethes.

Si quis in inſula ſolus habitaret, ibi delatus antequam unquam Numinis mentionem audiviſſet, is ſane ita ratiocinari minime poſſet. Sed primum argumenti tui membrum plane falſum eſt: cælum enim, unâ cum errantibus & fixis ſtellis, Terra, aër, longe maximę Naturæ partes, minime corrumpuntur, intereunt vel initium habent. Quod autem animalia & plantæ ortum & interitum habere videantur, inde fit, quod rem qualis eſt non conſideramus: omnia enim permanent, & antequam moriantur, alia entia, ex propria eſſentia producta, poſt ſe relinquunt. Adeo ut in toto Mundo nihil ſit, quod exiſtere deſinat. Ex quo multo firmius concludere licet, Mundum abſolute eſſe æternum: quandoquidem omnia entia, quę globum terreſtrem incolunt, non modo conantur perpetuo exiſtere, ſed etiam in ſobole quam producunt, nec non reliquis eſſentiæ ſuæ partibus, æternum permanent.

* *Confer dicta cap.* 7. *ad arg.* 2. *pag.* 199, 200.

Philalethes.

Alterum argumenti mei membrum, de poſſibilitate, ut cuncta deſinant exiſtere hoc modo accipi debet, quod nonnunquam per morbos epidemicos, multa hominum centena millia interierint: quod per inundationes & terræmotus, civitates & regiones aliquando fuerint abſumptæ, & denique quod aliquando contingere poſſet, ut omnes viri in toto mundo, cunctas mulieres interficerent, & ſic humano generi finem inferrent. Et cum ex iſtis evidenter appareat, quod tota Natura interire queat, neceſſario conſequitur eandem initium habuiſſe, ac idcirco eſſe creatam.

Miſalethes.

Reſpondeo, ex iis quas enumeraſti caſibus minime ſequi, totam Naturam corruere poſſe. Nam (prçterquam quod nullo modo poſſibile eſſe ſtatui poſſit, omnes tam diverſi ingenii, genii & naturæ homines, in eo unquam eodem tempore conſpiraturos, ut omnes mulieres, ad unam uſque interimerent; nec etiam quod morbi alicujus epidemici vires eodem tempore totum terrarum orbem queant pervagari, & omnes homines abſumere) quamvis totum humanum genus interiret, una cum reliquis animalibus, tota exinde Naturæ ruina non dependet.

Sed quod vel iſta ſint poſſibilia, demonſtrare debuiſti. Contrarium potius ex iſta quam memoravimus ingeniorum diverſitate, nec non ex locorum à ſe invicem diſtantia, ad quam peſtilens contagio penetrare non poſſit (prçterquam quod multæ regiones adhuc penitus ſint incognitæ, ad quas contagio ab aliis nationibus deferri non poteſt) quia non modo contagio tam diu non durat, quanto tempore opus eſt ut ad nonnullas regiones quis ex alia devenire queat, ſed quia etiam aër in nonnullis locis contagionem penitus conſumit.

Et de civitatum & regionum, per terræ motum vel hiatum interitu dico, totum terreſtrem globum à ſeipſa minime abſorberi poſſe, quemadmodum ejus quædam particulæ, per ſe eſt manifeſtum. Quod idem de tota Natura eſt ſtatuendum, quæ ſeipſam totam deſtruere nequit. Quia id quod deſtruit, neceſſario poſt id quod ab eo deſtructum eſt remanet.

Adde quod nihil eorum quę intereunt, omnino pereat, ſed in alia entia, partim viventia & ratione prędita convertuntur, quemadmodum cap. 8 eſt explicatum. Adeo ut, ſi tota Natura interiret, ea in alia entia tranſire neceſſario deberet (quia in nihilum nihil redigi poteſt) & ratione, & ipſa etiam Scriptura conſentiente Hebr. 1. 12. Et ſic Natura novam faciem adipiſceretur, ſi interire eam aliquando contingeret: cum non modo corpora, ſed ipſe etiam intellectus, & reliquæ mentis facultates, vel earum ſaltem materia, in ipſa Natura permaneret. Quemadmodum in ſeminibus iſta omnia deliteſcunt, & generando tranſplantantur.

Diate-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Diatetes.

Quamvis ea quæ *Philalethes* protulit, certa ſint & vera, fateor tamen iſto modo non firmiter eſſe demonſtrata, & ex Naturali ratione *Miſalethem* non minus veriſimiliter ſua deduxiſſe. Sed ad ea quæ duobus præcedentibus capitibus à nobis ſunt diſputata, ſi attendatur, & quæ cap. XI dicturi ſumus adjungantur, ſpero vos facile intellecturos, nihil à *Miſalethe* fore prçſtitum, quamvis omnia iſtiuſmodi argumenta enodare valeret.

Philalethes.

4. Iniquum te mihi judicem experior. Pergam tamen argumentari, & experiri an nullum ex meis argumentis vobis ſatiſfacere queat. Quartum igitur, quo mihi de Dei exiſtentia ſatiſfacio, eſt quod adeo recentes habeamus hiſtorias vel hiſtoriographos, nec non inventores artium, quarum nullus ante quinque vel ſex annorum millia oſtendi poteſt. Quod omnino abſurdum & impoſſibile eſſe exiſtimo, ſi hic Mundus ab æterno extitiſſet. Quia plurimç artes humano generi ſunt neceſſariæ, adeo ut ab æterno eas hominibus cognitas fuiſſe oporteat, ſi ab æterno extiterint. Quinetiam rerum geſtarum longe antiquiores ſcriptores extitiſſe credibile, imo neceſſarium eſt. Artes vero ſcribendi & imprimendi, chartam, veſtes, arma & multa alia conficiendi, nunquam ſemel cognitæ interire poſſunt.

Miſalethes.

Hæc ratio, quemadmodum omnes fere quas unquam audivi, à nemine poteſt excogitari, niſi qui jam credit eſſe Deum. Ac idcirco neminem ad Numinis cognitionem perducere poteſt. Et non in naturali ratione, ſed in opinione hominum eſt fundata.

Præterea, ex iis quæ modo dixi perſpici poteſt, non opus eſſe quod concedam, Mundum vel homines ab æterno extitiſſe, eo modo quo nunc omnia ſe habent: quia Natura, quamvis æterna & incorruptibilis in perpetua mutatione perſiſtere poteſt, nunc homines, nunc cælum & ſtellas &c, ad tempus aliquod durantia, producens, ex materia, tam corporum quam ſpirituum, quæ illi inſunt, idque per vim operantem, quam in Natura indeſinenter operari, nec unquam in ullo ente quieſcere comperimus. Quæ vis, quandoquidem intellectu & conſilio nihil agit, neceſſario eam ex determinata portionis ſuæ potentia agere credendum eſt.

Tertio reſpondere poſſem, quamvis ab æterno homines extitiſſent, fieri tamen poſſe, ut artes & ſcientiæ fuerint amiſſæ, & poſtmodum de novo rurſus adinventæ. Exempla iſtius rei recentia adhuc extant, in confectione vitri rubri, quo aſtronomi oculos munire adverſus radios ſolares conſueverunt; item præparatio *lapidis Bononienſis*, lucem in ſe recipientis, & in loco obſcuro ſcintillatim ruſus ejaculantis, quibus forte ſimiles aliæ perierunt, utraque enim ars jam incognita eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Philalethes.

Ad primam tuam exceptionem reſpondeo, quamvis ratio mea ex hominum opinione eſſet deducta, id nihil refert, modo ſit valida, & ex ea Dei exiſtentia firmiter concludi poſſit.

Ad ſecundam dico, ſi Natura ab æterno, in perpetua permutatione extitiſſet, tu omnino concedere cogeris, hanc pulcerrimam & artificioſiſſimam Mundi Machinam fortuito extitiſſe. Quod an credibilius ſit, quam eam ab Ente aliquo eſſe factam, tibi ipſi examinandum reliquo. Quod enim adjicis, ne ad caſum in tam ordinata rerum congerie devenire cogereris, omnia ex neceſſaria Naturæ operatione profluere, iſtud argumentis confirmare non potes. Præterquam quod tibi ipſi contradicis, ſtatuens Naturam abſque ratione operari, cujus contrarium ad primum meum argumentum modo aſſeruiſti. Coactus autem id nunc facis, quia * neceſſitatem in agendo, entibus ratione & deliberandi facultate deſtitutis tribuere, non niſi immerito & abſurde potes. Quivis præterea percipere poteſt, quam incertæ ſint Naturæ operationes: cum pleræque à ventis dependeant, qui vel ſerenitatem, vel frigus, vel tempeſtates inducendo, Naturæ operationes frequentur conturbant, impediunt vel retardare ſolent. Præterquam quod nullo modo ſimus certi, annon ipſe Solaris vel globi Terreſtris & Lunæ motus, caſu aliquo immutari poſſit? Quis credat illos obliquo motu non ulterius procedere, vel ad polos proprius accedere, ab eis recedere, & ſemper in eadem linea ſemper moveri non poſſe, niſi ab aliquo curſus illorum in ordinem redigatur, vel ipſi cum judicio moveantur? Utrum autem iſtorum elegeris, Deum agnoſcere cogeris.

Tertia exceptio nimis eſt frivola: quamvis enim ars aliqua, ad pauciſſimorum utilitatem excogitata, & ab uno ſolo inventa, nec ulli alii communicata, interire poſſit, id propterea in artibus vel ſcientiis, quæ omnibus Nationibus cognitæ ſunt, locum habere minime poteſt.

Diatetes.

Quartum iſtud argumentum, ex Naturali lumine, ſive Notionibus per ſe cognitis non eſſe depromptum, negari non poſſe concedo. Id tamen nihil obſtat, cur firmum eſſe nequeat. Saltem nihil ſolidi ad illud repoſuit *Miſalethes*. Quare niſi nomini ſuo moribus reſpondere velit, ſolidiora proferre tenetur, vel ſententiam mutare: quamvis hæc ratio traditionem, ex prima Dei, primis hominibus revelatione promanantem, fundamentum agnoſcat, eaque valide confirmatur.

Philalethes.

5. Quintam ergo argumentationem, ab unanimi & conſtanti omnium hominum fere opinione per omnia ſecula nobis cognita, deſumam, quæ Numen exiſtere, quod Natu-

* *Conferantur ea quæ cap. 8. ad 10 arg. & cap. XI. argum. 9 diſputavimus.*

Naturam creavit, unanimiter teſtatur. Quæ ratio à *Crellio*, *Grotio* aliiſque latius deducta eſt, ac idcirco eam ulterius exponere non eſt opus.

Miſalethes.

Si conſenſus iſte firmum pro Numinis exiſtentia argumentum contineret, iſtud ex rationis principiis minime eſſet deductum. Quandoquidem vero naturalis ratio non dictat exiſtere Mundi Creatorem, ſed potius contrarium, quemadmodum ex parte jam oſtendi, & latius adhuc oſtendere conſtitui, omnino concludendum eſt, conſenſum iſtum nihil habere roboris.

Diatetes.

Ego, concedens Naturalem rationem non docere Mundum eſſe factum, ex eo tanto firmius oſtendam, conſenſum iſtum in rei veritate eſſe fundatum. Quare argumentum iſtud mihi reſervari * peto.

Miſalethes.

Tu ſi iſtud præſtiteris, ex igne aquam educes, quare lubentes iſtam tibi provinciam demandabimus.

Philalethes.

6. Sextam igitur rationem hanc eſſe volo, quod Natura nihil fruſta faciat: quod in tam immenſa rerum multitudine plane eſt impoſſibile, in rebus quæ intellectu carent, niſi à rectore Naturæ gubernarentur.

Miſalethes.

Ex iis quę ad ſecundum tuum argumentum diſſerui, facillime perſpici poteſt, quam lubrico ratio iſta innitatur fundamento. Quibus multa adjungi poſſunt, ut intelligamus quam multa in Natura fruſtra fiant: tot videlicet loca inhabitabilia, tot ſcopuli in Mari ſub aquis, tot inacceſſi montes rupeſque, tot pluvię & ſerenitates in ſolis rupibus, regionibus, montibus maribuſque inacceſſis; tam immenſus ſtellarum numerus, quæ adeo magnæ eſſe exiſtimantur, ut minima globum terræ longe ſuperet, & tamen adeo parum languidi luminis nobis impertiuntur, quod à multo paucioribus, minoribus, & nobis propioribus longe commodius accipere poſſemus. Adde quod nonnullis animalibus facultas generandi inſit, quæ ſponte ex putredine proveniunt & ſic facultatem iſtam fruſtra poſſident. Adeo ut hinc argumentum merito peti poſſit, nullum eſſe Mundi gubernatorem Deum.

Prętergquam quod ne quidem conceſſo nihil in Natura fruſtra produci (quod minime adhuc docuiſti eſſe verum) concludi poſſit Naturam eſſe creatam, & a Creatore gubernari: quia fieri poteſt, ut ex inſita Naturę proprietate iſtud conſequatur ſponte. Cum enim Natura ex infinitis entibus conſiſtit, iiſque diverſæ & contrariæ naturæ,

* *Videantur dicta cap.* XI. *argumento primo.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

turæ, impoſſibile eſt ut ea aliquid fruſta produceret: cum id quod huic enti nocet vel ingratum eſt, alteri ob contrarium genium, jucundum & utile eſſe debeat.

Diatetes.

Non video argumentum iſtud eſſe validum: *Miſalethes* vero ſeipſum refutavit, pri[...] aſſerendo multa in Natura fruſtra eſſe & fieri, hic vero ſolide demonſtrat, nihil omn[...]no in Natura fruſtra eſſe vel fieri poſſe. Quare ad alia tranſeamus ſolidiora, ſi qu[...] habes.

Philalethes.

7. Septimam itaque rationem depromam. Per Deum vel perfectum, vel impe[r]fectum ens intelligimus. Imperfectum intelligi nequit, illud enim Deus eſſe no[n] poteſt. Perfectum ergo intelligendum eſt. Cum igitur nullum ens perfectum eſſe queat, quod non exiſtat, ergo neceſſario Deus exiſtit.

Miſalethes.

Egregium ſophiſma. Si me interrogares, quid per Deum intelligam, non reſpondebo (quod mihi lepide affingis, ut laqueo injecto ſtrangules) me ens perfectum intelligere, ſed nihil: non enim mihi conſtat Deum aliquem, id eſt ens perfectum Naturæ creatorem exiſtere. At vero ſi accuratius reſponſum requiris, addam me pe[r] Deum, ſi quis Deus exiſteret, conceſſurum ut tu ens perfectum intelligas. At qui[d] tum ſophiſmate tuo efficeres?

Diatetes.

Cum primum argumentum iſtud audirem, aureos montes mihi ex eo perſuadebam ſed ipſa futilitate futilius eſſe nunc agnoſco.

Philalethes.

8. Audi ergo aliud. Naturam humanam, omniumque reliquarum, quæ novimu[s] ſubſtantiarum, imperfectam eſſe, per ſe cuique patet, limitatæ enim omnes earum ſunt facultates, & præterea debiles, multiſque caſibus & morbis obnoxiæ &c. Ex quarum conſideratione perfectio aliqua ſeipſam neceſſario manifeſtat. Atque hinc patet perfectum ens naturaliter nobis eſſe cognitum, ac proinde Deum exiſtere.

Miſalethes.

Niſi quis Deum exiſtere jam firmiter crederet, nunquam ipſi iſtiuſmodi argumentationes in mentem venire poſſe, firmiter mihi perſuadeo: nullo enim conſequentiæ nexu tua demonſtratio cohæret. Primo enim pro imperfectione non poteſt haberi in humana vel alia natura, quod facultates habeat limitatas, quod caſibus & morbis eſt obnoxia, quod moriatur &c; id enim eorum natura requirit. Adeo ut minime concedam, ſi nullam unquam Dei audiviſſemus mentionem, nos unquam iſta pro imperfectionibus habituros.

Præterea,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Præterea, quamvis etiam fieri poſſet, ut entis perfecti imaginationem vel conceptum aliquem perciperemus, inde nullo modo ſequitur, tale ens exiſtere. Non magis quam ex conſideratione imperfectionis corporum animalium, ſequitur corpus aliquod hominis, urſi vel canis &c perfectum exiſtere. Si imperfectiones (quas vocant) à ſubſtantiis çogitatione removeremus, certe non ad ens generale perfectum adſcendet çogitatio, ſed ad ſubſtantiam in ſuo genere perfectam. Si ab homine removebimus morbos, deformitates, ſtupiditatem & ſimilia, hominem perfectum nos concepiſſe nemo ambiget. Mortem, çaſus fortunæ, limitatas facultates ab humana natura nemo cogitatione removebit. Et quametſi removere poſſet, nihil tamen aliud quam hominem perfectum ſibi imaginabitur: ſic canem, leonem, pediculum. Et ab omnibus entibus ſi imperfectiones cogitando removeat, nihil quam infinita entia, in ſuo genere perfecta cogitabit. Sed aliud ens, de quo nihil unquam quidquam percepit, ab omnibus entibus diſtinctum cogitare, eſt ex nihilo aliquid producere. Quod nemo homini unquam adſcripſit, & de Deo ipſo (ſi exiſteret) merito negaretur.

Denique ſi ratio hæc procederet (quod certe non façit) ex lumine Naturali minime eſſet deſumpta, ſed ex hominum de Dei exiſtentia conceptu & imaginatione, de quo an certa eſſet, prius foret diſpiciendum.

Diatetes.

Et hoc argumentum, quamvis cæteris magis ſpecioſum, relinquamus, non enim firmum ſat eſſe video.

Philalethes.

9. Dei ideam nobis ineſſe experimur, entis perfectiſſimi. Cum autem in efficiente cauſa ad minimum tantundem ſit, quantum in ejuſdem cauſæ effectu, ergo, cum in Idea omni ſit realitas objectiva, in illius cauſa tantundem ad minimum ſit neceſſe eſſe realitatis formalis, quantum ipſa continet objectivæ. Senſus argumenti eſt, Ideam rei non plura poſſe continere attributa, perfectiones, colores, qualitates &c, quam res ipſa cujus eſt idea continet. Cum igitur certum ſit omnes homines Deum concipere ut ens perfectiſſimum, neceſſario iſtiuſmodi ens exiſtere debet.

Miſalethes.

Samuel Parkerus Libro quem *Tentamina Phyſico-Theologica* appellavit, cap. 5, jam plus quam ante decennium argumentum iſtud *Carteſii* refutavit, fundamentum ejus rejiciendo, & negando nobis Ideam Dei ineſſe. Idea enim nihil aliud eſt quam rei imago, quam noſtræ menti ineſſe meritiſſimo negat, ſi Dei intelligas. Negat præterea nos à Natura hauſiſſe, Deum eſſe omnipotentem, immenſum &c, pag. 166, additque ea à parentibus, magiſtris aliiſve nos didiciſſe. Ego præterea addo, nos ſi Dei ideam, undecunque tandem depromptam, haberemus, eam adeò eſſe imperfectam, ut ex noſtris facultatibus originem facile habere poſſit. Si enim facultatibus nobis per Naturam inſitis, ex ſola Naturæ contemplatione & naturali lumine, intelligere & concipere poſſemus, ens aliquod infinitum, abſolute perfectum &c exiſtere, tum nullo modo ſequitur, iſtiuſmodi ens exiſtere, quia ſola noſtra natura iſtum conceptum formare poteſt. Ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

idcirco nulla præter humanam naturam iſtius Ideæ cauſam exiſtere neceſſe eſt. Ex q patet ideam iſtam non arguere eſſe Deum.

Te mentem argumenti iſtius recte expoſuiſſe exiſtimo. At præter *Parkerum* etia *Ludovicus Woltzogenius* Baro, in ſuis ad *Renati Diſcartis* Meditationes Metaphyſicas a notationibus, prius in quarto, deinde in folio una cum reliquis ejus operibus editis, a gumentum iſtud accurate diſſecuit, ejuſque futilitatem ita demonſtravit, ut nemo C teſianorum adverſus eas hiſſere fuerit auſus. Nihil autem aliud efficit, quam conceptu quem de Dei eſſentia habemus, non poſſe perfectiorem eſſe ipſa Dei eſſentia, ſi De exiſteret. Non vero quod Deus ipſe conceptum iſtum in nobis effecerit: niſi dice velit, nos nullo modo poſſe habere conceptum entis perfectiſſimi, niſi Deus illum n bis indidiſſet. Si enim iſtud verum eſſet, tum per naturalem ratiocinationem nen conceptum iſtiuſmodi poſſet formare, nec ex Naturali lumine percipere eſſe Deun quæ mea eſt ſententia. Primo igitur probandum eſt, omnes homines, idque natura ter, ideam vel conceptum habere entis perfectiſſimi. Secundo, conceptum iſtum hominibus non poſſe formari. Denique conceptum iſtum in hominis mente non po locum habere, niſi ens perfectiſſimum exiſtat. Cum enim conceptus iſte multa att buta contineat, in una eſſentia locum habentia, nihil aliud iſte conceptus eſt, qua conjunctio attributorum, quam mentem noſtram efficere non poſſe, quamvis attribu iſta nullibi ſimul exiſterent, demonſtrari debuit.

Philalethes.

Alio modo argumentum iſtud urgebo. Cum idea ſit imago in mente, rem ipſa cujus eſt imago repræſentans, nulla vero imago menti ineſſe queat, niſi per ipſas reru formas, ſive determinatas lineas inſcribatur, neceſſario ex idea Dei, menti noſtræ inha rente, ſequitur eſſe Deum. Verbis autem ſolis, nulla idea in mente excitari poteſt quemadmodum in cœco apparet, & in infantibus, quibus nunquam poſſumus reru notitiam verbis ingenerare, niſi prius eas externis eorum ſenſibus objiciendo. Qui piſcis aut color ſit viridis nunquam intelligent, ſi nunquam ea oculis uſurpare contin gat, quamvis nomina eorum illis inculcaveris. Ex quo patet Numinis cognitione per verba aut vocabula nemini poſſe communicari (& per conſequens nec per revela tionem) niſi ideam ſive conceptum Dei antea mente perceperit. Si vero eam nec pe verba, nec per externa ſenſuum objecta perceperunt homines, neceſſario innatus, & a ipſo Deo implantatus eſſe debet.

Miſalethes.

Ex iſta deductione ſequitur, nos Dei Ideam non modo non habere, ſed omnino ha bere non poſſe. Si enim idea non niſi per ipſas res vel earum imagines haberi poteſt Deus autem vel ejus proprie dicta imago nunquam ulli eſt exhibita, manifeſtum eſt im poſſibile eſſe, ut ullam Dei habeamus ideam. Præſertim ſi Dei eſſentia nullam ha beat extenſionem, vel (quæ aliorum eſt opinio) abſolute infinitam. Si vero eſſentian Dei eo modo, quo eam Sacra Scriptura exhibet, concipimus (quam omnes ei tantun figurate ibidem tribui immerito contendunt) ſpirituali videlicet corpore conſtantem

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

cum fateor nos Ideam Dei habere poſſe. Sed ſimul etiam apparet, eam poſtquam omnium vocabulorum ſignificationem didicimus, per verba facillime nobis ingenerari poſſe. Si vero Dei eſſentiam vel abſque ulla, vel cum abſolute infinita extenſione nobis imaginari velimus, tantum abeſt ut ejus Ideam menti noſtræ ineſſe concedam, ut credam neminem niſi inſanum nobis Ideam Dei tribuere poſſe. Cognitio igitur Numinis ulli eſſe innatam nego, & eam, qualiſcunque tandem concipiatur, abſque ſenſuum externorum adminiculo poſſe haberi. Si enim abſque eo haberi poſſet (quod tamen Carteſius inepte ſatis contendit) ſequitur hominem, qui omnibus externis ſenſibus eſt deſtitutus, Dei Ideam habere poſſe: cum ne quidem abſque illis intelligere quidquam poſſit. Plura hic addere minime eſt opus, cum citati iſti à me Scriptores, nervos iſtius argumenti omnes præciderint, quos conſuli ab omnibus optarem.

Diatetes.

Libro iſto *Parkeri*, cap. 5, pag. 157 initio, egregie dicit: *Quoniam nihil majori veritatis præjudicio ſit, quam illius à mendaciis defenſionem petere, ſupereſt ſi qui in cauſa quam teneo, tuenda aberraverint, ut eorum auxilia abjiciam, atque ea libertate tranſfigam, qua jam ante fui Atheiſmum inſectatus.* Nos igitur ne pigeat, inania cauſæ noſtræ fulcra deſerere, cum firmiora non deſint.

Philalethes.

10. Decimum igitur Argumentum à contemplatione animæ humanæ deſumam; quæ adeo excellentis eſt naturæ, tamque eximiis prædita eſt facultatibus, ut ea ab homine produci poſſe, minime ſit vero ſimile, quod de corpore etiam affirmari poteſt: cujus admirandam conſtitutionem, & conſonantem omnium membrorum harmoniam atque poſituram, nunquam ſatis mirari poſſumus, ad quam homo nihil conferre poteſt. Quod argumentum à multis, & præcipue à *Parkero* diffuſe eſt explicatum.

Miſalethes.

Reſpondeo primo, quamdiu homines Anatomię corporis humani erant imperiti, neminem hoc argumentum excogitare potuiſſe, ſi nihil unquam de Deo audiviſſet. Deinde idem de cæteris animalibus, inſectis & plantis eſſet ſtatuendum, in quibus idem artificium, eadem concinnitas & pulcritudo, in ſuo genere elucent. Adde, quod ipſa Scriptura teſtatur, homines, beſtias & plantas omnes ſui ſimile producere. Vide Gen. I. 22, 28. VIII. 17. IX. 1, 7. Quod & experientia evidentiſſime docet.

Quod vero homines nihil in eo efficere poſſint, ut liberi his vel illis qualitatibus præditi naſcantur, id non impedit quominus hominem gignant: quia beſtiæ & plantæ non magis id in poteſtate ſua habent. Ac idcirco ſtatuendum eſſet, Deum ſingulas ſubſtantias producere, & animalia quidem ad eorum libitum. Quod ſaltem demonſtrari nullo modo poteſt. Verum iſtud fortaſſe non vis, ſed Deum facultatem ſui ſimile generandi hominibus indidiſſe. Hoc vero ſi ſtatuas, tum concedis, facultatem iſtam rebus naturaliter ineſſe, & generando communicari. Quidni ergo, ſi facultas iſta per mille aliquot annos animalibus ineſſe potuit, ab æterno eis non potuerit ineſſe non percipio: ſeminibus enim, non plantarum modo, ſed & animalium omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

partes ſubſtantię ex illis producendæ, potentialiter ineſſe, in nonnullis ad oculum manibus oſtendi poteſt. Adeo ut nihil niſi locus naturalis, calor & alimentum requiratur, ut naturæ ſuæ perfectionem conſequantur. Quod per ſe eſt manifeſtum: cum ſemina ex omnibus ſubſtantiarum partibus producantur.

Ac idcirco naturalis productio ab artificiali accurate eſt diſtinguenda: ad illam enim nihil aliud requiritur, niſi ut ſemina, vel caſu (quod in multis plantis contingit) vel conſilio, in matricem vel terram conjiciantur, perfectio autem & maturatio Naturæ committatur, & omnia impedimenta, quantum fieri poteſt arceantur. Ita raro, niſi inopinatus aliquando caſus fœtum deſtruat, eventu fruſtrabitur generatio. In artificiali, in qua ex materia, vita vegetativa deſtituta, aliquid conficitur, Natura nihil efficere poteſt, ac idcirco omnes inſtrumenti vel imaginis partes & lineamenta, ab artificis deliberatione dependent. Quod autem de animæ facultatibus narras, quo pacto quis animæ facultates, vel eximiam naturam tribuere poteſt, cum quid ſit anima omnes ignorent, nec ullus in ea tantam excellentiam vel artificium oſtendere poſſit quantam Anatomia in corpore exhibet. Et tandem ſi negavero, animam ullam à corpore diſtinctam habere exiſtentiam, quis contrarium ex lumine naturali demonſtrare poterit?

Diatetes.

Nec iſta decima ratio mihi admodum firma videtur. Tamen ſi *Miſalethes* ea quæ adverſus argumenta iſta reponit, probare deberet (quod nunc non tenetur facere) credo ipſum nihil omnino efficere poſſe.

Philalethes.

11. Si Mundus aliquando exiſtere cœpit, certum eſt eum ab aliqua cauſa eſſe productum, quæ nullus alius, præter omnipotentem Deum eſſe poteſt. Mundum vero ortus ſui initium agnoſcere, ex ejus partibus eſt manifeſtum, quæ cum omnes corporeæ exiſtant, neceſſario dividi & corrumpi ac mutari poſſunt, ortumque & interitum recipiunt.

Miſalethes.

Primo falſum eſt, omnes Mundi partes corrumpi, oriri, interire vel etiam mutationi eſſe obnoxias. Etiamſi enim id in minutiſſimis Mundi particulis verum eſſe videatur (quales ſunt animalia & plantæ) in cæteris tamen nulla mutatio, corruptio, interitus aut ortus ſive initium obſervari poteſt: puta in globo Terreſti, aëre, Sole, Luna, cæteris Planetis, Stellis fixis, cœlis & ſi quę ſunt alia.

Deinde nec iſtæ minutiores particulæ intereunt, ſed æternum permanent, in aliam perpetuo formam ſeipſas immutantes. Quamvis autem omnes Naturę partes ſint diviſibiles, videlicet cogitationibus noſtris, inde non ſequitur aliquem in rerum natura exiſtere, qui eas dividere reipſa queat. Si Deus exiſtit, cujus eſſentia eſt ubique (quod omnes fere credunt) non minus ejus eſſentiam cogitatione dividere poſſum. Non tamen agnoſces eum eſſe corruptibilem. Reliqua quæ huc afferri poſſent, ex reſponſione ad tertium tuum argumentum peti poſſunt.

Dia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Diatetes.

Vellem te nihil niſi firmã argumenta proferre, ne bona cauſa per malam defenſionem labefactetur.

Philalethes.

12. Num ergo remorſus conſcientiæ, quem in ſceleſtiſſimis hominibus obſervamus, qui toti in eo fuerunt, ut omnem Numinis metum ex animo ſuo ejicerent; nec tamen conſcientiæ terrores abigere ullo modo valebant, non firmiter oſtendit, eſſe Numen, quod ſcelera ſeveriſſime ſit puniturum in illis, qui omni humana potentia ſuperiores extiterunt, ac idcirco non hominis, ſed Dei iram ſe metuere, hoc ipſo ſunt teſtati?

Miſalethes.

Si remorſus iſte conſcientiæ doceret eſſe Deum, tunc iſtud non eſſet argumentum ex Naturali lumine, ſed ab ipſo Dei immediato teſtimonio deſumtum foret: niſi velis affirmare, remorſum iſtum naturaliter homini adeſſe. Quod ſi verum eſt, ab ipſa Natura erit productus, & ſic nullum Divinæ exiſtentiæ argumentum efficiet.

His adde, me plane negare, remorſum iſtum ullum vel minimum de Dei exiſtentia indicium præbere, niſi demonſtrare poſſes, eum locum habuiſſe in hominibus, qui nihil unquam de Deo audiviſſent, & ab homine nullum periculum exſpectarent. Alias enim fieri poteſt, ut metus iſte vel homines reſpiceret, quos ſcelerati in ſui odium concitaverunt; vel imbuta de Numinis ira & ſuppliciis, à teneris opinio: quæ non adeo facile ex animis hominum, & in quibuſdam nullo modo eradicari poteſt.

Denique ſi vel à Natura implantatus, vel à Deo conſcientiæ iſta vellicatio, reſpectu ſolius Numinis hominibus adeſſet, mirum eſt quod adeo paucos vexet, & frequenter eos qui maxime horrenda ſcelera innumera committunt, nihil infeſtet. Unde colligere licet, quam parum iſtiuſmodi conſcientiæ aculeo ſit tribuendum. Cum vero aculeus iſte adeo paucos infeſtet, omnino certum eſt eos, qui ejus nullum dolorem percipiunt, per eum ad Numinis cognitionem non poſſe pervenire. Tantum vero abeſt, ut omnes iſtam conſcientiæ vellicationem ex commiſſis ſceleribus percipiant, ut non tantum integræ Nationes ea ſecure committant (quod in ipſo Sodomitico quod vocant peccato locum habet) ſed etiam ab iis quos ipſi Chriſtiani pro viris præſtantiſſimis habent, commiſſa, & ne quidem pro vitiis reputata ſint. Quod de *Socrate*, *Diogene*, *Ariſtippo*, *Plutarcho*, *Ariſtotele* aliiſque plurimis oſtendere promptum eſt.

Diatetes.

Quamvis argumentum iſtud à Natura non eſſe petitum concedere cogamur, tamen exiſtimo iſtud non levidenſe de Dei exiſtentia indicium præbere; quamvis non Atheis, quibus oſtendi nequit, iſtum conſcientiæ aculeum ab ipſo Numine proficiſci. Quod vero non omnes ſcelerati ab eo torqueantur, ex eo nihil concludi poteſt, quam quod Deus homines ad pietatem cogere nolit. Sed iſta impræſentiarum omittamus, quia *Miſalethem* permovere nequeunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Philalethes.

13. Decimamtertiam igitur rationem à multiplicatione generis humani petam. Quandoquidem enim apparet, plurimas ante aliquot ſecula regiones vel oppida non fuiſſe habitatas, vel ex habitatis civitatibus aut regionibus occupatas, repletas, colonias deductas, nec tamen hominum primigenius numerus, ex quibus iſti novi habitatores prodierunt, imminutus fuit, ex eo clariſſime conſtat, hominum numerum adauctum eſſe. Quod ex eo etiam confirmatur, quod cum tot homines in bello & mari extinguantur, tamen inde numerus hominum non decreſcit. Ex quo patet genus humanum non ſemper extitiſſe, ſed à paucis, & procul dubio duobus hominibus initium ſumſiſſe. Qui cum ab aliis hominibus non ſint producti, neceſſario ab alio ente procreatos eſſe oportet, quod nullum præter omnipotentem Deum eſſe poteſt. Quod exinde etiam confirmatur, quia genus humanum certum hominum numerum complectitur: non enim infinitus eſt numerus hominum. Conſtat autem omnem numerum ab unitate incipere. Ex quo denuo patet, aliquando primum extitiſſe hominem, à quo reliqui originem, ipſe vero à Deo traxerint.

Miſalethes.

Ex iis quæ ad tertium tuum argumentum poſtremo loco reſpondi, facile intelliges, quamvis concederem humanum genus aliquando incepiſſe, ex eo minime poſſe concludi, iſtud ab alia quam naturali ſubſtantia eſſe productum.

Secundo. Non video quo pacto probari poſſit, genus humanum multiplicari, vel numero augeri. Quamvis enim negare nolim, aliquando Colonias eſſe deductas, & novas ſedes ab exercitu aliquo quæſitas & occupatas eſſe: fieri tamen poteſt, ut aliæ civitates & regiones relictæ, & ab habitatoribus deſertæ manſerint. Quorum caſuum in hiſtoriis exempla non deſunt. Numerum vero hominum, ex quibus colonia deducitur &c, non minui, contradictorium eſt.

Tertio. Cum ipſa Scriptura teſtetur, Deum non modo beſtias, ſed ipſos etiam homines primitus ex terra produxiſſe Gen. 2. 7, 19, cur mihi ſtatuere non liceat, primos homines (ſiquidem genus humanum initium aliquando habuerit) primaſque beſtias ex terra ſponte prognatos eſſe? quod in muribus, vermibus multiſque aliis animalculis etiamnum contingere videmus. Quemadmodum autem Natura olim lapides quoſdam (puta porphyretem & cementum) produxit, quos non amplius, ob materiæ ex qua eos produxerat paucitatem, producere poteſt, ſic etiam nullos amplius homines vel majuſculas beſtias, toto eorum ſemine quod terra continebat abſumto, poſſit progignere.

Quod non leviter confirmatur hiſtoria de *Aboriginibus*, *Italiæ* olim habitatoribus (quod nomen etiam Athenienſes ſibi vindicabant, aſſerentes ſe in ſua regione progenitos, nec ab alio populo originem traxiſſe) qui ab *Ænea*, poſt *Trojæ* excidium victi, aliud nomen, *Latinorum* videlicet, recipere ſunt coacti, regione eorum *Latium* appellata. Quo *Aboriginum* nomen periit. Iſtorum originem nemo hactenus indagare potuit: quare merito ſuſpicor, eorum progenitores ex ipſa terra originem habuiſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Nam à *Noacho* (ut tantiſper concedam, omnes ipſo cum familia excepto, totius orbis terrarum incolas aliquando aquis fuiſſe peremtos) ſi originem traxiſſent, nullo modo eſt veriſimile, ipſos nullam iſtius originis memoriam retinuiſſe, cum nondum nongenti anni effluxerint, ad tempus iſtud quo ab *Ænea* ſubacti fuerunt.

Quod autem omnis numerus ab unitate incipiat, ex quo Tu primum hominem numerando quęſiviſti, id quidem verum eſt in numeris certis, quos homines conficiunt. Non vero in numero (ut ita dicam) de quo quæritur an initium habuerit. Quod in vita Dei concedere cogeris: hæc enim hora poſtrema eſt in ejus vita (horæ enim ſecuturæ nondum exiſtunt) nec tamen inde concludi vis, ejus vitę fuiſſe initium. Idem de tempore eſt affirmandum.

Philalethes.

De hominum ex terra ortu quidem hic mihi objicis; ſi autem tibi narrarem eſſe locum in India orientali, in quo homines ex terra prodeant, non credo quod fidem mihi ſis habiturus. Et ſi credere potes, terram producere poſſe hominem, mirum eſt ſi non poſſis credere, Deum aliquem exiſtere, qui iſtud fecerit.

Diatetes.

Si *Miſalethes* eſſet opponens, recte reſponderes. Et quamvis ſententia de multiplicatione generis humani, ex naturali ratione minime comprobari poſſit, cum ſit res mere hiſtorica, vix tamen ulla unquam Natio extitit, cujus originem hiſtoriographi non aſſignent. Si vero genus humanum ab æterno extitiſſet, profecto nemini in mentem venire poſſe videtur, illud aliquando initium habuiſſe. Quare hic ancipiti Marte à vobis pugnatum eſſe exiſtimo, quamvis non ex Naturali lumine argumentum ſit formatum.

Philalethes.

14. Quartumdecimum igitur adjiciam argumentum: id vero nobis exhibent ſcopuli marini, quos certa experientia conſtat, valde ab attritione undarum exiliores fieri. Si vero Mundus ab æterno extitiſſet, fieri non poteſt quin omnino eſſent abſumti: quia conſtat eos non creſcere vel augeſcere. Ex quo patet Mundum non admodum diu extitiſſe, & conſequenter quod ſit creatus; ex quo ſequitur eſſe Deum.

Miſalethes.

Si ex eo firmiter concluderetur, Mundum habuiſſe initium, nondum ex eo ſequeretur eſſe creatum: quemadmodum in fine reſponſionis ad tertium tuum argumentum oſtendi.

Deinde, cum partes iſtæ ſcopulorum, paulatim detritæ non in nihilum rediganatur, neceſſario alium locum occupare debent: adeo ut forſan iſtæ partes, novarum rupium materiam, quas nonnunquam fortaſſis Natura producit, ſuppeditent.

Tertio. Si verum eſt, rupes quotannis exiliores fieri, quis iſtud de omnibus rupibus affirmare poteſt? Quis quod non multæ rupes penitus jam ſint abſumtæ? Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

& author hujus argumenti *Iſaacus Voſsius* agnoſcit. Si vero multæ defecerunt, nonnullæ nondum, id ex eo fieri poteſt, quod novi ſcopuli, vel alia entia in conſumptorum locum paulatim ſuccedant.

Adde ſi per iſtam rationem homines ad Dei cognitionem perduci debeant, quot centena millia neceſſario interire debuerunt, antequam iſtud argumentum formari potuerit? Cum ad id multa requirantur ſecula, quæ elapſa fuerunt, antequam Navium uſus apud homines obtineret, & ſcopulorum imminutio potuerit obſervari.

Prçterquam quod ea jam cognita, nullo modo percipere queam, quo pacto alicui (ſi nunquam de Deo quidquam audiviſſet) in mentem venire poſſit inde concludere Mundum aliquando non extitiſſe, vel ab aliquo eſſe creatum. Quod enim, quando quis credit, & mordicus defendere vult eſſe Deum, poſt tot marinas obſervationes iſtiuſmodi argumenta excogitantur, mirum non eſt. Sed ſi nunquam de Deo aliquid audiviſſemus, unde iſta ſuſpicio oriretur, capere nequeo.

Diatetes.

Quamvis argumentum iſtud, Scripturæ teſtimonium de Mundi creatione, nobis non parum confirmat, non tamen ſatis efficax videtur ad Atheos convincendum. Et iſtud ab eo, qui nunquam Deum eſſe, vel Mundum eſſe creatum audiverit, excogitari poſſe, mihi minime fit veriſimile. Præſertim cum mecum reputo, quot ſecula elapſa ſint, antequam quis ſuſpicionem de terræ rotunditate, de antipodibus, de Balçnarum captura, multiſque aliis rebus, quæ nobis adeo ſunt connexæ, unquam conceperit. Ut alia taceam.

Philalethes.

15. Decimaquinta ratio pro Numinis exiſtentia hæc eſt. Quando cogitationes noſtras in Naturam convertimus, alterutrum eſt ſtatuendum, vel plane nihil eſſe vel aliquid. Credere plane nihil eſſe, vel poſſibile eſſe ut nihil ſit, id eſt, ut non ſit terra, cçlum, ſtellç, quç omnia ſimul conſiderata Naturam, Univerſum ſive Mundum appellamus) ſed plane nihil, id primo intuitu abſurdiſſimum eſſe judicamus. Quocirca ſtatuendum eſt, neceſſario exiſtere aliquid. Cum vero nihil eorum quæ cernimus, neceſſario exiſtat, & tamen aliquid exiſtere debeat, neceſſario ſtatuendum eſt exiſtere ens neceſſarium, quod non poſſit non exiſtere. Quod vero neceſſario exiſtit, id etiam principio carere debet, & ab omni æternitate extitiſſe. Æternum autem nihil eſſe poteſt, quod non ſit perfectum. Quod perfectum eſt, Deus eſt.

Miſalethes.

Nullum hactenus mihi videris argumentum protuliſſe adeo debile quam iſtud eſt, imo ex quo ego contrarium melius deducere queam; quemadmodum mox oſtendam. Dico autem primo, nunc cum totum Univerſum (& nos in eo) exiſtat, a nobis concipi non poſſe, quod nihil omnino exiſteret, cum omnia exiſtant, & in nihilum redigi nequeant. Si vero nihil exiſteret, & nos ipſi nullibi eſſemus, tum nullam abſurditatem

ditatem locum habituram. Ac idcirco non opus eſt concedere, impoſſibile eſſe ut nihil plane exiſteret. De nihilo nihil cogitare nec ratiocinari poſſumus.

Deinde, cum affirmas, nihil eorum quæ videmus neceſſario exiſtere, iſtique aſſertioni argumentum tuum innitatur, mirum eſt quod ejus futilitatem ipſe non animadverteris: cum omnino falſum ſit, nihil eorum quæ videmus neceſſario exiſtere: omnia enim quæ exiſtunt, neceſſario exiſtere exiſtimo, cum nihil in nihilum redigatur, ſed cuncta maneant; ea videlicet quæ terram incolunt in perpetua mutatione, reliqua vero in eodem ſtatu. Si ergo ens neceſſarium, principio carere, & perfectum eſſe debere affirmas, jam nullo modo poterit exiſtere Deus. Sed ipſa Natura erit æterna & perfecta, & ſic ipſa Natura erit Deus.

Diatetes.

Miſſas faciamus ſubtiles iſtas nugas, & ſi quid ſupereſt argumentationis audiamus.

Philalethes.

16. Ut igitur tandem finiam, unum adhuc argumentum expromam (reliqua enim argumenta, ſi quæ ab aliis proferuntur, ad ea quæ propoſui referri poſſe exiſtimo) quod ab ipſa Naturæ conſtitutione & natura petitum erit. Illud vero eſt quod Natura, tam reſpectu durationis, quam extenſionis, nec non attributorum ſive facultatum ſit finita, ac proinde non æterna, ſed creata: quoniam non tantum ex diverſis, ſed etiam contrariis partibus, facultatibus & operationibus conſiſtat. Partes autem neceſſario compoſitionem requirunt, & priores ſunt toto, quæ abſque cauſa efficiente locum habere nequeunt. Hęc vero cauſa Naturę is eſt quem quęrimus DEUS.

Miſalethes.

Multa in hoc argumento congeſſiſti, quæ ſingulatim ſunt diſcutienda. 1. Primo enim dicis Naturam ratione *durationis* non eſſe infinitam. 2. Reſpectu *extenſionis*. 3. Reſpectu attributorum ſive facultatum. 4. Quod ſit compoſita, cum ex partibus & operationibus, non modo diverſis, ſed etiam contrariis conſtet.

Quod ad primum attinet, id à me negatur. Quamvis enim non ſemper eo modo quo nunc conſtitiſſet, nec conſtituta eſſet (quorum utrumque à te probari nequit) minime tamen inde concludi poteſt, eam antea nullo prorſus modo extitiſſe. Tunc enim ex nihilo deberet eſſe producta, quod tu ipſe mecum agnoſcis eſſe abſurdum. Et ipſi etiam Scripturæ eſt contrarium, quæ eam ex materia creatam eſſe teſtatur Gen. 1, 2. Hebr. x1. 3. Ex quo ſequitur materiam iſtam ab æterno extitiſſe. Exiſtere vero non potuit, quin aliquam formam habuerit.

Quod enim nonnulli, ne productionem ex nihilo ſtatuere videantur, dicant, ad eam nullam cauſam præter Dei voluntatem ſive cogitationem vel potentiam concurrere, illi fucum lectoribus faciunt, cum non rem, ſed voces tantum rejiciant. Per productionem enim ex nihilo intelligitur ea, quæ ex nulla fit materia. Si ergo Deus ex eſſentia ſua omnia producat, oportet ut omnium iſtorum craſſorum entium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

materia in ipſa Dei eſſentia extiterit. Vel ſi in ea non extiterit, ex nihilo debent eſ
producta. Si prius aſſeras, an iſtud non ſit merus Atheiſmus, omnium judicio con
mitto. Si poſterius, non video ullam contradictionem rejici poſſe. Omnia enim qu
pro impoſſibilibus habemus, per hanc Dei omnipotentiam, qua omnia ex nihil
producere, vel ea quæ infinite à ſe invicem ſunt diſjuncta, unire & connectere poſ
creditur, poſſibilia eſſe poterunt. Bis duo poterunt eſſe quinque, corpus totum i
multis locis ſimul, dimenſio dimenſionem penetrare &c: nam quæ ibi deſunt, e
nihilo à Deo addi poſſunt. Sed hæc abſque neceſſitate addidi: Tuum enim erat oſten
dere, eam ratione durationis non eſſe infinitam. Quamvis autem nunc argumentu
tuum concidat, lubet tamen etiam reliqua ejus membra diſcutere.

Philalethes.

Antequam ulterius reſpondeas, inſto pro duratione finita, ex partium Natur
ſingularium interitu, totius interitum legitime deduci. Adde quod ens æternum
nullam determinationem habere poſſit. Cum vero Natura determinatam habeat po
tentiam (non enim miracula, qualia lib. 1 cap. 6 deſcripſimus, & contradictionem u
fiant non implicare oſtendimus, facere poteſt) & ſcientiam, ab alio productam eſſ
neceſſe eſt. Quia nihil ſeipſum determinat. Si vero à ſeipſa eſſet Natura (qualis eſſ
deberet, ſi foret æterna) omnes à ſe determinationes removiſſet. Nunc vero cum de
terminata ſit, neceſſario ab alio eſt determinata.

Miſalethes.

Ego vero partes Naturæ interire, jam antea negavi. Nam præterquam quod maxi
mæ & præcipuæ Naturæ partes non intereant, imo nunquam vel tantillum muten
tur, reliquæ ejuſdem partes minime pereunt, ſed æternum permanent, in aliam for
mam mutatæ. Quod autem de determinatione Naturæ adjeciſti, plane nihil eſt: quic
quid enim ea de re attuliſti, hoc ſolo nititur fundamento, quod ens æternum propri
loquendo ſit à ſeipſo, id eſt ſeipſum produxerit. Iſtud vero contradictorium eſſe
per ſe manifeſtum eſſe ab omnibus agnoſcitur: quia ſi quid proprie loquendo ſeipſum
produxiſſet, id exiſtere debuiſſet antequam exiſteret. Si vero à ſeipſo eſſe intelligis
quod à nulla cauſa & nunquam productum eſt, tum per ſe manifeſtum eſt, determi
nationem Naturæ naturaliter ab æterno ineſſe: quemadmodum tu naturaliter inde
terminatas facultates Deo ab æterno ineſſe vis, quas à nemine, nec à ſeipſo ſibi com
municatas eſſe agnoſcere cogeris. Quocirca merum eſt ſophiſma, & inanis captio
quod ex ambiguitate locutionis *à ſeipſo eſſe*, argumentum extorquere vis. De exten-
ſione vero reſpondeo, unde tibi conſtat, eam non eſſe infinitam?

Philalethes.

Ex ſingularum ejus partium conſideratione; quas cum omnes determinatam habere
extenſionem per ſe ſit evidens, ſequitur eas infinitam extenſionem ſimul conjunctas
efficere non poſſe.

Miſa-

Miſalethes.

At vero ſi determinata iſta partium extenſio, numerum (ut ita loquar) infinitum conficit, certe infinitam extenſionem exhibebunt. Tu vero nunquam oſtendere potes, non eſſe infinitam Naturę partium vel entium multitudinem. Ego vero contrarium potius evincere poſſem. Si enim (quę Aſtronomorum eſt ſententia) Terra in circuitu plura quam 5000 milliaria contineat, in diametro 1720, & in ſemidiametro 860 milliaria Germanica. Stellas primæ magnitudinis 45 *Ticho Brahe*, 5355 *Ricciolus*; ſed *Lansbergius* ineffabile quoties Terrę globo majores facit. Solem nonnulli 140, alii tercenteſies millies majorem eo credunt. Diſtantiam Solis & Stellarum fixarum à terra, mirum dictu quot ſemidiametros Terrę ſtatuant, & id omne adeo diverſo numero, ut vera diſtantia & magnitudo mihi fruſtra quæri videatur. Sed præterea novi tubi optici Stellas exhibent, adeo altitudine Stellas fixas, nobis hactenus cognitas excedentes, quantum illæ Terram altitudine ſuperant. Et quis novit an non ſupra illas alię adhuc magis diſtantes Stellæ exiſtant. Vel ſi nullæ ibi ſint Stellæ, non tamen concipi poteſt, ſpatii aliquem eſſe terminum. Quid enim terminus erit, ignis, aqua, aër &c? quid extra illum terminum? Adeo ut Natura non aliter quam extenſionis infinitæ à nobis concipi queat.

Præterquam quod nihil efficeres, quamvis oſtendere poſſes, limitatam eſſe Naturæ extenſionem. Quemadmodum enim credis Chriſtianos, quorum eſſentia exiguam admodum habet extenſionem, poſt mortem æternum victuros. Cur ergo Natura, quamvis non infinitæ eſſet extenſionis, non poſſet eſſe æterna? Præſertim cum multi Theologi & Philoſophi, Dei eſſentiam non habere infinitam extenſionem credant.

Ad tertium, de determinatis Naturæ facultatibus & attributis reſpondeo: quamvis id diffiteri nolim eſſe verum (etiamſi non deſint qui ex infinita entium multitudine, ſi conjunctim conſiderentur, infinitas facultates & attributa concipi poſſe volunt) inde tamen minime ſequitur Naturam eſſe creatam. Illud tantum ex eo legitime concluditur, Naturam non eſſe iſtud ens, quod vos Deum appellatis; non vero eam eſſe creatam: non magis quam iſtud de materia, ex qua Mundum creatum eſſe contenditis, ex eo concludere poteſtis.

Quartum quod adjeceras, erat compoſitio ex partibus & operationibus diverſis & contrariis. Ad quam reſpondeo, non eſſe neceſſarium, ut Naturæ partes aliquando fuerint conjunctæ: & quamvis etiam conjunctæ forent, id tamen non ab aliquo factum eſſe neceſſe eſt, ſed ſponte, ex inſita Naturæ facultate fieri potuit. Non ut aliqua Naturæ pars ex nihilo extiterit, ſed ut novam formam induerit. Quod in plurimis quotidie videmus. Ita ſemina formam plantarum & animalium induunt, cæteræ autem Naturæ partes ſemper eędem ſunt & fuerunt. Mutatio vero iſta ſeminum eſt naturalis terreſtris globi proprietas.

Tandem ſi id in quo partes concipimus unam extra aliam, neceſſario aliquando à ſe invicem fuiſſet revera ſeparatum, & rurſus ita diſſolvi poſſet, ut non amplius exiſteret, idem de Deo, de Materia prima, de tempore, de loco & extenſione eſſet dicendum. Im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

poſſibile enim eſt, ſi Deus eſt, ut non habeat eſſentiam extenſam: nullam autem extenſionem concipere poſſumus, in qua partes non ſint. Ex eo tamen concludi non vulti partes iſtas eſſe compoſitas, vel poſſe unquam diſſolvi. Idem de tempore eſt ſtatuendum: quamvis enim multi volunt, tempus ante Mundum conditum non extitiſſe (quod ego facile concedere poſſum, qui Naturam æternam eſſe exiſtimo) & ſolis curſum tempus conſtituere, id merę ſunt nugę: quamvis enim nec Sol, nec Luna, nec Aſtra exiſterent, tamen exiſteret tempus, quod nihil aliud quam duratio eſt. Locus nihil aliud eſt quam ſpatium. Utrumque partes habet, nec tamen aliquando initium habuerunt. Quemadmodum igitur omnia in æternum permanent, nonnulla perpetua mutatione formarum, alia in eodem ſtatu; ita nec quarundum formarum initium, nec partium in rebus enumeratio, ullo modo poteſt evincere, Naturæ ab aliquo productionem.

Diatetes.

Quamvis omnia iſta argumenta, quæ *Philalethes* ex Naturali lumine depromſit prorſus eſſent invalida, nihil tamen inde vel tuæ cauſæ emolumentum, vel noſtræ detrimentum accedit, cum alia firmiora argumenta, non ex ſolo naturali lumine, ſed ex ipſis hominum opinionibus depromta, ſuppetant, quas nos inter eos minime locum habere poſſe docebimus, ſi non exiſteret Naturę Creator & Dominus, nec non ea quæ ex aliis rebus in Natura locum habentibus, ex ipſa de Deo opinione prolixius deduximus cap. XI. Nihil autem ex argumentorum iſtorum debilitate aliud ſequeretur quam ex Naturali lumine ſolo, ſi nunquam de Deo ejuſve exiſtentia quidquam cognitum habuiſſemus, non poſſe demonſtrari eſſe Deum, Naturę Creatorem & Dominum. Quandoquidem vero jam de Deo audivimus, eum exiſtere, & Mundi eſſe Creatorem & Gubernatorem, non modo ratio dictat iſtud minime eſſe abſurdum, ſed etiam ex ipſa Natura rationes depromere novit, quę omnino confirmant eſſe vera, quæ S. Scriptura de Deo affirmat.

Quod enim nonnulli exiſtimant, ipſam Scripturam docere, ex ſolo Naturali lumine Dei exiſtentiam poſſe addiſci, in eo longe, credo, falluntur. Quatuor ſunt loca, quibus id doceri exiſtimant, quorum primus eſt Pſal. 19. 2, 3, 4, 5, 6, 7. Alter Act. 17. 26, 27, 28. Tertius Rom. 1. 20. Quartus Rom. 2. 14, 15, 26, 27.

Primus indicare videtur, ex ipſa Naturæ conſideratione, Dei exiſtentiam poſſe concludi: dicit enim Pſaltes verſu 2, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus indicat expanſum eorum &c.* Ubi primo certum eſt, Pſaltem populo Judaico iſta dicere, qui Deum Naturæ eſſe Creatorem, ex Legis teſtimonio, & multis miraculis erat convictus. Illis cęlos & firmamentum indicare affirmat, non Deum exiſtere, de quo nunc quęritur, ſed ipſius gloriam, iis videlicet qui illum cæli Creatorem eſſe agnoſcunt. Hi enim ex iſto opere facile intelligunt, quam infinita ſit Creatoris iſtius potentia, & quam admirabile iſtud ſit opificium, in quo ipſius gloria conſiſtit. Alias, niſi quis ſciat vel credat Cęlos ab aliquo eſſe factos, profecto is ex illorum contemplatione Dei gloriam intelligere nullo modo poteſt.

Quod

Quod vero verſu 5 additur, ſermones cælorum ad extremitates terræ prodire, id non tantum de ſola terra Judæorum poteſt intelligi (quemadmodum iſtæ voces eadem ſignificatione habentur Pſal. 2. 8. XLV. 17. CV. 7 coll. cum Pſal. 147. 20 & alibi) verum etiam de populis qui Deum Creatorem agnoſcunt, quod pleræque, vel omnes tum cognitæ nationes faciebant. Præterquam quod ex poëtica adornatione & hyperbolis, nimium ibidem manifeſtis, in hac quæſtione argumenta deduci nequeunt. Vide verſum 2, 5, 6 &c.

Locus Act. 17. 26, 27, Deum genus humanum ex uno ſanguine feciſſe affirmat, determinaſſe etiam tempora prædeſtinata, & terminos eorum habitationis, ut Dominum quærerent, ſi eum forte palparent & invenirent. Quæ verba *Paulus* ad *Athenienſes* facit, ut eos ab idololatria dehortetur. Qua fini ſupponit creationem generis humani & ipſius Naturæ à Deo eſſe factam, quæ & eorum erat opinio. Ex qua Paulus affirmat ſequi, eos debuiſſe Deum verum, non vero idola quæ illi venerabantur, cognitum habuiſſe, & cultu religioſo proſequi. Hunc genuinum verborum eſſe ſenſum, ex tota orationis ſerie eſt manifeſtum, verſu 16, 22, 23, 24, 25 indicatum. Non vero quod illi, qui Mundum eſſe creatum ignorant, ex ejus conſideratione verum Deum cognoſcere poſſent. Sufficit autem quod verba ita explicari poſſunt, ad oſtendendum, ex iis evinci non poſſe, homines ſolo Naturalis luminis ductu, ad Dei cognitionem pervenire poſſe. Quod autem verſu 28 adjicitur, nos *in* Deo *vivere*, *moveri* atque *exiſtere*, magis inſerviret ad oſtendendum Deum eſſentia ſuâ in omni loco eſſe, quam ex naturali lumine eum poſſe cognoſci. Sed neque iſtud efficiunt illa verba: quandoquidem enim vocula *in* frequentiſſime in S. Literis pro *per* uſurpatur, quod nemo qui eas vel à limine ſalutavit ignorat, quivis videt nihil ſolidi in hac materia ex eis oſtendi poſſe.

Tertius locus, quamvis multo adhuc evidentius noſtram ſententiam oppugnare creditur, minus tamen habet difficultatis. Ibi enim, ut ex verſu 21 apparet, de hominibus agitur, qui *Deum cognoſcebant*, inter quos τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ *cognoſcibile Dei* manifeſtum eſſe dicit ex rebus creatis: *cognoſcibile* autem iſtud expreſſe declarat verſu 20, eſſe *æternam ejus potentiam & divinitatem.* Has ab iſtiuſmodi hominibus, quibus cognitum erat eſſe Deum, Naturæ creatorem, ex rebus creatis intelligi potuiſſe verſu 20 affirmat. Eos, videlicet, intelligere debuiſſe, Deum non certo tempore Divinitatem accepiſſe (quod illi de *Jove* ſomniabant) ſed eam ab æterno poſſediſſe. Nec etiam imperium diviſum, cuique Deo ſuam portionem aſſignato, ſed in omnia unum poſſidere. Hunc genuinum loci eſſe ſenſum mihi adeo manifeſtum eſſe videtur, ut à quovis facillime percipi poſſit.

Nihilo magis nobis adverſatur quartus locus ad Rom. 2. 14, 15, 26, 27, ubi dicitur *Gentes Legem non habentes naturâ, ea quæ ſunt Legis faciunt: hi Legem non habentes, ſibi ipſis ſunt Lex, qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, conſcientia ipſorum una teſtante, & cogitationibus ſe invicem accuſantibus, vel etiam defendentibus. Si autem præputium jura Legis perfecte implet, nonne præputium naturale in circumciſionem reputabitur, &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

præputium Legem perfecte implens, judicabit te per literam & circumciſionem tranſgreſſore Legis? Quæ verba ſi id quod in quæſtione eſt conficerent, duo hic clare deberent appa rere, 1. per *Gentes* & *Præputium* Paganos infideles intelligi. 2. quod vox *Naturâ* ver ſu 14, conjungi debet cum ſequenti voce *faciunt*, non vero cum præcedenti voce *ha bentes:* quorum utrumque negamus, & ſolide oſtendi deberet, priuſquam ex ho loco concludere liceat, nos ex ipſa Natura legis præcepta obſervare: oſtendi autem iſta non poſſe firmiter exiſtimo.

Contra vero per *Gentes* & *præputium* ex Gentibus in *Chriſtum* credentes ab Apoſtol intelligi, non modo ab Apoſtolorum conſuetudine non abludit, ſed ipſæ loci circum ſtantiæ valde veriſimile, ſi non plane evidens reddunt. Vide Actor. 15. 3, 7, 17 XXVIII. 28. Rom. 3. 29. IV. 17, 18. IX. 30. X. 19. XI. 11, 13, 25. XV. 9, 10, 11 12, 16, 18, 27. XVI. 4. Gal. 2. 12, 14. III. 8, 14. Epheſ. 3. 1, 6 & alibi. Loci ve ro circumſtantiæ, quæ de fidelibus Apoſtolum agere veriſimile faciunt (quamvis om nino ſufficit ſi de illis locus accipi poſſit) hæ ſunt, 1. quod vox *natura* cum voce haben tes ſit conjuncta, & ſenſum valde conſonum efficiat, indicans Gentes natura non habe re Legem, quod omnino verum eſt. Gentes autem in Chriſtum non credentes natura liter perfecte obſervare Legem falſum eſt, non modo quia Paulus cap. præced. à ver ſu 21 ad finem uſque plane contrarium de ipſis prolixe oſtendit; verum etiam quia ali quid naturaliter obſervare nihil aliud ſignificat, quam per inſtinctum & propenſionem naturalem aliquid facere; quod itidem infidelium Ethnicorum genio & moribus quam maxime adverſatur, & ſic Paulus in eadem fere periodo ſibiipſi aperte contradiceret, hæc de illis hic affirmaret.

Miſalethes.

Tu quidem concedere mihi videris, ſolo Naturæ ductu nos ad Dei, Naturæ condi toris, cognitionem non poſſe deduci. Veruntamen, poſtquam per Dei revelationem & rationes quibus eam certam eſſe homines credunt, edocti eſtis Deum eſſe, intellig poſſe, non modo Naturæ & rationi non repugnare, eſſe Deum, ſed nos naturali intel lectu argumenta excogitare poſſe, quibus firmiter oſtendi poteſt eſſe Deum, non mo do ex rebus revelatis, ſed ex nonnullis, in ipſa Natura locum habentibus. Qua re mihi minime ſatiſfactum eſſe arbitror, & oſtendere ſum paratus, Naturam non tantum nul lo modo docere eſſe Deum, ſed eam contrarium aperte evincere.

Diatetes.

Mentem meam recte percepiſti, quapropter ex arbitro me nunc adverſarium expe rieris, & ſi tibi non diſplicet, ſit nunc *Philalethes* tantiſper de noſtra diſputatione arbiter.

Miſalethes.

1. Non diſplicet conditio. Naturam igitur nullo modo admittere eſſe Deum, pri mum ex ipſa Carteſii aliorumque confeſſione eſt manifeſtum: ipſe enim confitetur Dei ideam nobis non poſſe ineſſe, niſi ab ipſo Deo eſſet implantata, Quo ipſo confi-

tetur

etur eam à noſtra natura non poſſe proficiſci: ſi enim à nobis ipſis poſſet excogitari Dei Idea, certe menti noſtræ inhærere poſſet, quamvis non exiſteret Deus. Quod impoſſibile eſſe cum credat tecum, apparet ideam iſtam à natura noſtra plane eſſe alienam, ac proinde merum eſſe figmentum.

Diatetes.

Tu ſi cum Carteſio, vel mecum credis, ideam Dei à natura humana alienam eſſe (ſive velis eam à nobis nullo modo poſſe excogitari, ſive eam nullo modo poſſe admitti) contra te potius argumentum tuum ſtringit. Cum enim ex ipſa experientia ſit evidentiſſimum, homines ideam Dei aliquam habere, neceſſario iſta idea id repręſentat, quod certo certius exiſtit. Alias enim iſta idea, in eo qui eam primus habuit, ex nihilo originem traxiſſet. Quod cum impoſſibile eſſe mecum agnoſcis, nullus alius modus inveniri poteſt, quo mentes hominum occupavit, quam quod ab ipſo Deo per revelationem vel creationem ſit inſertus. Nihil ergo tua ratio evincit, niſi quod opinio de Mundi Creatore, à natura noſtra non traxerit originem, ex quo ego jam oſtendi, Deum eſſe, & poſt hac uberius adhuc oſtendam.

Miſalethes.

2. Aliud igitur argumentum accipe. Si Natura doceret eſſe Deum, id ſemper eodem modo docere deberet omnibus, unum videlicet tantum eſſe, eumque æternum. Cum tamen videamus omnes homines (quos plerique ex Naturali lumine cognitionem Dei hauſiſſe credunt, nullo excepto) plures Deos, eoſque non æternos, nec omnipotentes, ſed ex hominibus ortos, & limitata poteſtate præditos, coluiſſe & agnoviſſe. Adeo ut nulla natio unicum tantum abſolute perfectum Deum coluerit, præter eos, quos vos ejus cognitionem ab ipſo Deo accepiſſe, abſque fundamento aſſeritis.

Quæ autem Natura docet, ea non modo abſque inveſtigatione novimus, qualia ſunt edere, bibere, generare, ridere &c, verum etiam nulla in iſtis inter homines eſt opinionum diſſenſio. Nemo enim manibus incedere, vel oculis audire vult, nemo pedibus generationem inſtitui, vel arena nos paſci debere exiſtimat. De Deo autem quanta opinionum confuſio? non inter eos modo, quos eam ex Naturali lumine hauſiſſe paſſim volunt, ſed inter eos quos per revelationem Dei cognitionem didiciſſe affirmatis.

Adamus ſe à Deo abſcondere voluiſſe legitur Gen. 3. 8. *Kainus* Deum ſe decipere poſſe credidit Gen. 4. 9. *Abrahamus* ratiocinando Deum erudire voluit, ne injuriam alicui inferret Gen. 18. 23, 24, 25 &c, vel ne cum impiis pios perderet monere. *Moſes* ipſe dubitavit, an Deus ex petra aquam educere poſſet Num. 20. 10, 12 coll. cum Deut. 32. 51. *Jobus* ſibi injuriam à Deo fieri exiſtimabat cap. 7. 20, 21, coll. cum cap. 8. 3. IX. 19, 22, 34, 35 &c. Ex quibus omnibus apparet, quam aliena à noſtra natura ſit Dei cognitio.

Dia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Diatetes.

Quamvis iſtud argumentum oſtendat, Dei cognitionem hominibus non eſſe naturalem, inſitam vel innatam, & ex lumine naturali non hauriri; minime tamen evincit, lumini naturali repugnare eſſe Deum. Quamvis enim ſolum naturale lumen, res ſupranaturales excogitare nequeat, inde non ſequitur nulla ſupranaturalia exiſtere. Quando enim à Deo nobis revelantur, ratio humana optime capit eum exiſtere, nec quidquam in eo abſurditatis agnoſcit.

Philalethes.

Exiſtimo *Diatetem* recte ad argumentum tuum reſpondiſſe.

Miſalethes.

3. Nunc ex ipſa Scriptura te convincam, ea enim docet, opinionem de Dei exiſtentia ex fide Hebr. x1.6,7, fidem autem ex verbi Dei auditu eſſe, Paulus ad Rom. 10 17 expreſſe docet, non vero ex lumine naturali. Ex quo patet lumen naturale cum fide non conſiſtere.

Diatetes.

Iſtud nullo modo ſequitur; non magis quam, ſi quis artem aliquam excogitaſſet, quam alter excogitare non potuit, alterum iſtam artem nunquam pro bona arte habere poſſe, vel nunquam poſſe intelligere iſtam artem, ſi eam à priore doceatur. Si enim fides cum naturali lumine conſiſtere non poſſet, tum oſtendi deberet, Naturam docere, non eſſe poſſibile ut creata ſit, vel creari potuerit. Iſtud enim ſi demonſtrari nequeat, nullo modo ſequitur, fidem cum naturali lumine non poſſe conſiſtere.

Philalethes.

Diatetem ad argumentum tertium recte reſpondiſſe arbitror.

Miſalethes.

4. Non magis igitur vos movebit, quod ibidem verſu 5 & 6 eadem opinio Enocho tribuatur, quam ex fide hauſerit.

5. Nec non iſtud, quod Pſal. 10. 4. xIv. 1. 53. 2 habeatur, eſſe homines qui non credunt eſſe Deum, quemadmodum ego.

6. Item integras eſſe nationes, qui nullum Deum agnoſcunt; quæ tria argumenta à *Fauſto Socino*, Prælect. Theol. cap. 2 producuntur, ut oſtendat, homines naturaliter non cognoſcere Deum. Reſpondebitis enim inde non ſequi opinionem iſtam eſſe falſam. Naturaliter falſam eſſe ſaltem concedere cogimini.

Diatetes.

Minime gentium, incognitam tantum.

Phila-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Philalethes.

Omnino *Diateti* in eo aſſentior.

Miſalethes.

10. Decima ratio eſt: Si Natura doceret eſſe Deum, tum etiam homo, qui ſurdus, cæcus & mutus eſſet à nativitate, iſta cognitione præditus eſſe deberet. Quomodo autem concipi poteſt, illum ullam Numinis notitiam habere poſſe, cum omnia adminicula, quibus Naturam contemplari, vel revelationem recipere queat, ipſi deſint?

Diatetes.

Nec iſtud argumentum quidquam aliud quam prçcedentia efficit, videlicet naturale lumen eum ad Dei cognitionem non poſſe deducere, non vero quod non ſit Deus. Et an per revelationem Deus ipſi non poſſit innoteſcere, ignoro, nec id ad quæſtionem pertinet.

Miſalethes.

Deſinam igitur argumentari contra Dei exiſtentiam: quandoquidem alia mea argumenta * alibi ſunt expoſita, & ab aliis diſcuſſa. Quorum examen omnium judicio committo.

* *Vide capp.* 7 & 8.

CAPUT X.

Oſtenditur nullo modo concludi poſſe non eſſe Deum, nec cultum Divinum eſſe obſervandum, quamvis ex ſolo Naturali lumine non oſtendi poſſit, actiones humanas bonas vel malas eſſe.

EX iis quæ præcedentis capitis dialogo ſunt diſputata apparet, nos abſque periculo concedere poſſe, ex ſolo lumine Naturali non poſſe demonſtrari eſſe Deum; præſertim ſi ea quæ ſequenti capite proferemus argumenta, quibus Deum eſſe probare eſt animus, his addantur. Quamobrem hoc capite oſtendam, nihil nobis obeſſe, quod ex ſolo naturali lumine, nullum inter virtutem & vitium ſit diſcrimen. Iſtud autem revera ita ſeſe habere per ſe patet, ſi ex eo Dei cognitio hauriri nequit. Quod non poſſe fieri, ex iis quæ cap. præcedenti, nec non capp. 7 & 8 diſputata ſunt, cuivis ea juſta lance ponderanti, conſtiturum eſſe confido.

Ut autem accuratius totum negotium conficiam, oſtendam abſque divina revela-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

tione nullum eſſe virtutis & vitii diſcrimen, etiamſi nobis jam innotuiſſet eſſe Deum.

Virtus igitur & vitium, reſpectu Dei nihil aliud eſſe poteſt, quam religioſus Nu-minis cultus ſive ſervitium. Cum vero cultus ſive obſequium, aut miniſterium ſit quando quis mandata ſe potentioris, ſpe præmii, & ex metu pœnæ, ſi ejus manda-ta negligat, obſervat; patet, eum qui alteri miniſtrare debet, hęc tria neceſſari debere perſpecta habere, 1. quod is cui ſit miniſtraturus, ipſius miniſterium requirit 2. quid ab eo præſtari velit. 3. quibus conditionibus miniſterium ejus recipere velit videlicet quam remunerationem pro pręſtito ſervitio ſit daturus, & quo eum damn ſit affecturus, ſi in officio fuerit negligens. Deum gratis à nobis cultum exigere ve recipere nolle, ex univerſa Scriptura conſtat. Adeo ut, quamvis ex eo quod D creaturæ ſumus (quando id nobis conſtat) intelligere poſſimus nos ad ipſius obſequium eſſe obligatos, nullo tamen pacto poſſimus concipere, quibus actionibus ipſius gra-tiam demereri queamus, abſque propria ipſius revelatione, quam illis rebus ad qua in creatione nobis inclinationes indidit operam dando. Quæ omnia accuratius ex-pendemus.

Nemo eſt qui tria iſta, quę modo recenſuimus, mente percipiat, quin ſtatim in-telligere debeat, ea abſque divina revelatione (ex Sacræ Scripturæ dictamine, quo ex ſolo creationis jure, Deus ab homine cultum exigere nolit, abſque remuneratio-ne) nullo modo ſciri poſſe: quandoquidem ne quidem apud homines ſciri poſſit, nun quis ab aliquo velit ſibi miniſtrari, quibuſque actionibus, quibuſve conditionibu (quamdiu id non indicat) iſtud fieri velit.

Præſertim cum Deus noſtro miniſterio non indigeat, quemadmodum homines ho-minum miniſterio opus habent.

De præmio quidem id ſatis evidens eſt. Si enim Deus noſtro indigeret miniſterio tum conditiones cum ipſo ex compacto inire poſſemus. Nunc vero cum nullius indi-geat ope, neceſſario iſta tria ignoramus, niſi ea expreſſe indicet.

At vero creditur & urgetur, Deum naturaliter nobis indicaſſe, id eſt naturæ no-ſtræ notiones quaſdam indidiſſe, ex quibus colligere queamus, quid bonum & ma-lum, honeſtum & turpe, virtus & vitium ſit, in quibus cultus divinus conſiſtit. Ea nonnulli *prima Naturæ*, alii aliter appellant.

Quando vero ea ex ipſa Natura deducunt, neceſſario prius Dei exiſtentiam ex ea-dem oſtendere debent, quod etiam ſe pręſtitiſſe credunt. Cum autem nunc ex præ-cedentibus appareat, Dei exiſtentiam ex Naturæ lumine non cognoſci, ſequitur etiam nullam honeſti vel turpis, virtutis & vitii naturalem eſſe poſſe cognitionem. Vel ſi aliqua exinde petenda eſſet, eam nullam aliam eſſe poſſe, quam quod id turpe deberet exiſtimari, à qua natura alicujus abhorret, honeſtum vero ad quod naturali propenſione impellitur. Quod enim ipſa Natura nos jubet appetere, id ab ipſo Deo (ſuppoſita ejus cognitione) nobis injungi exiſtimandum eſt; & quod ea fugere nos adigit, id ab eo prohiberi. Quod cum ipſa Scriptura apprime convenit, quæ expreſſe docet, Deum nos bonos condidiſſe Gen. 1. 26, 31.

Objici-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Objicitur autem hic à nonnemine, multas in natura noſtra cupiditates per Adami lapſum, & ex eo naturæ noſtræ corruptionem, irrepſiſſe. Ego vero naturam noſtram corruptam eſſe, aut corrumpi poſſe planiſſime nego, nec quiſquam unquam oſtendere directe eſt conatus, naturam hominis eſſe corruptam. Videatur *Volkelii* liber 5. cap. 18 *de Vera Religione*, aliique *Authores*, qui eam validiſſimis rationibus refutaverunt.

Nec ipſa etiam peccandi conſuetudo, vel vitiorum exempla, naturam noſtram immutare queunt: nullus enim alia imitari vel factitare ſolet, quam ea ad quæ ipſius naturalis inclinatio propendet: quod quidem naturam confirmat, & ad abnegationem cupiditatum debiliorem reddit, nullo autem pacto in naturam adeo converti poteſt, ut per ſola exempla & conſuetudinem, inhærentes voluptates in ipſa generatione liberis communicentur.

Præterquam quod corruptio iſta naturæ, ex *Adami* peccato orta, & per generationem (ut ajunt) ad nos propagata, nihilominus naturalis noſtræ naturæ eſt conſtitutio, & neminem niſi Deum Authorem habere poteſt, qui Adami naturam, ob delictum iſtud penitus immutaverit atque corruperit, vel diabolo eam corrumpere conceſſerit, ut nullos niſi adeo corrupta natura prędites homines generare potuerit.

Ex quo patet nihil referre, ſive ſtatuant homines ab initio cum iſtis cupiditatibus eſſe creatos (quod nos exiſtimamus, ac propterea eas non eſſe malas, quamdiu Deus non expreſſe jubet eas abnegari vel refrænari) ſive per Adami lapſum ita naturaliter & neceſſario generari. Utroque enim modo cupiditates iſtæ naturaliter nobis inſunt, ac propterea naturaliter malæ non poſſunt eſſe. Ineſt naturæ noſtræ deſiderium cibi & potus delicatioris, item ad res Venereas, ad omnia corporis oblectamenta. Quid quæſo ex iſtis eſt quod ſit malum, niſi Deo placuiſſet præſcribere à nonnullis rebus abſtinentiam? Quod in ſpecie poſtmodum oſtendemus.

Si ratio qua Deus coli debeat, ex lumine naturali deduci poſſet ſub Novo Fœdere (cujus pręcipua & propria præcepta rationi naturali ſua natura ſunt contraria, & nullam aliam ob cauſam juſta ſunt & æqua, quam quia Deo placuit, earum obſervationem præmio vitæ æternæ remunerari) tum etiam ex eodem lumine præmium iſtud inveniri & excogitari poſſe deberet. Nec id tantum, ſed etiam impiorum poſt hanc vitam proprie dicta, & ſenſibus proprie percipienda pœna. Cum enim hæc ſint oppoſita, neceſſario ſequitur, ſi unum ex ratione naturali ſola cognoſci poteſt, etiam alterum ex eadem excogitari poſſe. Quod quam longe à vero abſit, cuivis eſt manifeſtum.

Quod vero nonnulli hic objiciunt, propterea vitam æternam ex naturali lumine cognoſci poſſe, quia nobis innatum eſt deſiderium nunquam moriendi, id plane nihil eſt.

Nam præterquam quod falſum ſit nobis tale deſiderium eſſe innatum, vel etiam ineſſe, deſiderium iſtud fruſtra nobis ineſſet: quia omnes morimur, & propterea ex eo contrarium neceſſario concludi deberet, nimirum non eſſe vitam ęternam. Adde quod vita æterna poſt mortem exſpectari debeat, ac propterea ex fruſtraneo nunquam moriendi deſiderio, minime deduci poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Accedit quod ipſa Sacra Pagina abunde teſtetur, vitam æternam nemini antequam per Chriſtum eſſet revelata (iis ſolis qui præcepta ipſius per fidem in ipſum obſervant promiſſam) cognitam fuiſſe. Vide Rom. 16. 25, 26. 1 Cor. 2. 9, 10. Col. 1. 25, 26. 2 Tim. 1. 9, 10. Tit. 1. 2, 3. 1 Joh. 1. 1, 2. Quibus adde Rom. 10. 14, 15. XI. 34. 1 Cor. 2. 16. Ex quibus locis apparet, nullo modo ſtatui poſſe, præmium vitæ æternæ, ex naturali ratione poſſe cognoſci.

Prȩſertim cum fides in Jeſum Chriſtum, præcipua & quaſi unica præmium iſtud conſequendi conditio ſit: quæ ſane non ex notionibus, ſed ex ſolo teſtimonio Apoſtolorum hauriri debet & poteſt.

Cum autem conditio iſta præcipue requirat, ut innatas cupiditates abnegemus (quas tamen naturaliter bonas eſſe ſuperius oſtendimus) promtum eſt inde concludere, nec vitam æternam, nec media ad eam acquirendum, ex ratione naturali hauriri poſſe. Cupiditates vero iſtas abnegandas eſſe patet ex Matth. 5. 22, 28, 39, 43, 44. Rom. 1. 29, 30, 31. VI. 6. VII. 7. VIII. 5, 6, 7. 1 Cor. 1. 17, 20. II. 6. VI. 9, 18. Gal. 5. 17, 19, 20, 21 & alibi paſſim.

Et ipſa etiam Dei præcepta, ſive rationem eum colendi, aut, quod eodem redit, virtutis & vitii Chriſtiani notitiam, imo ne quidem Moſaici (quam & quod Naturam homines docere vulgo creditur) non niſi per revelationem innoteſcere, patet ex loco Rom. 7. 7, *non noveram peccatum, niſi per Legem: quin & concupiſcentiam non ſciviſſem* [eſſe peccatum] *niſi Lex dixiſſet, non concupiſces.* Cui parallelus eſt locus Rom. 3. 20, *per Legem eſt agnitio peccati.* Item cap. 5. 13, *peccatum non imputatur, nulla lege exiſtente.* Quæ loca ſententiam noſtram adeo manifeſte continent, ut Soli lumen prȩferre viderer, ſi quid ad iſtud oſtendendum præterea addere vellem.

Idem ex verbis Rom. 10. 13, 14, 15, 16, 17 confirmatur, quæ hæc ſunt: *Quicunque enim invocaverit nomen Domini, ſalvabitur. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo vero credent* [in eum] *de quo nihil* N.B. *audiverunt? Et quomodo audient, abſque prædicante? Et quomodo prædicabunt niſi mittantur? Quemadmodum ſcriptum eſt, quam jucundi ſunt pedes eorum qui pacem annunciant, qui bona nunciant. Non omnes autem Euangelio obediverunt: Eſaias enim dicit; Domine quis credidit auditui noſtro. Fides igitur eſt ex auditu, auditus autem ex verbo Dei.* Per *invocationem nominis Dei* non preces tantum, ſed totus cultus Dei, ex conſuetudine Sacræ Scripturæ intelligi debet. Vide Gen. 12. 8. XIII. 4. Pſal. 14. 4. LXXIX. 6. Eſa. 41. 25. Act. 2. 21. IX. 14, 21. XXII. 16. 1 Cor. 1. 2. 2 Tim. 2. 22 coll. cum verſu 19, & alibi ſæpe. Quod & verba verſus 16 loci citati confirmant. Cum igitur hic affirmetur, neminem in Deum poſſe credere (ſub qua fide, propter ea quæ de voce invocationis dicta ſunt, coll. cum Jac. 2. 20, præceptorum ejus obſervatio comprehenditur) niſi Deus per ſuos legatos, ad hoc expreſſe cum miraculis miſſos, ſe ipſum nobis revelet, ſpero neminem ſani judicii impoſterum contrariam ſententiam amplecti amplius velle. Si enim abſque divina revelatione nemo in Deum credit, nec eum invocare, id eſt ei obedire poteſt, certe nullam ex ſolo naturali lumine cognitionem religionis adipiſci quiſquam

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quam poteſt. Confer ea quæ de loco ad Hebr. XI. 6 ſuperius innuimus.

Quod enim *Quakeri*, inepto effugio, verba hæc de interna quam ſomniant prędicatione, accipere volunt, idque ex eo confirmare ſtudent, quia Eſa. 52. 7 (ex quo loco verba verſus 15 poſteriora deſumta eſſe videntur) in ſingulari tantum de uno qui pacem & bona annunciat, Propheta loquitur; id merum tantum eſt effugium.

Nam præterquam quod Apoſtolus verſu 8, *verbum* illud (ῥῆμα non λόγος) quod *in ore & in corde tuo*, id eſt Chriſtiani hominis, eſſe dicit, hoc eſſe affirmat quod *nos prædicamus*, quod videlicet Apoſtoli annunciabant, in plurali numero (Illi enim expreſſe prædicabant, quod Chriſtus Jeſus homo, Dei nomine Novum Fœdus annunciaverat, quod propter iſtam annunciationem non modo multas perſecutiones, ſed & mortem truculentam ſuſtinuerat, quod ex morte reſuſcitatus, in cælum erat adſumtus, eaque omnia literaliter & proprie loquendo &c) Præterquam, inquam, quod hoc expreſſe dicat, *Eſaiæ* verba (quæ vel de *Eſaia*, vel ipſo Deo per *Eſaiam* aliosque Prophetas loquente accipi debent) pacis annunciationem, ſublimiori ſenſu in Apoſtolos quadrare oſtendunt. Cum enim Apoſtolus expreſſe de multis pacis annunciatoribus loquatur, profecto non exiſtimabunt *Quakeri*, ipſum mentiri. Et certum eſt duodecim fuiſſe Apoſtolos, qui per totum orbem Euangelium annunciaverunt, & homines ad cognitionem Dei, Patris Domini noſtri Jeſu Chriſti, perduxerunt.

Ex quibus omnibus ſatis conſtare exiſtimo, quam parum ſit veriſimile, cognitionem vitæ æternæ nobis eſſe innatam, vel ex naturali lumine poſſe deduci, una cum præceptorum Dei, ſive virtutum & vitiorum cognitione. In quo conſcientiam omnium Chriſtianorum appello, quos ipſa experientia docet, quam difficile ſit, ſpem vitæ æternæ in corde noſtro cum aliquo fervore excitare, idque nunc, cum per Dei prolixam revelationem adeo luculenter eſt annunciata & confirmata: imo poſtquam ejus aliquam quaſi prægustationem, per Divinum Spiritum in cordibus noſtris ſumus experti. Quam facile labimur! quam facile & libenter per cupiditates nobis innatas ea negligimus, quæ ad vitam æternam conſequendum proficua ſunt. Quam facile, quam libenter credimus eſſe licita, quæ Scriptura illicita eſſe pronunciat! Quam difficulter nobis perſuaderi ſinimus, ea quæ Lex Euangelica præſcribit, ſolam eſſe viam ad ſalutem æternam adipiſcendum. Si vitæ æternæ cognitio, & ad eam conſequendam media, naturali lumine cognita eſſent, eorumque obſervatio naturæ noſtræ non eſſet contraria, quam nullo negotio ea omnibus poſſent perſuaderi! quam proclives ad eorundem obſervationem eſſemus! quantum ſtudium & alacritatem in iſtis ubique cerneremus! Quemadmodum in congeſtione divitiarum, in voluptatum carnalium ſectatione, in adſpiratione ad gloriam, & cæteris ad quas naturæ inſtinctu ferimur rebus, omne ſtudium paſſim collocari videmus. Non opus eſt homines ad iſta tanto conatu, tot monitis incitare. Quamvis enim propter iſta nonnunquam ardua & periculoſa adiri debent, facile tamen & cum voluptate iſta ſuſcipiuntur: contra quam in religionis negotio uſu venit.

Hæc quamvis abunde ſufficiant, ad oſtendendum, nihil citra divinam revelationem

nem eſſe peccatum vel virtutem, lubet tamen iſta ſpecialius oſtendere, non modo e S.Scriptura, ſed ex ipſa etiam naturali ratione. Quem in finem prçſupponam, div tiarum & mundanarum voluptatum ſectationem & uſum in Veteri Fœdere & ant non licitam modo, ſed etiam inter Dei benedictiones numeratam, & à Deo pi promiſſam & conceſſam eſſe. Vide Gen. 12. 2. XIII. 2, 5. XXIV. 35. XXVI. 1 14. XXVIII. 13, 14. XXXII. 10. XXXIX. 2, 4, 5. XLI. 40, 50, 51, 52. XLIII. 3 XLV. 9, 13. XLVIII. 1, 2, 3, 4, 5, 6. Deut. 28. a verſu 2 ad 15. 1 Reg. 3. 13 col cum 1 Sam. 25. 6. Pſal. 8. 5, 6, 7, 8, 9, 10. XVI. 5, 6. XXI. 2, 3, 4, 5, 6, 7. XXII 5 & alibi paſſim. Chriſtianam religionem contraria prçcipere, & piis promittere no minus clarum eſt. Vide Matth. 5. 2 &c. VI. 19, 20, 21. Luc. 16. 25. Rom. 6. 1 XIII. 14. Tit. 2. 12. 1 Pet. 2. 11. 1 Joh. 2. 16 &c. Quibus addantur præcepta d malis non reſiſtendo, de Dei & Chriſtianorum hoſtibus diligendis & ſimilia Matth. 38, 39, &c, 43, 44 & alibi.

Si ergo lumen naturale nos doceret ea eſſe obſervanda, quç Chriſtus citatis loci præcipit, mirum eſſet & plane abſurdum, quod Deus ante & ſub Legem homines a tantam ſanctitatem non perduxiſſet, nec eam exegiſſet, quantam homo abſque ull revelatione divina excogitare poteſt. Prçſertim cum Deus præſtantiam Legis Moſai cæ præ legibus gentilium adeo extollat Deut. 4. 2, 6, 7, 8.

Præterea, ſi pietatis officia ſpecialia, ex lumine naturali cognita forent, tum ne ceſſario fundamentum aliquod cognitum vel innatum eſſe deberet, ex quo deduci de beant. Iſtud vero à nonnullis ſtatuitur inſtinctus naturalis, ab aliis Dei Sanctitas, al aliis Dei Dominium ſive potentia.

Quod ad inſtinctum naturalem attinet, fateor nonnullos naturaliter ad aliis bene faciendum eſſe pronos, non autem omnibus hominibus, ſed aliquibus tantum, ne etiam quavis occaſione, ſed certis tantum rebus & occaſionibus. At iſta non poteſt eſſe norma actionum humanarum, cum alii alios habeant inſtinctus, videlicet ut the ſauros colligant, ut nemini niſi familiæ ſuæ benefaciant: omnibus autem inſtinctus ineſt, ut ex ſuo arbitrio vivant, inimicos infeſtent, aliorum famam lædant, aliis imperitent: imo nihil fere eſt, nec ullum flagitium, ad quod natura multorum hominum, naturali inſtinctu non feratur. Ex quo patet inſtinctum iſtum normam pietatis eſſe non poſſe.

Nec magis Dei ſanctitas actionum noſtrarum norma poteſt haberi, primo quia Deus nihil agit, niſi ex inſtinctu ſuæ naturæ. Nec quidquam in eo ſanctum eſſe poteſt, niſi quia Ipſius natura hoc vel illud appetit; & quicquid appetit, id ſanctum eſt. Si ergo Dei actiones & attributa nobis ſint cognita, ea ex hac hypotheſi nobis actionum norma eſſe debent. Cum ergo Scriptura doceat, Deum honorem ſibi debitum nemini concedere velle; eum inimicos & contemptores ſui contumaces ulciſci; dominium in omnia ſtudioſe tueri; in ſumma lætitia & gaudiis degere, eaque ſibi ex omnibus rebus, naturæ ſuæ gratis & jucundis quærere; nulla re indigere, ſed omnia poſſidere; impios odio habere, ulciſci, occidere; bonos frequenter affligere,

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

t meliores evadant; hominibus omnia ſe invicem lædendi inſtrumenta & deſiderium præbere, & multa ſimilia: quivis videt Dei Sanctitatem non poſſe normam eſſe norarum actionum.

Alia præterea officia, quibus pacem inter homines conſervari vult, qualia ſunt umilitas & animi demiſſio, malorum & injurię toleratio, quando inimicus non reſiſcit, in perſecutionibus & rebus adverſis patientia & conſtantia, quibus adde fidem, ręces, jejunia, reverentiam & ſimilia, in Deum non cadunt. Quocirca Deus ſua anctitate nos doceret, nos iſtis rebus non debere eſſe ſubjectos, quando eas devitare lla ratione poſſumus.

Si Dominium ſolum ſumamus, tum nihil poterit eſſe juſtum, bonum vel ęquum, iſi id tantum, & nullam aliam ob cauſam, quam quia Deus iſta præcipit, quæ noſtra ſt ſententia. (exiſtimo enim nihil eſſe potuiſſe, quicquid tandem ſit (modo Dei naurę non ſit contrarium ut talia fiant, & non abſque ipſius contumelia non fieri queant) uod Deus à nobis exigere non potuiſſet, & quod non foret ſanctum ſi exigeret, anequam per Jeſum Chriſtum publice declaraviſſet, ſe poſt iſtam legem, nullam aliam ominibus præſcripturum. Quemadmodum etiam ante Legis Euangelicæ promulationem multa conceſſiſſe & injunxiſſe eum exiſtimo, quæ nunc abſque peccato, imo on niſi ſub æternæ condemnationis pœna, committi poſſunt. Quod in ſequentibus larius adhuc pateſcet.

Examinemus itaque pręcipuas Sanctitatis partes, an ſua natura aliquid ſanctitais, citra Dei mandatum habeant. Quem in finem ex ſola naturali ratione hæc quęſtio ſſet definienda. Et propterea cognitio Dei non quatenus ex revelatione, ſed ex lumie rationis ſolo oritur, eſſet conſideranda. Quod tamen facere non poſſumus, quia ic Chriſtianæ Religionis partes conſiderare non poſſemus. Itaque mixtim omnia tractabimus, prout ſeſe offeret occaſio.

Cum autem fides in Chriſtum, quatenus voluntatis Divinæ fuit interpres, & propterea poſt plurimas perſecutiones interfectus eſt, ex morte reſuſcitatus, in cœlos ad mperium Divinum evectus, & exinde Spiritum Sanctum in Apoſtolos demiſit, cujus irtute omnis generis miracula, qualia ipſe in terris exhibuerat, fecerunt, ſub rationis naturalis vel notionum conſequentias non cadat; hæcque fides præcipuum ſit religionis ſive ſanctitatis caput, jam tota cauſa confecta cenſeri poteſt.

Hinc manifeſtum evadit, grati animi virtutem, ex ratione naturali nec definiri nec exerceri poſſe erga Deum. Cum enim ejus fundamentum ſit beneficia divina cognita habere, præcipua autem beneficia Deus per Chriſtum exhibuerit, apparet ea ex ratione naturali non poſſe ſciri vel æſtimari. Quod & ipſa Sacra Scriptura Joh. 3. 16. Epheſ. 1. 6, 7 & ſeqq. 18, 19, 20. II. 13. III. 18, 19 & ſeqq. paſſimque alibi confirmat. Quemadmodum etiam omnes actiones propter fidem in Chriſtum Deo placere dicuntur, cujus reſpectu tantum Sanctę habentur Rom. 1. 8. VIII. 2. XIII. 14. XV. 16. 1 Cor. 1. 30. VIII. 35. XV. 22, 24. 2 Cor. 1. 21. II. 17. IV. II. V. 14, 17. X. 5, 7. XI. 23. Gal. 4. 19. VI. 6. Epheſ. 2. 10, 21. III. 9, 17, 21. IV. 15, 21, 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

15, 21, 22. v. 8, 10, 20. vi. 1, 6, 9, 10. Philip. i. 19, 20, 21. ii. 1, 5, 19, 21, 2
29, 30. iii. 1, 7, 8. iv. 1, 10. Coloſſ. i. 28. ii. 8. iii. 11, 13, 17, 18, 23, 2
1 Theſſal. 3. 2. v. 18. 1 Tim. i. 14. iv. 10. ii. 7. 2 Tim. i. 13. ii. 3, 19. ii
12. Philem. 6. Hebr. 13. 21. 1 Petr. i. 8. ii. 5. iv. 1, 11, 14, 16. 1 Joh. 2. 24
ubique fere in Novo Fœdere. Gratitudo autem quam ratio naturalis exigere poſſe nulla niſi corporalia beneficia reſpicere valeret. Ea vero cum vix beneficiorum nomine in Novo Fœdere veniant, iſtum in animo erga Deum fervorem non permoven qui ei acceptus eſt. Et quamvis in plerisque hominibus majus gaudium excitent, amorem in Deum ferventiorem, quam ſpiritualia ipſius beneficia, prȩſertim divitia & oblectamenta, quibus per illas frui poſſumus, iſta tamen Deo minime placere po ſunt, cum animum arguant qui tantum rebus carnalibus, non vero illis quæ longe ſun excellentiores afficitur.

Idem de fide & fiducia in Deum, deque ſpe & charitate dicendum eſt. Cum enin iſtæ virtutes in rebus adverſis & perſecutionibus præcipue locum habeant, quas no ratio naturalis, ſed ſola fides in Chriſtum ad ſalutem conducere & pertinere poſſe do cet, perſpicuum eſt eas ex ratione naturali non poſſe deduci. Non quod iſti toleratio ni ſanctitas aliqua per ſe inſit, ſed quod earum toleratio animum conſtantem, & maxi ma in Deum fiducia præditum arguat ex Dei beneplacito. Sub Veteri enim Fœ dere fiducia in Deum maxime oſtendebatur, quod hoſtes adoriri quis auderet, divin auxilii ſpe fretus; ſub Novo vero, quod quævis atrocia, ab hoſtibus ſuſtinere, e vi externa ſive corporali non reſiſtendo, ſpe præmii vitæ æternæ poſt hanc vitam, no recuſemus: quod opes quas præter neceſſarium victum poſſidemus, in pauperes di ſtribuere, ſpe promiſſi, quod in futurum Deus nobis de neceſſariis ſit proſpecturus & ſi nos pauperes eſſe ſinat, in futura vita remuneraturus ſit, audeamus. Quæ i principio Mennonitarum erat opinio & vita, cujus nunc vix umbram retinen (quemadmodum prophetandi libertatis pro omnibus Chriſtianis, propter cujus pro feſſionem & exercitium ſæva olim ſuſtinuerunt, ne umbram quidem nunc poſſident Preces ſimiliter cum dona ſpiritualia præcipue reſpiciant, quæ ſola ratio humana non novit, ex ea non fluunt, præter illas, quibus corporalia beneficia petimus: quod etiam apud Deum non multum valet.

De reliquis virtutibus quȩ Deum ſpectant, quales ſunt timor, honor, præconia charitas &c, nihil opus eſt adjicere, cum eadem in iſtis locum habeant. Quare ad officia erga proximum pergamus. Ea autem etiam conſiderabimus non quatenus Deus ea expreſſe præſcripſit, ſed tantum quatenus ſola humana ratio ea exigit.

Harum primam *juſtitiam* faciemus, quam omnes volunt naturalem rationem exigere. Sentiunt enim frequenter ex aliorum injuria non leve damnum; ex quo cum tædium percipiant, optant ut nemo ſibi injuriam faciat. Iſtud tamen tædium non poteſt eſſe fundamentum ex quo colligere liceat, neminem injuria eſſe afficiendum, quatenus ad divinum cultum pertinet. Primo quia iſta conſideratio doloris aut tædii nos ipſos, non Deum reſpicit. Deinde quia frequenter ex injuria qua alios affi-
cimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

cimus, ingens lucrum & voluptatem percipimus: quæ idcirco æquali jure eam commendant.

Si quis autem ex Dei natura juſtitiam commendari putat, is primo conſideret, nobis ex Natura non innoteſcere, Deum neminem injuria afficere. Si enim ea eſt, quando aliquem lædimus, qui id non eſt promeritus, quid infantes in Deum peccaverunt, & beſtiolæ plurimæ? qui tamen adeo frequenter tot cruciatus ſuſtinent, quique non niſi à Deo ipſis infliguntur. Nec licet hic peccatum originale (quod nonnulli confingunt) objicere: cum ejus ex lumine naturali nulla notitia eſſe poſſit.

Et quamvis naturali lumine nulla in Deo injuſtitia cognoſci poſſet, non tamen inde ſequeretur, nos ſemper juſtos eſſe debere, cum non eadem noſtri, quæ Dei eſt, ſit ratio: Deus enim nunquam ab alio lædi vel damno affici poteſt. Quocirca non opus habet illud reſarcire, quemadmodum nos, qui niſi alios injuria afficeremus, ad paupertatem & miſerias frequenter redigeremur.

Adde, ſi juſtitia ſua natura eſſet ſancta, tum Deus nunquam alicui poſſet injungere, ut injuſtitiam exerceret. Nunc autem videmus, eum non modo eam expreſſe permiſiſſe, ſed etiam præcepiſſe ſuis, ut aliorum bona diriperent. Vide Exod. 3. 22, 23. XI. 2, 3. XII. 36, 37. Deut. 20. 14, 15. Num. 33. 51, 52, 53 &c. Si dicas tum non eſſe injuſtitiam, quando Deus præcipit, vel expreſſe concedit, ut quis alterius bona rapiat, reſpondeo iſtud ipſum eſſe quod volebam: videlicet nullam eſſe injuſtitiam, niſi Deus expreſſe prohibeat, aliena bona nunquam, contra ipſius conſenſum capere. Cum enim Dei ſint omnia bona, licet ipſi ea dare cui vult, & poſſeſſoribus eripere. Adeo ut naturaliter quidem injuſtitia ſit, ſi quis alterius bona capiat; ſed iſtud non eſt peccatum reſpectu Dei, niſi expreſſe prohibeat facere. Quod vero ad Rempublicam attinet, ſi ejus tranquillitas requirit, & quis ſeſe obſtrinxit, ne alterius bona per vim vel dolum acquiret, an iſtud naturaliter licitum ſit nec ne, de eo nunc non agimus; ſed de eo tantum, an ex ſolo rationis lumine intelligi poſſit, juſtitiam reſpectu divini cultus, ſua natura eſſe bonam ſive virtutem, & injuſtitiam peccatum, adeo ut Divinæ naturæ contrarium eſſet, ei contraria præcipere vel permittere.

De *Davide* Scriptura adeo inſigne teſtimonium perhibet 1 Sam. 13. 14. 1 Reg. 15. 5. 2 Chron. 8. 14. Is extrema neceſſitate adactus 1 Sam. 27. 1 ad *Achis* Regem *Philiſtæorum*, *Saulis* perfidiam vitans, aufugit; à quo humaniſſime atque honorifice exceptus eſt verſu 5, 6. Ibi *David* commoratus, quia *Philiſtæi* Dei erant hoſtes, ſumma Regem ejuſque ſubditos injuria afficit, civitates eorum ſubvertens, incolis internecione deletis.

Ex dictis apparet eandem eſſe rationem æquitatis & fidei, ſive fidelitatis & ſimilium, cum ſub juſtitia omnes comprehendantur.

Videamus igitur de charitate: de qua, ſive eam ex inſtinctu naturali, ſive ex Dei Sanctitate deducas, apparet eam non ad omnes homines, præſertim impios & nos lædentes, extendi debere, prout Chriſtiana religio exigit Matth. 5. 44, 45, 46, 47, 48

 & alibi:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

& alibi. Nobis ineſt naturalis affectus inimicos lædendi, non diligendi; nec aliu naturaliter in Deo concipere poſſumus. Hoſtes diligere, iiſque benefacere, cont naturalem rationem pugnat.

Quod enim nonnulli putant, Deum inimicis ſuis benefacere, eoſque diligere, idqu ex eo apparere, quia eos non occidit, & terrę proventum ipſis largitur. Id ex natu rali ratione minime patet. Quod enim non occiduntur e veſtigio, id ipſa Scriptu teſtatur, aliquando ex odio fieri Exod. 9. 16. Rom. 9. 17. Vel ſi ſtatuendum e Deum impios diligere, tum profecto ex naturali lumine concludendum eſſet, Deu impietatem non odiſſe.

Præterea, ſi Deus impios diligeret (quod naturaliter non poteſt concipi nec cred nos tamen propterea id non teneremur facere, propter diſparem noſtrę à Dei co ditione: ille enim ab impiis vel inimicis lædi nequit, nec omnino perdi.

Adde ſi Deo ex lumine naturali omnia quæ hominibus accidunt, adſcribi poſſen nos eos lædere & interficere poſſumus: quia impii & inimici noſtri frequenter miſ randum in modum à Deo, ſive per homines, vel per morbos, cruciantur & truc dantur.

Si regeras, cruciatus iſtos ex amore illis à Deo poſſe infligi, ut mores in meli mutarent. Id, quamvis ſolo lumine naturali minime intelligi poſſit, à nobis ob ea dem cauſam fieri poſſet. Adeo ut nulla plane naturalis ratio ſuadeat, inimicos ama iiſve benefacere; multò minus, ne vim vi repellamus, quod Dominus Jeſus proh buit Matth. 5. 39 & ſeqq.

Alia autem proferri poſſet ratio, cur inimicos diligere debeamus, quod videlice negligentia vel impietas alterius, non poſſit nos ab officio noſtro liberare, id eſt, quan do alius peccat, id nobis peccandi licentiam non poſſe facere.

Ad quam reſpondeo, quæſtionem nunc eſſe quid nos teneamur facere impiis & hoſtibus: non enim eadem utriſque debemus, quæ bonis & amicis: & propterea quando hoſtes lædimus vel ulciſcimur, nihil committimus contra id quod facere te nemur. Atque hactenus de charitate. Singulas autem virtutes & vitia ſi ita expende remus, minis longum foret, neque etiam utile, præcipua igitur tractemus, & qu maxime à ratione ſuaderi videntur: quæ ſi à ratione aliena eſſe demonſtrari poſſit, d reliquis facile erit judicium.

Miſericordiam itque nunc ſumamus, quæ eſt dolor ob aliena mala, cum affect ea ſublevandi conjuncta. Hæc etiam aliquibus hominibus eſt innata, aliis non item ſed tantum erga amicos, vel eos ſaltem qui nos nunquam damno affecerunt abſqu pœnitentia. Sed Chriſtiana religio eam omnibus exhiberi vult, & quidem eouſque ut omnia quibus carere poſſumus, in eorum auxilium adhibeamus 2 Cor. 8. 13 1 Tim. 6. 7, 8, 9, 17, 18, 19 coll. cum Matth. 5. 44 & ſeqq. vi. 19 &c. Deus ne aliorum malis condolet, nec quidquam iſtarum rerum aliis largitur, quæ ad ipſum beatum reddendum requiruntur: nihil etiam aliis largitur, quod ſuum non maneat cum omnia entia ipſius ſint propria: & præterea hoſtes ſuos frequenter punit, hor

rendi

rendis cruciatibus afficit, & interficit. Adeoque ſi ipſius actiones nobis ſolo Naturæ ductu innoteſcerent, nequaquam ejus ſanctitas doceret id, quod leges, ex ſolo jure dominii nobis per Chriſtum præſcriptæ, poſtulant. Inſtinctus autem qui nobis à Natura ineſt, valde diverſus eſt, nec ullo modo ſe eouſque extendit, quo Lex Chriſtiana. Natura enim maximæ hominum partis, inimicorum malis lætatur: abſit ut ea omnia quibus carere poſſumus, in eos diſtribuere ſuaderet. Nec ullus eorum, quos Scriptura teſtatur ante confirmatum Fœdus Euangelicum pios fuiſſe, unquam aliter fecit: omnes autem, quando potuerunt, inimicos ſuos ulti ſunt. Imo *David* horrenda ipſis imprecatur Pſal. 12.4. XXVIII. 3, 4, 5. LXIX. 21, 22, 23, 24, 25 &c. LXXI. 13. CXXXVII. 7, 8, 9. Quod & Deus ipſe facit Jer. 5. 29. IX. 8, 9 & alibi. Et quamvis nunquam deſint pauperes & miſeri, pii tamen iſti non modo ditiſſimi fuerunt, ſed etiam in maximis deliciis vixerunt.

Ex quo patet quam longe abſit, ut Natura nos docere poſſet, quod non liceat divitias colligere, ſive quod eas in pauperes diſtribuere teneamur Matth. 6. 19 &c. 1 Tim. 6. 7, 8 &c. Cum contrarium nobis ſuadeant naturales affectus & Dei Sanctitas. Si quis itaque per naturalem inſtinctum ad avaritiam eſt proclivis, nihil contra rationem peccat: cum ipſe Deus omnia poſſideat, & poſſidere ſemper velit, iiſque quantum natura ſua concedit, cum ſumma voluptate frui. Si ergo liberales eſſe debemus, id naturaliter nunquam erit faciendum, niſi quando ex largitione gloriam, vel aliam rem delectabilem naturæ noſtræ acquirimus, quæ id quod perdimus æquabit. Id enim natura noſtra poſtulat, & Deus idem facit.

Temperantia ſive *continentia*, non in eſculentis & potulentis modo, ſed etiam rebus venereis conſiſtit. In iſtis Dei Sanctitas nullum nobis exemplum præbet, cum nullo cibo indigeat, nec generatione: quocirca hic nulla lex eſſe poteſt prĕter naturæ noſtræ ſtimulum, vel Dei voluntatem & dominium, quod limites iſtis affectibus prĕſcribat. Natura noſtra nullas limites agnoſcit, niſi quando deſiderium iſtarum rerum deficit. Nihil autem in iſtis pro peccato poſſe haberi, niſi quod Deus prohibet, ex eo eſt perſpicuum, quod initio creationis homines inceſta matrimonia & concubitus inire Deus voluerit, & ſcortationem viris ſub Lege permiſerit, que omnia in Novo Fœdere ſub æternæ condemnationis pœna prohibita ſunt. Et cum Chriſtus pro adulterio habeat, ea quĕ ſub V. Fœdere erant licita, qualia ſunt, ut quis uxore dimiſſa, quæ non commiſit adulterium, vel etiam ut vir alias ſuperinducat uxores, aut cum ſcortis aliiſve puellis, dum uxorem habet commiſceatur, apparet ipſum adulterium non niſi propter Dei præceptum pro peccato haberi poſſe.

Nec hic in inceſtis matrimoniis à neceſſitate excuſatio peti poteſt: Deus enim, ſi iſta ſua natura forent illicita, plures homines ex terra producere potuit, ut ſorores in matrimonium ducere non fuerit neceſſarium. Nec deſierunt tam cito iſta connubia, ſed ab ipſo Moſis patre Exod. 6. 19 & Abrahamo Gen. 20. 12 inita ſunt.

Ipſa etiam *ſcortatio*, & conjugum concubinarumque pluralitas in & ante Legem, non permiſſa modo, ſed etiam conceſſa fuit & in piis tolerata, ſcortatio verò etiam ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

quando injuncta. Vide Gen. 16. 2 &c. XXIX. 23, 28, 29 &c. 2 Sam. 5. 13 coll. cu[…] 1 Reg. 15. 5. Deut. 21. 15. Levit. 18. 17, 18. Hoſ. 1. 2, 3 &c.

Veracitas etiam non ſemper eſt bona, nec mendacium malum: cum Sancti ante [&] ſub Lege non modo vera non ſemper protulerint, ſed etiam Deo annuente aliquand[o] ſint mentiti. Vide Gen. 20. 2, 12. Exod. 1. 19, 20, 21. 1 Sam. 16. 1, 2, 4, 5. XXVII 8, 9, 10, 11. XXIX. 8. 1 Reg. 22. 15 coll. cum verſu 16, 17. Nec iſtud à ratione na[-]turali eſt alienum, cum natura noſtra pericula horreat, & ea ſi abſque mendacio vi[-]tari nequeant, vitare licet. Cum vero Deus nullis periculis ſit ſubjectus, & nobi[s] plane in eo diſſimilis, non poteſt ejus Sanctitas morum nobis regulam exhibere.

Ex quo patet, ſi ſolo naturalis luminis ductu vivendum eſſet, minime eſſe illici[-]tum, ſi mors vel horrendi cruciatus eſſent ſubeundi, Deum ore tantum blaſphe[-]mare, vel ejus fidem abnegare verbis & ore, corde enim ut id fiat, nemo nos coger[e] poteſt, nec etiam an fiat ſcire, modo mentiri velimus. Cum enim Deo cogitatio[-]nes noſtræ cognitæ ſint, non poteſt ægre ferre, quod ſimulemus nos ipſi maledicere ut adeo atrocia, & per innatam inclinationem (qua ipſa nobis perſuaderi voluiſſe vi[-]deri poſſit, eorum per quæcunque media fugam) naturę noſtrę intoleranda devite[-]mus, quando non expreſſe præcepit ut ea iſto caſu ſuſtineamus: novit enim nos cor[-]de ipſi benedicere, & ex animo ipſum honorare. Nullus pater id in filio ægre ferret ut vitam iſtiuſmodi ſimulatione redimat.

Ex quibus omnibus exiſtimo liquido conſtare, nullas actiones, reſpectu cultus di[-]vini, ſolo rationis naturalis ductu, pro peccatis haberi poſſe, præter illas à quibu[s] vel omnium hominum natura abhorret, vel in certis hominibus illas, quæ ipſorum naturæ ſunt contrariæ. Ex quo jam evidenter ſequitur, actiones noſtras vel ſancta[s] vel impias eſſe, ſi eas Deus injungat vel prohibeat, nec ullam aliam ejus rei eſſe cauſam.

Atque exinde concludi poteſt, gradus ſanctitatis in eo ſolo conſiſtere, quod actio[-]nes, quas Deus exigit, vel omiſſiones & abſtinentia à certis rebus quas præſcribit, difficiles ſint vel faciles prę́ſtitu. Quo enim magis ſunt ardua quę Deus injungit, eo efficaciorem fidem, majorem fiduciam & amorem facientis arguunt.

Ex quo conſequitur, quod, quemadmodum Deus per Chriſtum multa prę́ſcripſit hominibus, illis quę in Veteri Fœdere injunxerat contraria, ita, ſi voluiſſet, nobis per Chriſtum alia potuiſſe injungere, illis plane contraria quæ nunc uſque ad mundi interitum præſcripſit.

Quapropter iſta diſtinctio, quam ſibi homines finxerunt, inter ceremonialia, mo[-]ralia & politica præcepta (quæ poſtrema ſub Novo Fœdere nulla dedit, quia Magiſtra[-]tus ad Eccleſiam Chriſtianam non neceſſario pertinet, quemadmodum ſub Vetere) quaſi moralia ſola ſint iſta quæ res ſua natura bonas præſcribunt, cæteræ tantum à Dei arbitrio dependeant, & leges poſitivæ appellandæ ſint, minime eſt admittenda. Ut[-]pote quæ nec in Scriptura, nec in ratione ullum fundamentum habeat. Nihil enim prohibet, omnia iſta præcepta moralia appellare, quia actiones, mores & co[-]

gitationes

gitationes noſtras certis circumſtantiis alligant, & limites eis præſcribant.

Videmus enim præcepta cæremonialia, quæ vocant, in Lege Moſis non minus ſeveriter, ſub capitali pœna, tranſgreſſoribus infligenda, injuncta eſſe quam cætera, imo quædam quæ pro moralibus habentur minus ſeveriter. Ita perjurio, quo quis depoſitum abnegaverit Exod. 22. 8, 9. Levit. 6. 2, 3, 4, 5, 6, 7, multo levior pœna ſtatuitur, quam ſi quis Sabbatum violaverit, vel cum menſtruata concubuerit ſciens Num. 15. 32. Levit. 20. 28. VII. 20, 27 & alibi.

Adeo ut merito ſtatuere poſſimus, Deum ante Novum Fœdus potuiſſe precipere, ut obedientiam & fiduciam noſtram oſtenderemus erga eum, rebus longe ab iis diverſis, & plane contrariis iis quas nunc precepit. Ut autem eum odio haberemus, ei non credamus, vel non amemus, & ſi quid ſimile eſt, id non videtur poſſe mandare, quia id ipſius naturæ maxime videtur adverſari. Sed quando à nobis coli vult, nihil intereſſe videtur, quibus actionibus id fiat, modo ſint iſtiuſmodi, ut eis fides, amor & obedientia noſtra erga Ipſum exprimi poſſit.

Sic olim Judæis mandavit, ut ſuam erga ipſum obedientiam & fiduciam oſtenderent, hoſtium longe ſe potentiorum excidio, eorumque abſque ulla miſericordia extirpatione & trucidatione Num. 33. 54. Deut. 20. 16, 17, 18: nec iſtud tantum, ſed proprium fratrem, matrem, uxorem, liberos & amicos, ad idololatriam eos incitantes, abſque ulla miſericordia occidere Deut. 13. 6, 7, 8, 9, 10. XVII. 2 &c. Chriſtianos vero idem præſtare voluit contrariis actionibus, patiendo videlicet, nec armis aut vi corporali, nos lædentibus, imo homicidis, & quidvis mali nobis inferentibus reſiſtendo. Quod cum naturæ noſtræ longe durius ſit, quam inimicos ulciſci, & in eo confidere Deum nobis auxiliaturum, multo major & præſtantior eſt Sanctitas.

Illos voluit obſervare ceremonias (quas vocant) ritibus aliarum Gentium contrarias, quo animi magis ab invicem alienarentur, atque tum ſperare Deum ipſis divitias & omnis generis voluptates conceſſurum. Chriſtianos contra vult omnes voluptates, naturæ non neceſſarias, una cum divitiis, earum incitamentis, abjicere & abnegare: nec tamen de futura paupertate eſſe ſollicitos, confidentes Deum ipſis de neceſſariis, quamvis omni ſubſidio deſtitutis, proſpecturum, & poſt hanc demum vitam obedientiæ præmium, poſt omnia adverſa tolerata, exſpectare. Quod profecto longe eſt difficilius, ac idcirco perfectior obedientia & fiducia.

Atque hinc perſpicuum eſt, errare eos, qui ſenſum præceptorum Chriſti ex naturæ dictamine metiri volunt (quo ipſo præceptorum Chriſti ſenſum fœdiſſime corruperunt, & in Ethicam & Theologiam Judaïcam & Gentilem planiſſime commutaverunt) & nihil aliud requiri, quam ut verborum ſenſus recte percipiatur. Nihil enim adeo abſurdum & naturæ noſtræ contrarium poteſt excogitari, modo Dei natura id ferat (quod enim quis ex animo Deo malediceret, vel ei nolit obtemperare & ſimilia, Dei naturæ contraria maximopere eſſe videntur) quod non potuerit ante Novi Fœderis promulgationem nobis injungere, quo de noſtra in ſe fiducia & charitate ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

perimentum capiat. V. G. ut Chriſtiani à matrimonio abſtineant, & ab omni concubitu cum mulieribus, ut ita naturam ſuam per aliquod tempus vexarent, vel contra, ut ſupra vires Naruræ ſuæ ſe perpetuis congreſſibus macerarent & perderent (iis omnibus videlicet vires ad id tolerandum neceſſarias ſuppeditando, quemadmodum nunc facit), vel ut omni cibo abſtinerent, & ſic fame vel ſiti ſeipſos necarent aut pauciſſimo, & ad vitam commode tranſigendam minime ſufficienti alimento contenti, corpus ſuum per aliquot menſes vel annos languore corrumperent, & vitam amitterent: vel contra, ut cibi & potus ad certum pondus immodica ingurgitatione dolores & morbos contraherent, & ſic miſere interirent, Ut ab omni precatione abſtinentes, & omnibus ſe periculis objicientes, auxilio Dei confiderent. Ut pauci numero immenſos exercitus aggrederentur, & ſpe auxilii divini regiones occupare tentarent. Ut liberos (quemadmodum Abrahamus fecit Jac. 2. 21) necarent, & in ipſius honorem cremarent. Seipſos multis vel mutuis vulneribus conficerent. Et ſi quid crudelius excogitari poſſit, quo homnines oſtendere poſſent, ſe in Deum confidere, eum ex animo diligere, & quidquid tandem illis injungat alacri animo exequi velle.

Si hæc recte omnes intelligerent, & ad obſequium Dei in omnibus eſſent parati; certe non ita diſputarent, quod iniquum ſit non licere colligere, vel nolle dimittere divitias, deliciis carnalibus renunciare, vim vi non repellere, vitam triſtam & carni ingratam, in abnegatione carnalium voluptatum tranſigere; vel corpus & animum abſque neceſſitate non recreare cibo, veſtitu ſplendido, magnifica habitatione, hortis, equis, rhedis, ſuppellectili, picturis, & omnibus quæ homines, non ad vitæ neceſſitatem, ſed jucunditatem excogitaverunt; hoſtibus nulla vi reſiſtere, quidquid tandem mali vel nobis ipſis vel liberis vel uxoribus inferant. Hæc enim omnia ſunt abſurda & rationi naturali contraria. Sed profecto æqua ſunt & ſancta, quia Deus in iſtis obſequium præmio vitę æternæ remunerari vult. Pręmium quod Deus mandatorum iſtorum obſervatoribus propoſuit, omnino omnem abſurditatem tollit. Nihil ſane iſtorum magis eſt abſurdum, quam quod Deus Abrahamo injunxit, propriis manibus proprium, unicum & dilectiſſimum filium mactare, vel ut pars corporis per circumciſionem, maximo cum dolore tollatur.

Nihil tamen iſtorum rectæ rationi eſt contrarium: cui non repugnat aliquid facere, quod admodum eſt periculoſum vel difficile, ſi remuneratio laborem non æquat modo, ſed longiſſime ſuperat. Faceſſant ergo omnes circa Euangelii præcepta exceptiones: Nec ex ſola naturali ratione (quam quia plerique hic judicem & normam ſenſus præceptorum faciunt, excellentiſſima Chriſti præcepta, de perfecta in Deo fiducia abſque carnalibus armis, abſque opum pręſidio, Mennonitarum olim opinio & vivendi norma, item de abnegatione carnalium voluptatum, quas præter neceſſitatem ex veſtium, ædium, hortorum ornamentis, ex cibis pretioſis, ex rhedis, ex facetis confabulationibus, & ſimilibus rebus capimus, plane pervertunt, corrumpunt, & in ſenſum à Jeſu Chriſti mente alienum detorquent) ſenſus eorum inveſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

veſtigemus; ſed ex vocum ſignificatione, ſcriptoribus familiari, ex circumſtantiis, & aliis requiſitis, de quibus alii, & nos etiam cap. 12 & alibi egimus.

Duo tamen Sacræ Scripturæ loca nobis videntur eſſe contraria, quæ quamvis à nemine, quod ſciam, proferantur, explicare tamen abs re non erit. Prior eſt Levit. 18, ubi poſt memorata illicita matrimonia & concubitus nefandos, verſu 24 additur, Gentes Chananæas iſtis omnibus fuiſſe contaminatas. Illæ autem cum legem nullam habuerint, iſta ex ſolo lumine naturali didiciſſe neceſſe eſt.

Alter locus eſt 1 Cor. xi. 14, ubi Paulus ait Naturam docere, indecorum eſſe viro comam alere. Ex quibus locis apparet, quædam eſſe naturaliter bona & mala, quæ abſque ulla Divina revelatione hominibus ſunt cognita.

Quod ad primum locum attinet, *Grotius* exiſtimat vocem *omnia* ad poſtremo recenſita crimina referri poſſe. Quamvis autem nihil adferat quo iſtud oſtendat, in textu tamen non levia ejus aſſertionis extant indicia, quandoquidem à verſu 18 alio loquendi modo Scriptor utitur, quam à verſu 7 conſtanter uſus fuerat: prius enim ubique dixerat, *nuditatem patris tui* &c. *non revelabis*: hic vero: *Non accipies mulierem cum ſua ſorore*, cum potuiſſet dicere, quemadmodum in præcidentibus fecerat, *nuditatem mulieris & ſororis ejus, eodem vel iterato connubio non reteges &c.* Ex quo patet, ſequentes verſus, de alterius generis criminibus agere, quam præcedentes, iſtiuſmodi videlicet, à quibus humana natura abhorret. Quæque non ratio, ſed inſtinctus & inclinatio, abſque ulla ratiocinatione vitare docet.

Præterea, minime certum eſt, Gentes iſtas nullas Dei Leges, ſive per revelationem, ſive per traditionem à Noacho habuiſſe. Contrarium ex Gen. 15. 16 colligi poteſt, ubi dicitur, peccata Amoritarum nondum eſſe completa, iiſque propterea pœnitentiæ ſpatium quadringentorum annorum à Deo concedi.

Alter locus de coma agit muliebri, quam viros geſtare, Paulus affirmat ipſam Naturam Chriſtianos docere, eſſe indecorum: qui ex revelatione didicerant, mulieres viro eſſe ſubjectas (quod alias nulla ratio, notio vel inſtinctus dictat) eaſque ad iſtius ſubjectionis agnitionem comam capiti implexam geſtare. Iſtiuſmodi homines ipſa Natura docet, non debere viros ſe fæminis eſſe ſubjectos, vel ſubjici velle, indicare.

Ex quibus omnibus conſtare exiſtimo, nullum Numen nec ullam religionem, ex ſolo naturali lumine nobis eſſe cognitam.

CAP. XI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

CAPUT XI.

Oſtenditur opinionem, quod Deus, Mundi Creator & Dominus, exiſtit, veram eſſe & minime fallacem.

EX iis quæ huc uſque diſputavimus, cuivis manifeſtum evaſiſſe ſpero, quo[d] lumen Naturæ, abſque Divina revelatione, homines non modo ad De[i] cognitionem non poſſit perducere. Sed ex altera parte etiam oſtendimus rationem naturalem, poſtquam hominum animos opinio de Dei exiſtentia ejuſque cultu occupavit, minime docere non eſſe, vel non poſſe Deum exiſtere. Quibus omnibus ad minimum ſtatum queſtionis in equilibrio conſtituimus (ad minimum dico, quia exiſtimo me jam oſtendiſſe, omnino credere nos oportere eſſe Deum) adeo ut dubitare ad minimum debeant Athei, utra ſententia alteri palmam preripiat. Nunc ergo tempus eſt ut oſtendamus, utri diſputantium parti victoria ſit tribuenda. Cum vero omnes ex Natura petitas rationes, quæ pro utraque ſententia proferri poſſunt, invalidas eſſe jam ex dictis conſtare videatur, Athei vero nihil amplius habere queant, ex quo alias rationes depromere poſſint, Religionis autem propugnatores aliud adhuc refugium habeant, ex quo nova argumenta pro Dei exiſtentia petere poſſint, procul dubio ſententia de Numinis exiſtentia & cultu triumphum agere poterit. Cum enim catholica ſit in Orbe terrarum opinio, quam per traditionem à Deo ipſo, ſive per Adamum & Noachum, ſive etiam per immediate aliis factam, & ad poſteros propagatam revelationis traditionem, originem traxiſſe prædicant, ſequitur, ſi traditio iſta vel cum minima veri ſimilitudine confirmari poteſt, eam omnino præ Atheiſmo eſſe amplectendam. Si vero eam validis inſuper rationibus adſtruere poſſimus, tum extra dubium ſententia de Dei exiſtentia ejuſque cultu pro vera eſt amplectenda. Quod ſequentibus argumentis effici exiſtimo.

I. Quandoquidem Athei non concedunt modo, ſed urgent etiam unice, Naturam minime docere ſe eſſe creatam, & nullas in ratione naturali notiones, nulla principia eſſe, ex quibus Deum eſſe evinci poſſit: imo nihil in tota Natura exiſtere, quod nobis ullam de Univerſi Creatore vel minimam ſuſpicionem injicere poſſit, ſi nunquam de illo aliquid audiviſſemus; ſequitur opinionem iſtam ab hominibus nunquam excogitari potuiſſe: ac idcirco ab ipſo Univerſi conditore originem traxit, præter quem nemo poteſt eſſe, qui id hominibus perſuaſerit.

Et ſi forte quis negare vellet, Atheos concedere, nihil eſſe in Natura, quod in illis, qui nunquam Dei, vel Mundi Creatoris ullam mentionem audiverint, ullam vel minimam de Creatore ſuſpicionem parere poſſit (cum tamen certum ſit hanc illorum eſſe opinionem, & neceſſario eſſe debeat) nos jam demonſtravimus, rem ita ſe revera habere.

Atheos

Atheos autem id credere, & neceſſario debere ſtatuere exinde manifeſtum eſt, quia non modo exiſtimant Naturam, Mundum ſive Univerſum eſſe æternum, & omnia neceſſario, ex naturalium cauſarum æterna concatenatione fieri; ſed etiam nihil in Natura eſſe, quod æternitatem ſuam non oſtendat; & præterea, quia credunt, nulla unquam miracula (id eſt res præter vel contra æternum & neceſſarium Naturæ ordinem) eſſe facta, vel poſſe fieri, ſequitur, neminem, qui de Deo nihil unquam audivit, ullam unquam de Mundi creatore ſuſpicionem ex eorum ſententia haurire poſſe.

Cum igitur opinio de Mundi creatore inter homines paſſim ſit recepta, opinio autem iſta ab hominibus non potuerit excogitari, neceſſario ab ipſo Deo proficiſci debuit, & conſequenter vera eſt.

Argumentum iſtud ex eo etiam confirmatur, quod opinio iſta non in una civitate vel regione ſit recepta, ſed ab omnibus Nationibus, pauciſſimis exceptis; non modo quæ pacem inter ſe ſemper coluerunt, (quales in orbe terrarum forſan nullæ exiſtunt) verum etiam ab eis quæ infenſiſſimo in ſeſe mutuo flagrant odio, & quæ per centena aliquot ſecula, vel potius ſemper, aliis nationibus incognitæ fuerunt, & per millena aliquot milliaria, interjecto immenſo Oceano, à ſe invicem diſſitę ſunt. Ex quo concludi debet, omnes Nationes ab uno hominum pari vel parente aliquando & paulatim originem traxiſſe, à quo opinionem iſtam hauſerint, qui eam ab ipſo Deo didicerit, & in qua poſtea per iteratam revelationem ſint confirmatæ; quemadmodum S. Scriptura tradit. Et ſic Deum omnibus Nationibus iſtam opinionem per revelationem adeo claram & manifeſtam docuiſſe, ut omnes eam ſint amplexæ. Qui S. Scripturam pro divina habent, concedere coguntur, nullam Nationem opinionem iſtam alio modo hauſiſſe.

Si enim falſa eſſet, ab hominibus per naturæ ſuæ facultates conficta eſſe debuit. Iſtud autem impoſſibile eſſe, ſuperius evicimus. Quod ex eo etiam intelligi poteſt, quod eam tot, non modo pagi & civitates, ſed Provinciæ & Regiones ſint amplexæ: quam tamen à ſe mutuo didiciſſe non potuerunt, quandoquidem multæ Nationes ſemper fere omnibus aliis Nationibus fuerint incognitæ: & ſimulatque invenirentur, eadem apud eas opinio eſt inventa.

Nulla eſt opinio (de iſtis non loquor quæ ex ſenſuum externorum experientia omnibus æque nota ſunt) in toto terrarum orbe cognita, in qua omnes conveniant, excepta unica hac de Mundi conditore Numine: quod ſi ea falſa & ab hominibus conficta eſſet, plane foret impoſſibile. Cum nullus unquam Monarcha omnibus aliis Nationibus, quas armis ſubjecerat, ſuas opiniones perſuadere potuerit: abſit ut illis, quæ ipſius erant hoſtes. Vel igitur opinio iſta ſemper inter homines viguit (ſive Mundus ab æterno extiterit, ſive initium aliquando habuerit) vel aliquando inventa & conficta eſt. Si ſemper viguit, id certe non aliam ob cauſam fieri potuit, quam quod ejus certitudo tam manifeſta fuerit, ut non potuerint homines eam repudiare, & merito inter primas notiones ſit numeranda.

Si aliquando conficta eſt, oportet ut in omnibus Nationibus aliqui extiterint (nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

à ſe invicem eas non didiciſſe illam, oſtendimus modo) qui eam invenerint, eamque non tantum abſque ullo fundamento, ſed plane ex nihilo formaverint, & in tanta ingeniorum diverſitate & contrarietate omnibus perſuadere potuerint. Quod ſane impoſſibile eſt, niſi homines, qui de Deo nihil unquam audiverunt, naturali diſpoſitione ad iſtam opinionem maxime eſſent proclives. Iſtud vero falſum eſſe conſtat in Nationibus iſtis Americanis, quarum mentionem *Rocheſortius*, *J. de Lery* aliique faciunt, quibus iſta opinio nunquam perſuaderi poteſt. Ex quibus omnibus eſt manifeſtum, opinionem iſtam minime falſam eſſe poſſe.

Non deſunt tamen qui adverſus argumentum iſtud objiciant, ex veris principiis falſas conſequentias interdum necti, & ex falſis pręcipue. Atque ideo concedunt quidem, nulla eſſe principia, ex quibus per legitimam conſequentiam opinio de Deo elici poſſit, non vero ex quibus ea falſo elici queat: quemadmodum ex animalium & plantarum productione, homines opinionem iſtam concludere immerito videmus, & ex nocturnis terriculamentis, ſonitu, umbris & ſimilibus rebus, homines ſibi ſpectra & dæmonum ludibria imaginantur. Vel etiam aliquando cuipiam deliranti iſtam opinionem in mentem venire potuiſſe, & ſic per alios, qui eam arripuerint, eſſe propagatam.

Poſterius iſtud a delira potius quam à ſana mente proficiſci deberet. Sed prius etiam nullas habet vires: iſti enim qui ex animalium & plantarum generatione Dei exiſtentiam concludunt, jam credunt eſſe Deum, vel ſaltem de Deo multa audiverunt; ſed oſtendendum erat aliquod principium, ex quo quis, qui nullam unquam Numinis mentionem vel ſuſpicionem audiviſſet; vel opinionem, vel ſuſpicionem Creatoris Mundi formare potuerit. Nihil vero iſtiuſmodi proferre poſſunt.

Cum enim omnium rerum quæ naſcuntur, cauſę & ſemina externis ſenſibus ſint obviæ, impoſſibile eſt ut quis aliam earum rerum cauſam quærat, ſi de ea nunquam audiviſſet. Iſtud enim accurate eſt expendendum, longe aliam iſtorum eſſe rationem, qui opinionem de Dei exiſtentia jam amplexi ſunt, vel eam intellexerunt. Sed iſtam opinionem omnino quaſi penitus incognitam debemus removere (non eam rejicere, vel de ejus veritate dubitare, quemadmodum Athei volunt) & cogitationes noſtras ita ad rerum cauſas applicare, quaſi nihil unquam de Deo intellexiſſemus. Tum videbimus, nullum ſupereſſe fundamentum, per quod ex conſideratione rerum naturalium, ad aliam cauſam quam ipſam Naturam adſcendere valeamus.

Qui ex nocturnis imaginibus & crepitationibus Dęmonum præſentiam imaginatur, jam de Dæmonibus aliquid didicerunt: illi vero quibus nihil ſimile unquam fuit cognitum, nullam de illis ſuſpicionem percipiunt.

Quando igitur aliquis ex principiis, ſive veris ſive falſis, falſas conſequentias elicit, tum habet principia conſequentiarum; ſed hic nullum eſt principium. Quandocunque enim quis rerum ſibi incognitarum certitudinem quærit ex notis rebus, iſtarum rerum nomina, quarum certitudinem quærimus, jam cognita ſunt. V. G. ſi examinare velimus, an globus terreſtris moveatur in circulo circum Solem, an vero Sol circum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

cum terram, jam quæſtio, ſive res, cujus certitudinem quærimus, cognita eſt, & ſic ejus certitudinem ex aliis rebus per ſe, ut ajunt notis, vel ex notionibus, per conſequentias paulatim expiſcamur. Hic autem quæritur cognitio rei, cujus nomen vel mentionem nunquam audivimus.

Ita quando *B. de Spinoſa* (referente *Ludovico Meyer*, præfatione in Metaphyſicam ejus Carteſianam pag. 6.) demonſtrare conatur, voluntatem ab intellectu non diſtingui, jam rem habet dubiam, ad cujus cognitionem & certitudinem, per alia notiora nos vel ſeipſum deducere conatur. Nos vero de re agimus, cujus nullam affectionem, definitionem vel notionem novimus, ad cujus cognitionem per ſolam Naturæ conſiderationem eſt deveniendum, & ei novum nomen applicare. Quam diſtinctionem quicunque exacte perpendet, facile intelligere poterit, plane eſſe impoſſibile, ut abſque ulla revelatione, per ſolam Naturæ contemplationem, ad Dei cognitionem, vel ullam de eo vel leviſſimam ſuſpicionem deveniatur.

Ex quo neceſſario ſequitur, cognitionem nominis, & Entis iſtius qualemcunque definitionem vel ideam, à nemine quam ab ipſo Deo hominibus primitus manifeſtatam eſſe potuiſſe.

Quod & Sacræ Literæ confirmant Hebr. XI. 3: ubi dicitur N.B. *per fidem cognoſcimus* (νοοῦμεν) *mundum eſſe conſummatum verbo Dei, adeo ut ex rebus non apparentibus ea quæ videntur facta ſint. Fidem* vero *ex auditu verbi Dei*, per prædicationem eorum qui à Deo mittuntur hauriri, Apoſtolus Rom. 10. 14, 15, 17 expreſſe docet. Ut non niſi per revelationem creationem Mundi, & conſequenter Creatorem cognitum eſſe, hinc manifeſtum ſit. Si autem per fidem, certum eſt demonſtrationes & ſcientiam in hac materia excludi. Ex quo patet, eos qui Dei exiſtentiam demonſtrative cognitam eſſe debere urgent (quod impoſſibile eſſe ſatis ſuperque docuimus) fidem deſtruere, & Sacrę Scripturę verbis adverſantem ſententiam tueri.

2. Secunda ratio, qua de Dei exiſtentia certi ſumus, eſt opinio de Mundi ſive Naturæ creatione, quæ non minus quam prior illa, paſſim ab hominibus eſt recepta. Quamvis autem ea à priori vix diſtincta eſſe videatur, tamen quia certum eſt, homines, quando Numinis ideam ſibi proponunt, eam non adeo ſub Creatoris, quam ſub Entis perfecti conceptu cognoſcere, & Deus etiam, ut Ens ſumme perfectum concipi poſſit, quamvis Naturam nunquam creare voluiſſet, hæc ſeorſim conſiderari poteſt. Cum igitur plerique homines in toto Mundo credant, Mundum eſſe creatum; & tamen in Natura nullum illius opinioni fundamentum extet, vel veſtigium, ex Atheorum præcipue hypotheſi (ſi enim ullum Naturæ initii veſtigium in Natura extaret, profecto merito ex Naturali lumine concluderetur) certum eſt eam ex Natura, vel ab hominibus non potuiſſe excogitari, ac idcirco ab ipſo Deo eſt profecta. Quia nullum ens pręter Naturam exiſtere poteſt, præter Naturæ ipſius creatorem. Atque huc etiam ea quæ in præcedenti argumento diſſeruimus, referri debent.

Si enim Natura non eſſet creata, tum creatio Naturæ merum eſſet *Nihil. Nihil*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

autem à nobis concipi nequit, ejus enim nulla eſt affectio: creationis autem diſtin ctum habemus conceptum. Hinc ſequitur, opinionem de Naturæ creatione cer tam eſſe.

Scio Adverſarium noſtrum hic objicere, homines omnia ſibi poſſe imaginari, & idcirco iſtam opinionem, ex inani imaginatione, & præſertim ex metu, ex quo multa ſibi ridicula imaginari ſolent, originem traxiſſe.

At vero, quamvis concederem homines ſibi quidvis imaginari poſſe (quod tamen nullo modo verum eſt, de rebus de quibus nihil unquam audiverunt, vel externis ſenſibus quidquam experti ſunt) certe *nihil* ſibi imaginari nequeunt: iſtud enim inter omnia vel quidvis numerari nequit. Creatio autem Naturæ, ſi nunquam eſſe peracta, vel Deus ſi non exiſteret, merum eſſent *nihil*, quod ſub imaginationem non cadit.

3. Tertiam rationem à ſignificatione vocis *Dei* deſumemus, per quam omnes Mundi Creatorem intelligunt. Cum autem nullum in ulla lingua vocabulum exiſtat, nec excogitari poſſit, rem aliquam denotans, cujus res, vocabulo iſta ſignificata non exiſtat, neceſſario ſequitur eſſe Deum.

Ad hanc rationem (quæ mihi omni exceptione major eſſe videtur) ſi quis reſponderet, me debere oſtendere, nullam iſtiuſmodi vocem ullibi extare, vel excogitari poſſe, nec quidquam præterea addere vellet, is dedita opera veritati reluctari eſt cenſendus, iſtud enim eſt impoſſibile. Quamvis enim omnia omnium linguarum nomina ſubſtantiva (ut vocant) ſcirem, eaque hic ponerem, eadem exceptio opponi poſſet. Sed ſi quis legitimum effugium habere velit, indicet vel excogitet iſtiuſmodi vocabulum, & videbimus an res per illud ſignificata in rerum Natura non exiſtat. Nullus enim ignorare poteſt, omnia vocabula excogitata eſſe, ut per eas res exiſtentes, & quas noſſe didicimus, aliis indicare queamus.

4. Quarta ratio eſt opinio Chriſtianorum, de mortuorum futura reſurrectione & vita æterna. Quam ſolam ſummum bonum eſſe Lib. 1. cap. 3 & 4 demonſtravimus. Quamvis autem opinio iſta in Sacra Scriptura habeatur (quemadmodum & illę de Deo & Naturæ creatione) nihil tamen vetat, imo neceſſe eſt, ut hæc ſeparatim pro Dei exiſtentia argumentum exhibeat (cum nemo eam præter Ipſum efficere poſſe per ſe manifeſtum ſit) quia quamvis in Scriptura non inveniretur, nec etiam ipſa Scriptura exiſteret, modo opinio iſta inter Chriſtianos vigeret, aliunde non potuit eſſe orta, quam ex Dei revelatione. Quam cum Athei non minus rectæ rationi contrariam, & plane impoſſibilem eſſe credunt, quam creationem cæli & terræ, nec ullum in Natura habere fundamentum, ſequitur huc eadem pertinere quæ in 3 præcedentibus argumentis diſſeruimus.

Sed objiciet forſitan aliquis, *Pythagoram*, *Platonem*, & ex illis cæteros Gentiles, ante illos vero etiam Judęos, credidiſſe animas eſſe immortales. Et ex eo conſtare, ex Naturali ratione opinionem iſtam, quamvis falſam & abſurdam, deductam fuiſſe, & deduci poſſe.

Reſpondeo, opinionem de animæ immortalitate directe contrariam eſſe illi de re- ſurrectione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ſurrectione mortuorum: ſi enim anima præcipua hominis pars eſt, eaque nunquam moriatur, certe homo nunquam mortuus eſſe dici poteſt, nec unquam ex mortuis reſurgere. Quare, ſi hanc ex naturali lumine hauſerint, illam minime ex ea deducere potuerunt. Præterea ex eo quod illi, quos modo memoravimus, animas immortales eſſe crediderunt, non ſequitur eos id ex naturali lumine didiciſſe. De Pythagora creditur eum fuiſſe Magum, eumque ad Ægyptios & Aſſyrios profectum, illorum myſteria didiciſſe. Et forte Judæos etiam adiit, à quibus iſtam opinionem didicerit, quam illi ex male intellectis Prophetarum ſententiis, non vero ex naturali ratione hauſerint. Quidquid ſit, à nullo unquam Gentilium naturales rationes ſunt productæ, quibus animæ immortalitatem probarent, quantum memini. Sed Gentiles, & Judæi ex immortalitate animę, ejus migrationem in alia ſubinde corpora deduxerunt, imo Ethnici eas Deos eſſe crediderunt. Atque opinio iſta Ethnicorum de Animæ immortalitate ab *Arnobio*, toto ſecundo ejus Libro, plurimis ex naturali ratione deſumtis rationibus eſt impugnata atque penitus expugnata.

Adde quod vocabulum *reſurrectionis mortuorum*, nunquam ante Chriſti prędicationem inter Ethnicos fuerit cognitum, nec inter Judæos eo ſenſu quo in Novo Fœdere, ſive in propria ſignificatione, vel potius nullo modo. Scio quidem Eſa. 26. 19 dici, mortuos ipſorum victuros: iſtud vero eodem verſu de illis explicatur, *qui in pulvere habitant:* qua phraſi illos qui in ſumma miſeria degunt, denotari, alias oſtendimus. Cum ergo in præcedenti argumento oſtenderimus, nullum nomen poſſe exiſtere, cujus res ſignificata non exiſtat &c, eadem hic vis argumenti quæ præcendentis eſt.

Objiciet vero forſitan aliquis, nomen *reſurrectionis mortuorum* Judæis fuiſſe cognitum Dan. 12. 2. Matth. 22. 23. Act. 23. 8, cum tamen ea ſub Veteri Fœdere locum non haberet. Atque exinde apparere, poſſe nomen aliquod exiſtere, nec tamen res ſignificata locum ullibi habeat.

Verum enim vero longe aliter ſe res habet, reſurrectio mortuorum etiam illic in aliquibus locum habuit 1 Reg. 17. 18 & ſeqq. 2 Reg. 4. 32 &c. XIII. 21. Et quod ad reſurrectionem generalem mortuorum attinet, eam non ex Naturali lumine, ſed ex *Danielis* Prophetia, perperam intellecta, aliquatenus crediderunt, animarum videlicet in alia corpora à Deo tranſmiſſionem.

5. Quintum argumentum via nobis ſternet ad vitam æternam & mortuorum reſurrectionem ſive ſummum bonum, præcepta videlicet Novi Fœderis, abnegatio voluptatum non neceſſariarum, & innatorum affectuum, injunctio ne malis vi reſiſtamus, ſive ne vim vi repellamus, divitias neque colligamus, neque retineamus; nec non alia quæ ad luxum & non neceſſarium corporis & habitaculi ornatum adhibentur, cæteraque quæ Servator noſter Chriſtus, tanquam veram & unicam vitæ æternæ acquirendi viam præſcripſit Matth. 5. a verſu 1 ad 13, 39, 40, 41, 42. VI. 19. 1 Tim. 6. 8, 9, 10, 17, 18, 19. Matth. 6. 25 &c. coll. cum cap. 10. 37, 38, 39. 1 Joh. 2. 15, 16, 17. Rom. 12. 2 &c. Quæ omnia adeo Naturę humanę ejuſque rationi ſunt contraria,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

traria, ut nihil magis excogitari poſſit: nec ullam æquitatis rationem, præter ſola divinam voluntatem, ejuſque promiſſa habeant, quibus iſtorum præceptorum ob ſervatores remunerari decrevit.

Ex quo liquet, ea ab humano intellectu excogitari minime potuiſſe. Omnes enim fere ea tantopere rationi repugnare exiſtimant (volunt enim ut Chriſti præcepta naturali rationi minime ſint contraria) ut ea ſuis interpretationibus pervertant, & nihil minus continere quam id quod continent faciant. Quaſi iniquum ſit, Deum ipſis talia injungere, quæ carni quammaxime, & naturali rationi ſint contraria, nec præmium ſat grande obedientibus ſit vita æterna. Conferantur ea quę ſuperius cap. 10 pag. 262 diximus.

Adde quod eorum obſervatio, naturalibus hominis facultatibus ſit impoſſibilis. Ex quo magis adhuc patet, ea ab homine non potuiſſe excogitari. Quę etiam cauſa eſt quod plerique ea adeo perverſe explicant, alii Deum iſta non ſerio exigere velint. Non enim attendunt, Deum vires ſupranaturales cuivis ea obſervare volenti promittere & ſuppeditare.

Cum vero ex illis quæ Lib. 1. cap. 3 & 4 de ſummo bono diſſeruimus, manifeſtum ſit, iſtud in hac vita locum habere non poſſe, quod & nomen reſurrectionis mortuorum & vitæ æternæ apertiſſime indicat; exinde promtum eſt colligere, media ad iſtud acquirendum, nullum cum ratione naturali commercium habere, ac proinde ab hominibus excogitari minime potuiſſe. Adde quod natura iſtorum præceptorum non permittit, ut homo judicio pollens (qualem Jeſum Chriſtum fuiſſe à nemine negari poteſt) ea alios docere & perſuadere vellet poſſit: prętertim ſi propterea omnis generis calamitates & ipſam denique mortem ſuſtinere debeat: cum confitendo à ſe cuncta eſſe conficta, & palinodiam canendo, non modo mala iſta devitare, ſed honores & gratiam omnium ſibi conciliare poſſit. Unde ſequitur, neminem pręter ipſum Deum iſtius opinionis cauſam exiſtere.

6. Sextum argumentum nobis exhibent miracula. Ea vero poſſe fieri, nec ullam contradictionem implicare ut fiant, adverſus Adverſarium Lib. 1. cap. 6 demonſtravimus, & ſimul oſtendimus & explicavimus, quomodo illa validiſſimum pro Dei exiſtentia argumentum exhibeant. Nihil itaque reſtat, niſi ut demonſtremus, miracula revera eſſe exhibita. Iſtud autem cum ex notionibus vel ratione naturali fieri nequeat (res enim mere eſt hiſtorica) omnino ſufficere debet, ſi teſtes fide digni proferri queant, qui ſe ea feciſſe vel vidiſſe, irrefragabili teſtimonio affirmant (Qua de re *Johannes Crellius*, tractatu *de Deo & Attributis* cap 6 fuſius egit: quem qui volet conſulat. Nec non *Lavaterum* de Spectris parte 1. cap. 12 &c. Item Librum cui titulus eſt *Magica de Spectris* in duodecimo.) Iſtud vero in ſequenti argumento præſtabimus.

7. Septimum igitur argumentum teſtimonium eſt Sacrarum Literarum, ſive hominum adeo piorum & fide dignorum, ut illud non modo plurimis miraculis, verum etiam omnium cruciatuum & mortis crudeliſſimæ toleratione confirmaverint. Cum autem S. Scripturæ certitudinem & ſinceritatem Libro primo contra Adverſarii inſul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

us, & in ſpecie cap. 12 defenderimus: nec non ſex prioribus hujus Libri ſecundi capitibus, præcipue autem cap. ſexto & alibi ejus ſinceritatem & authoritatem, una cum toties memoratis ſcriptoribus defenderimus: omnino Scripturæ de Deo Univerſi Creatore, nec non de miraculis teſtimonium ſecure recipere poſſumus & tenemur.

8. Octavum argumentum nomen & ſignificatio miraculi exhibere poteſt. Cum enim per iſtud ab omni ævo nihil aliud indicatum fuerit, quam eventus, effecta vel actiones, quæ præter & contra Naturæ ordinem fiunt, neceſſario etiam facta eſſe oportet, propter rationes, quas in tertio & quarto argumento protulimus.

9. Nona ratio eſt hominum in actionibus libertas: quam cum libro 1 cap. 3, 4, nec non ſuperius cap. 8, non modo contra Atheorum objectiones, verum etiam validis rationibus defenderimus, nihil aliud requiritur, niſi ut oſtendamus, quo pacto ex ea concludi debeat, exiſtere Mundi gubernatorem Deum. Iſtud autem ita deducitur, quod ex humanarum actionum libertate neceſſario ſequatur, non eſſe æternam & immutabilem in rerum natura omnium cauſarum concatenationem. Abſque qua ſi non exiſtit Mundi Omnipotens Gubernator, naturalis omnium rerum ordo vacillabit, & tota Natura per ſe corruptioni obnoxia redditur. Quod cum ab Atheis maxime abſurdum habeatur, & revera etiam ſit, apparet nullum aliud hanc abſurditatem declinandi ſupereſſe effugium, niſi ſtatuamus exiſtere Mundi Creatorem & Dominum, qui omnipotentia & ſapientia ſua omnia dirigit, & Naturæ ruinam, quandiu ipſi eſt libitum, præcludit.

Quamvis enim cap. 8 pag. 208 oſtenderimus, nihil in eo eſſe abſurdi, quod Natura corruere poſſit, id eatenus tantum concedimus, quatenus Numen eſſe ignoramus. Nec tamen Athei propterea iſtud pro abſurdo non habent, etſi eorum argumenta iſta noſtra reſponſione deſtruxerimus. Quando vero aliquid excogitari poteſt, quo citra ullam abſurditatem ſtatui poſſit, Mundum poſſe ſubſiſtere, quamvis abſurdiſſimam iſtam in hominum actionibus neceſſitatem non cogamur agnoſcere, tum profecto abſque abſurditate minime ſtatui poteſt, Naturam eſſe corruptibilem, ex eo quod omnia fatali neceſſitate non ſint concatenata. Cum igitur Athei credant, non exiſtente iſta cauſarum concatenatione, Naturam non poſſe eſſe æternam, niſi Numen omnipotens, eamque gubernans exiſteret, omnino concedere coguntur iſtiuſmodi Numen dari, cum jam firmiter à nobis ſit demonſtratum, non eſſe fatalem omnium rerum in agendo & exiſtendo neceſſitatem.

10. Decimum, ab iis quæ in Natura caſu ſive fortuito naturaliter fiunt, argumentum erit deſumtum: de illis autem cap. 8. ad decimum Atheorum argumentum & alibi egimus. Per ea quæ fortuito fiunt, intelligimus iſtiuſmodi corporum naturalium motus, qui Naturæ ordinarium curſum non ſequuntur, vel certo & determinato modo non fiunt; vel ordinarium Naturæ motum immutarent, niſi in integrum reſtituerentur. Ita venti in pleriſque Orbis Terræ regionibus nullo ordinato motu, qui ſtatis temporibus repetitur, aguntur: ex quo ſterilitates, fertilitates, peſtilentiæ aliique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

aliique morbi, fructuum magis tempeſtiva vel intempeſtiva maturitas, & infiniti caſus dependent, qui aliter accidiſſent, ſi venti aliter fuiſſent excitati. Item ſi Maris fluxus vel refluxus (quod nonnunquam accidit) cohibeatur vel immutetur; ſi ſanguine, lapidibus, cineribus pluat; qualia ſi ſemper acciderent (quemadmodum naturaliter ſemper fieri non poſſe minime demonſtrari poteſt) tota Natura peſſum iret. Quandoquidem autem nemo poſſit oſtendere, omnia neceſſario ex inevitabili & æterna cauſarum concatenatione fieri, nos vero evicerimus contrarium, certe impoſſibile foret ut Natura diu conſiſteret, niſi Naturæ Dominus & Gubernator exiſteret.

11. Undecima ratio illa cenſeri poteſt, quam ſuperius cap. 9 quarto loco pag. 229 explicavimus, nec opus eſt eam hic repetere.

12. Cui pro duodecima poſſet adjungi ea, quam in primo argumento cap. 7 pag. 198, de eo quod de æternitate Naturæ (ſi ea vera eſſet) neceſſario univerſalis opinio deberet inveniri, explicavimus.

13. Nec non pro decimatertia eam quam cap. 9 pro decimo tertio argumento poſuimus pag. 237, 238, multiplicationem generis humani. Cum omnium fere nationum originem & incrementa in hiſtoriis reperiamus, & omnes nationes ſuæ Gentis originem, ex parvo numero agnoſcant.

Atque has abunde ſufficere exiſtimo, ut de Dei exiſtentia plane ſecuri ſimus. Nec opus eſt plura, ſive à nobis, ſive ab aliis prolata addere.

Antequam autem finiam, non inutile erit explicare, quęnam mihi norma ſit opinionum, in religionis negotio, quandoquidem eas ſecundum naturalis rationis dictamen non eſſe formandas, aliquoties indicavi. Quod ubi præſtitero, de locis quibuſdam S. Scripturæ, capite primo & ſecundo omiſſis, nec non de Methodo cęteros omnes conciliandi, acturus ſum.

CAPUT XII.

De ratione Sacram Scripturam intelligendi atque interpretandi.

IUdicem controverſiarum fidei ipſum hominem eſſe exiſtimo, & quidem unumquemque pro ſeipſo: quandoquidem *unuſquiſque pro ſeipſo rationem Deo ſit redditurus* Rom. 14. 12. Quapropter inquirendum eſt 1. Quænam in homine facultas reſideat, qua ſenſum Sacræ Scripturæ percipere, alioſque docere debeat. 2. Num aliqua norma ſit, & quænam ea ſit, ſecundum quam facultatem iſtam dirigere teneatur, in percipiendo Scripturæ ſenſu.

Primum nihil aliud eſſe poteſt præter Naturalem intellectum, qua omnia quę occurrunt intelligere & cognoſcere poſſumus atque debemus, & ſenſum eorum quæ in

Sacris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Sacris Literis vel in aliis libris habentur, aut ab hominibus, vel Deo immediate, vel per Legatos, vel per Spiritum Sanctum dicuntur, aut à Dæmone proferuntur, percipere.

Naturalis autem intellectus accurate à Naturali lumine ſive ratione eſt diſtinguendus. Intellectus enim mihi nihil præter mentem eſt, ſive intelligendi, id eſt affirmandi & negandi, nolendi & volendi, ratiocinandi & cogitandi, nec non deliberandi &c facultatem. Lumen autem vel ratio naturalis ſunt affectus & paſſiones innatæ, atque ex illis deductæ concluſiones, item ſenſuum externorum & internorum experientia; quę innatę paſſiones & affectus, nec non ſenſuum experientia, ab aliis, non accurate eorum naturam expendentibus, notiones & rationis rectæ principia appellantur.

Intelligendi vero facultatem ſolam eſſe, per quam ſenſum S. Scripturæ intelligere debemus exinde patet, quia nullum in nobis inſtrumentum eſt, quo mentem verborum, ſive ſcripta ſint, ſive ſonore vel ſubmiſſe dicta, percipere valeamus. Quamvis enim lumen aliquod ſupranaturale, ad mentem Spiritus Sancti percipiendum requireretur, illud nihil aliud efficere poſſet, quam ut intellectus naturalis magis ſit idoneus, ad percipiendum ea quæ menti exhibentur, non vero ipſum inſtrumentum ſive facultas eſſet, qua aliquid percipiamus.

Senſum igitur verborum, quem mente percepimus, per ſonum, vocabulis ſenſum iſtum ſignificantibus exprimere, & ſic aliis communicare poſſumus, & ſi alios erudire velimus, debemus. Atque iſtud eſt Scripturam interpretari.

Normam ſecundum quam examinanda ſunt ea, quæ cogitatione ſola vel auribus percipimus (ne aliorum de hac materia ſententiam commemorem) nullam prȩter ipſam Scripturam eſſe exiſtimo, non vero Univerſam (iſtud enim contradictorium eſſet) ſed iſta tantum in ea contenta dogmata, quæ primo intuitu clare & perſpicue in ea contineri manifeſto apparet, ita ut nemo dubitare poſſit ea ibi doceri. Adeo ut nullus ſenſus, qui iſtis dogmatibus eſt contrarius, pro genuino verborum ſenſu ſit agnoſcendus. Iſtud autem locum habet in iſtiuſmodi Scripturę verbis, quorum ſenſus primo intuitu non eſt perſpicuus. In locis vero & rebus, in S. Literis obviis, qui nullam cum dogmatibus iſtis perſpicuis communionem habent, circumſtantiæ loci ſunt conſiderandę, ſtylus videlicet ſcribendi, ſcopus orationis & cæteræ quas mox indicabimus circumſtantiæ.

Quibus addi poteſt certa ſenſuum externorum (qui nunquam falluntur, modò integri ſint) experientia, cui quicunque ſenſus repugnat, ut falſus rejiciendus eſt.

Exemplis omnia illuſtremus. Mundum à Deo aliquando deſtruendum eſſe ab Apoſtolo *Petro* 2 Pet. 3. 7, 10, 11. Pſal. 102. 26, 27. Eſa. 51. 6 &c adeo clare docetur, ut nemo de ſenſu verborum ambigere poſſit. Cum igitur *Salomon* Eccleſ. 1. 4 dicit, terram in æternum conſiſtere, vox autem *æternum* in Hebræa lingua ſit ambigua, & frequenter definitum tempus denotet (qualis in prioribus iſtis locis ambiguitas locum non habet) quivis videt eam vocem non pro tempore infinito eſſe accipiendam. Et ſic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

ex dogmate iſto de Naturę deſtructione, verba Salomonis intelliguntur. Idem in præceptis Jeſu Chriſti locum habet. Et quamvis naturalis ratio dictat, aliquid eſſe abſurdum (v. g. vim vi non repellere, & ſimilia Chriſti præcepta, quorum mentem Mennonitæ, dum perſecutionum ſalutari eruditione animum à præjudiciis magis haberent defæcatum, optime percipiebant) id nullam vim habet, cum præmium, quo Deus iſtud remunerari decrevit, omnem protinus abſurditatem tollat.

Senſuum externorum teſtimonium in verbis iſtis Matth. 26. 26 *hoc eſt corpus meum* juvat: ſi enim proprie accipiantur, illorum teſtimonio contraria erunt. Cum igitur vocula *eſt*, non in Scriptura tantum, ſed apud omnes frequenter improprie ſumatur pro ſigno, profecto non oportet adeo refractarium eſſe, ut contra certiſſimam experientiam, verba iſta proprie accipere velimus.

Hæc quamvis illis, qui inveteratis erroribus otioſe adhærere non malunt, quam addiſcere quæ ignorant, ſatiſfacere queant, non deſunt tamen qui Philoſophiam loco dogmatum clarorum S. Scripturæ, normam, vel potius interpretem Scripturæ eſſe contendunt, & Philoſophiam (cap. 5 Libri cui Titulus eſt *Philoſophia S. Scripturæ interpres*), ita definiunt, eam *veram & indubitato certam eſſe notitiam, quam Ratio ab omni præjudiciorum involucro libera, naturalique intellectus lumine & acumine ſuffulta, ac ſtudio, ſedulitate, exercitatione, experimentis, rerumque uſu exculta atque adjuta, ex immotis ac per ſe cognitis principiis, per legitimas conſequentias, apodicticaſque demonſtrationes, clare ac diſtincte perceptas, eruit, ac in certiſſima veritatis luce collocat.* Quæ Philoſophiæ deſcriptio eam tot coloribus exornat, ut penitus diſpareat, & nullibi inveniri poſſit. In naturali enim ratione nulla eſſe principia, ex quibus religio ita deduci poſſit, jam prolixe à nobis eſt oſtenſum: nec etiam iſtius libri Scriptor iſta principia, nec ex eiſdem elicita dogmata exponit, enumerat, aut talia eſſe demonſtrat: quod impoſſibile eſſe, ex illis quæ ſuperius à nobis ſunt diſputata, manifeſtum eſſe exiſtimo.

Cum notiones ſive principia, quæ ſenſus S. Scripturæ norma eſſe poſſent, ab omnibus recipi deberent (alias enim norma non eſſe poſſunt omnibus) præſertim cum iſtius libri Scriptor, ſenſum, quem quis pro vero haberi velit, aliis demonſtrari apodictice poſtulat. Nobis autem minime opus eſt dogmata iſta enumerare, quæ ſenſus Scripturę normam eſſe volumus, cum multa jam ſint cognita, & ab omnibus, qui S. Scripturam Deum authorem habere agnoſcunt, ſint recepta. Iſta vero de quibus controvertitur, an adeo clare in Scriptura habeantur, & à nonnullis etiam ut falſa, & Scripturæ contraria rejiciuntur, omnibus norma eſſe nequeunt, ſed illis tantum, qui ea certa & indubie clara eſſe Scripturæ dogmata exiſtimant. Qua in re ſi eos errare contingit, ipſi proprium onus portabunt.

Cum enim Chriſtianis non liceat, alios à ſe diſſentientes, ad ſuas opiniones amplectendum cogere, nec etiam iſtud fieri poſſit, ſufficit ut in diſputationibus, iſtis dogmatibus pro norma utantur, quæ omnes clara & certa eſſe agnoſcunt; reliqua vero quæ quis pro talibus habet, talia eſſe aliis perſuadere rationibus conetur. Id ſi

præſtare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

præſtare nequeat, alios tolerare, & Dei judicio permittere tenetur.

Nec etiam utile, ſed noxium potius eſt, dogmata iſta omnia, quæ quis clara eſſe exiſtimat, ita enumerare, ut alios ad ea amplectendum cogere velit. Nihil enim aliud per vim effici poteſt, quam ut homines ſimulent ſe credere, quod non credunt. Et ſic omnis occaſio præciditur, ut errores, tam in illis rebus, quas aliquis fundamentales eſſe voluit, quam in iſtis quæ ex prioribus eliciuntur, detegi poſſint.

Quamvis autem omnes, quas author iſte objicit difficultates, contra Reformatorum, de S. Scripturæ interpretatione opinionem, nos non tangunt, una tamen eſt quæ nos ferire videtur. Ea in medio fere cap. XI eſt, nullam videlicet S. Scripturæ locutionem, per ſe, abſque rationis adminiculo eſſe claram, quia vix ullę ſunt locutiones, quę non plures quam unum ſenſum admittant. Adeo ut, ſi locutiones claræ eſſent, eæ non niſi ex vulgari vocum acceptione tales eſſe poſſint. Tum vero non ipſa Scriptura, ſed vulgaris loquendi uſus, norma controverſiarum erit.

Ad quod reſpondeo, nos rationem non rejicere, ſed omnino requirere, prout initio hujus capitis explicavimus. Et præterea nihil in eo eſſe abſurdi, quod vulgaris vocabulorum ſignificatio, norma opinionum ſtatuitur: quia nulla eorum ſignificatio eſſe poteſt, quam quæ apud homines in uſu eſt. Si enim propterea ſenſus alicujus loci non eſſet clarus, quia verba in plures, etiam contrarios ſenſus detorqueri poſſunt, tum nec in Philoſophia, nec in ulla ſcientia vel ſermone, quidquam clarum eſſe poſſet. Nullum enim eſt dogma, principium vel notio, quæ verbis ſive vocabulis non debeat concipi, pronunciari vel ſcribi. Vocabula vero omnia fere plures quam unam ſignificationem obtinent. Unde facile quivis videt, nullam eſſe hanc quam author objicit difficultatem, ſi vulgarem vocum ſignificationem ſequamur.

Quoniam autem jam in mentionem interpretationis Sacrarum Literarum incidimus, non inutile ſpero futurum eſt, ſi Methodi noſtræ ſpecimen, vel rudem potius delineationem, ad earum intellectum (à nobis aliquoties citatum ſed emendatum) hic ſubjungamus: quo illi quibus ea placeat, eam in perfectionem formam redigere poſſint.

Cum igitur omnia quæ in Sacris Scripturis occurrunt, tribus hiſce conſtent, prædictionibus videlicet futurorum, narratione rerum geſtarum aut præteritarum, & doctrinis, ſub quibus comprehendo mandata, interdicta, promiſſa & minas, una cum rationibus, parabolis atque exemplis, quibus vel ad pietatem excitari, vel à vitio abſterreri poſſumus; inque iſtis non exigua ſæpe hæreat difficultas & obſcuritas, in ſingulis dictarum rerum, tum obſcuritatis cauſas, tum media quibus ea diſcuti queat, indagare, ſi ſenſum S. Scripturæ intelligere cupimus, neceſſe eſt.

Quoniam autem ad finem iſtum conſequendum media quędam ſunt generalia, qualia ſunt Deo ſerviendi ſtudium, S. Literarum & eorum qui commentaria in eas ſcripſere diligens lectio, item cum piis & exercitatis de locis obſcuris collatio, nec non aſſiduæ & ardentiſſimæ preces, eorumque omnium neceſſitas apud omnes fere in confeſſo ſit, ad ſpecialiora & minus cognita, his obiter tantum indicatis, tranſeamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Quare ut de *prædictionibus Prophetarum* ordiamur, omnes illæ, antequam eventu illuſtratæ, vel ſpeciali Divini Spiritus revelatione patefactæ ſint, multis obſcuritatibus involutæ habentur, licet generatim res & perſonas de quibus ſermo eſt, non adeo obſcure indicent. Sic, verbi gratia, vaticinia de *Meßiæ* adventu hactenus a Judæis ante Chriſti adventum percipi potuerunt, ut inde cognoſcerent eximium quendam liberatorem, ex tribu *Juda*, & familia *Davidis*, ipſis eſſe promiſſum, qui ex omnibus anguſtiis, miſeriis & periculis eos exemturus eſſet; ſed qualis iſta liberatio futura eſſet, quo modo & ordine, item ex quibus ærumnis & laboribus &c, non ſolum tunc, ſed & ad hodiernum uſque diem ipſos latet.

Præterea notandum eſt, quod priores quę à Deo profectę ſunt prædictiones, longe captu difficiliores fuerunt iis qui eas primitus acceperunt, quam quæ poſterius editæ, de iiſdem rebus aut perſonis agunt; accedente præſertim novo aliquo lumine ex perſonis & rebus poſt exiſtentibus, quibus illę per ſimiles loquendi modos, ſpecialiore quadam ratione applicantur, ſed ita ut ſemper majus adhuc quippiam ſub iis myſtico ſenſu contineri appareat. Exemplo rem declarabo. Deus cum *ſeminis* vel *numeroſi ſeminis* aut *prolis* vocibus, in promiſſis ſuis ad pios Patriarchas factis utitur myſtice fere eximium illud mulieris ſemen, id eſt *Chriſtum* cum Populo ſuo innuit, cujus ſeminis piorum patrum Adami, Enochi, Abrahami, Iſaaci, Jacobi &c pii filii tam ante Legem, quam ſub Lege typi extiterunt. Qui ergo hoc ignorat, nec ullam apertam prophetiam de Meſſia, ſub iſtius vocabuli involucro audivit, illi haut facile ſenſus prophetiæ iſtius, prout extat Gen. 2 his verbis comprehenſę, *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis*, in mentem veniet. Unde primævi homines, cum filius ipſis venuſtate inſignis, aut moribus vel alia quadam re commendabilis, natus eſſet, illum putabant fore qui voce ſeminis, è muliere oriundi à Deo deſignatus erat, qua de re vide Geneſ. 4. 1. v. 29. Exod. 2. 1 coll. cum Hebr. XI. 23 & Actor. 7. 20, & ab aliis ibidem notata. Similiter Prophetæ, cum voce *arborum* utuntur, ſæpe per eam Monarchas, Principes & potentes ſignificant, per *gramen* homines plebejos, per *cornua* robur, potentiam, vel robuſtos aut potentes. *Aquas* appellant populos, Reges *ferarum*, *belluarum*, *draconum* nominibus deſcribunt. Per *locuſtas* intelligunt agmina militaria vel exercitus hoſtiles, per *ventos* omnis generis plagas, per *ſanguinem* bella &c. Qui ergo ad ſimiles loquendi modos aliquoties cogitationes applicavit, vel complementum prophetiæ unius aut plurium, vocibus iſtis expreſſarum vidit, legit, audivit, facilius earum ſenſum intelligere poteſt, quam qui iſtis mediis deſtituitur.

Cum vero Prophetarum vaticinia maximam partem res ſub quatuor Monarchiis, *Nebucadneſari* & *Danieli* in ſomno aut viſione oblatis, eventuras reſpiciant, *Chaldæorum* ſcilicet, *Perſarum*, *Græcorum* & *Romanorum*, neceſſarium erit generalem ſaltem iſtorum temporum chronologiam animo tenere. Ad quorum cognitionem comparandam, prętер veteres chronologos, multum juvant recentiorum tabulę hiſtoricę, & univerſalia hiſtoriarum compendia, ac præcipue collatio locorum Veteris Inſtrumenti,

menti, quæ Novi Fœderis ſcriptores completa eſſe demonſtrant. Porro qui generalem hanc notitiam eſt aſſecutus, facilius prædictiones cum eventu comparando, mentem earum intelligere poterit. Quod ut clarius pateſcat, exemplum ex Apoc. 13. 1 hic apponam, ubi hæc verba leguntur: *Et vidi beſtiam è mari adſcendentem, cui ſeptem capita erant & cornua decem* &c, quam viſionem Spiritus Sanctus, ejuſdem libri cap. 17. 8, 9, 11, 12, 13 ita explicat: *Beſtia quam vidiſti erat, nec eſt [amplius,] & ex abyſſo adſcendet, & ad interitum vadet; mirabuntur autem qui terram incolunt (quorum nomina &c) videntes Beſtiam quæ erat, & eſt, quamvis non exiſtat. Hic intellectus eſt cui ſapientia ineſt. Septem capita ſunt ſeptem colles, quibus Mulier inſidet, ſuntque itidem ſeptem Reges [quorum] quinque ceciderunt; unus eſt, & alter nondum venit, cum vero venerit, brevi tempore manere debet: at Beſtia quæ erat & eſt, is quoque octavus [Rex] eſt, & [unus] ex ſeptem eſt, & ad interitum vadit.* Unicus iſte locus ſpecimen earum quas memoravi circumſtantiarum continet, prout ordine exponam. Primo igitur cum inquit *Beſtia*, meminiſſe nos oportet, in Sacris Literis nominibus *beſtiarum* aut *ferarum* Regna deſignari, ut apparet Dan. 7. 3, 4, 5, 6 coll. cum verſ. 17, 18, 23 &c; item per *mare* & *aquas* ſignificari populos Apoc. 17. 15. Quod *capita* principes denotent per ſe patet, vide ſis Dan. 2. 38; *cornua* autem Spiritus Sanctus de ſupremis poteſtatibus interpretatur Apoc. 17. 13. Quæ omnia ſi rite obſerventur, verborum ſenſus ultro ſe in conſpectum dat: *& vidi* in ſpiritu *è mari*, id eſt congregatione multorum populorum (ſicut mare ex multarum aquarum confluxu conſtat) *beſtiam adſcendentem*, imperium aliquod oriri, *habens ſeptem capita*, ſeptem ſummarum poteſtatum ſive regiminis formarum genera, *& decem cornua* Regna. His porro talem *Joannes* explicationem ſubjungit: *Beſtia quam vidiſti erat, nec eſt, & ex abyſſo adſcendet* &c; quibus verbis quarta beſtia, id eſt *Romana* Monarchia, in tres diverſos ſtatus diſtinguitur. Ut igitur ſciamus quodnam illud Imperium ex quatuor ſupra nominatis ſit, in quod talis deſcriptio quadret, id facile occurret conſiderantibus, tria priora paulatim, ab exiguis incrementis ad ſummum Majeſtatis cacumen aſſurrexiſſe, à quo poſtquam ſemel deturbati eſſent, nunquam poſtea extiterunt, à ſuccedentibus Imperiis oppreſſa. De *Romano* autem Imperio verè dici poteſt quod *erat*, olim ſcilicet, toto Orbi magna violentia imperitans, *nec ſit*, poſtquam adeo dilaceratum & à Barbaris nationibus vaſtatum fuit, & quaſi *lethaliter vulneratum*, ut reſpectu priſtini ſplendoris non amplius exiſtere videri poſſit: ac tandem *ex abyſſo adſcendat*, quod accidit cum à ſecunda Beſtia, id eſt ſummo Eccleſiæ *Romanæ* antiſtite fuit reſtituta. Porro *ſeptem capita*, inquit, *ſunt ſeptem colles* (unde *Roma* ſepticollis dicta eſt) *quibus mulier [magna Meretrix] inſidet; ſunt [item] ſeptem Reges.* Per Reges autem hic non perſonas ſingulares dominantes, ſed regiminum formas intelligendas eſſe, illud indicat, quod hi Reges ita ſibi invicem ſucceſſuri dicantur, ut deſinentibus illis, etiam ipſum regimen intereat. Idque multo adhuc clarius ex ſequentibus patet, cum dicit *quinque ceciderunt*, quod de ipſis Imperatoribus *Romanis* accipi nequit, utpote quorum jam undecim, cum *Joannes* hæc ſcriberet, interierant: nam *Domitianus*, ſub quo *Joannes* in inſulam *Pathmos* in exilium

relegatus erat, duodecimus poſt *Julium* Imperator extitit. Qui ergo ex Hiſtoriis di dicit, ſeptem regiminum formis imperium *Romanum* ſucceſſive fuiſſe adminiſtratum haut difficile ei erit verborum ſenſum inveſtigare: prima autem earum formarum fui poteſtas Regum, altera Conſulum, tertia Decemvirorum, quarta Tribunorum mi litiæ, quinta Triumvirorum, quæ quidem omnes, cum *Joanni* hæ viſiones revela rentur, præterierant: *unus* autem, puta ſexta regiminis forma, quæ dicitur *eſſe* erat Cæſarum abſoluta dominatio, necdum hierarcharum eccleſiaſticorum molitio nibus labefactata. *Alius*, videlicet ſeptimus, *nondum venit*, quo innuitur Politico-eccleſiaſticum regimen, ſub Cæſaribus Chriſtianis, cum adhuc ſumma rerum penes Cæſares eſſet. *Qui cum venerit, ad puſillum temporis manere debet*: myſtarum quippe ambitio cito ſupra ipſos Imperatores ſeſe extulit, in quam quidem eccleſiaſtico-politiam quadrant ſequentia verba: *Beſtia autem ſecunda, quæ* (quatenus) *erat, nec eſt*; *etiam octavus rex eſt*. Hæc autem imperandi ratio à multis retro annis duravit, *eſtque ex ſeptem*, id eſt unus ex ſeptem dictorum regiminum formis, ex ſeptima videlicet reſtituta originem ducens.

Præter dictas obſervationes notandum eſt, ſæpe etiam ad verum Scripturæ ſenſum percipiendum, non exigui eſſe momenti, genuinam Hebraïcarum Græcarumque vocum intelligentiam, quarum impropria, vel à loci ſcopo abludens interpretatio, in S. Literis magnam ſæpenumero ambigui atem & obſcuritatem parit: cujus inter multa, quę paſſim occurrunt, unum exemplum proponam ex 1 Petr. 4. 15, *cavete ne quis ex vobis patiatur ut fur, aut maleficus, vel* (ſicut nonnullorum verſio habet,) *ut qui ſe aliorum negotiis immiſcet*, ubi in Græco eſt ἀλλοτριεπίσκοπος, quam vocem ſi eo quo dictum eſt modo transferas, percipi non poteſt, quo pacto is qui tale peccatum committit, in magiſtratus manus incurreret: ſi vero eam vertas, qui alienis rebus imminet, ſicut ſpeculatores & raptores ſolent, manifeſtus erit ſenſus. Illi vero qui linguas iſtas non callent, ex variorum interpretationibus, inter quos non deſunt qui veram vocum etymologiam reddunt, non parum luminis haurire poſſunt.

II. Ad *hiſtorias* quod attinet, ubi res geſtæ nude & ſimpliciter narrantur, earum intellectus utplurimum non magnam præbet legentibus difficultatem. Præterquam quod in circumſtantiis nonnunquam obſcuritas aliqua hæret, ut de ſignificatione vocum *Dudaïm* Gen. 30. 14, 15, 16, de *Urim* & *Thummim*, de inſtrumentis, veſtibus, partibus Templi & ſimilibus, quæ ſcire non magni intereſt. At vero in hiſtoricis, præſertim Veteris Inſtrumenti libris, nonnunquam incidimus in narrationes, quæ ſecum invicem non uſquequaque videntur convenire, quales ſunt temporum notæ & hominum appellationes. Quæ diſcrepantia per deſcriptorum hallucinationem aut incuriam commiſſa cenſeri debet, ex ſimilitudine Hebraicarum literarum, quæ ſ pro notis numeralibus utuntur, נ nun *n* & ג gimel *g*. ד *d* & ר *r*. כ *k* & ב *b*. ם *m* & ט *t*. ה *h* & ח *ch* &c, quarum una pro altera poſita magnam diverſitatem in ſenſu frequenter parit. Reliqui vero loci, qui ſibi invicem repugnare videntur, ex diligenti circumſtantiarum inter ſe collatione facile conciliari poſſunt. De quibus vide ea quæ paſſim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

paſſim in hoc tractatu, nec non Lib. 2. capp. 1. 2. 3. 4. 5 diſputavimus.

III. Jam ut de *doctrinis* agam, ſub quibus ut dixi, comprehendo præcepta, interdicta, exempla, promiſſa, minas, parabolas & rationes, quibus ut ad pietatis ſtudium nos accendant, & à vitiis deterreant, Sacri Scriptores utuntur, in eis, præter jam dicta, ad duo precipue attendere oportet, ſcopum nempe authoris, & loci circumſtantias.

I. Scopum igitur quem Divinus aliquis ſcriptor intendit, ut rite percipiamus, quatuor præcipuè conſideranda veniunt.

1. Primum eſt ut totam rem de qua agitur continua ſerie legamus, & diligenter notemus, num Author ipſe diſertis verbis finem quem intendit exprimat, quod à *Luca* factum eſt Euangelii ſui cap. 18. 1: *dixit autem eis etiam ſimilitudinem, huc ſpectantem, quod oporteat nos ſemper precari*, item verſ. 9: *dixit etiam ad nonnullos, qui ſe juſtos cenſebant, & alios nihili faciebant, hanc parabolam*, nimirum ut doceret quam fœdum hoc in oculis Dei eſſet. In his ergo & ſimilibus locis, ubi ſcopus tam clare indicatur, nulla eſt difficultas.

2. Conſiderandum eſt quanam occaſione hoc vel illud ſcriptum aut pronunciatum fuerit. Ita cum 1 Cor. 16. 12 ait Apoſtolus, *ſi vero Chriſtus prædicatur, quod ex mortuis ſit ſuſcitatus, cur ergo quidam inter vos dicunt, non eſſe reſurrectionem mortuorum* [*exſpectandam?*] hinc liquet, cum is error occaſionem ſcribendi dederit, Apoſtolum hoc agere, ut probet piorum mortuorum reſurrectionem futuram eſſe, & quæcunque porro adfert, ad iſtius ſententiæ ſuæ defenſionem, & contrariæ refutationem pertinere.

3. Notari oportet num ſcriptor alicubi concluſionem exprimat, ſive ex antecedentibus, ſive ex ſequentibus; cum concluſio ſemper quæſtionem ipſam, ſive id quod probare aliquis intendit, in ſe contineat. Sic ex verbis Pauli Rom. 3. 28, *concludimus ergo hominem juſtificari ex fide abſque operibus Legis*, colligere licet, his verbis contineri id quod inter ipſum & Judæos controvertebatur. Item cum ait Rom. 6. 12: *ne igitur peccatum dominetur in mortali veſtro corpore* &c, patet eum tota illius orationis ſerie voluiſſe oſtendere, quod hoc omnino ſit indecorum Chriſtianis. Similiter 1 Theſſ. 4. 18, ubi poſtquam multa diſſeruiſſet de reſurrectione eorum qui in fide mortui erant, tandem epilogi loco ſubjicit, *conſolamini ergo vos mutuo iſtis verbis*, unde apparet omnia quæ in præcedentibus dicta ſunt, ad ſolatium eorum quos à piis conſanguineis vel amicis mors avulſerat, adducta eſſe, Vide etiam ſimile exemplum 1 Pet. 4. 19.

4. Poteſt etiam interdum ex ipſa orationis ſerie & argumentis quæ adducuntur, authoris intentio animadverti. Sic epiſtola ad *Hebræos* oſtendit, ſcriptori illius nihil fere aliud propoſitum eſſe, quam ut Euangelicæ legis præſtantiam ſupra *Moſaïcam* demonſtret. Sunt & forte præter hæc alia illius inveſtigandi media, mihi hactenus incognita, quæ ſi cui ſuppetunt, haut exiguam ea indicando à me & multis piis inibit gratiam.

Reſtat ut oſtendamus, quantum ex hac inveſtigatione emolumenti capere poſſimus: id quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

id quod in nonnullis à me allegatis exemplis nunc oſtendere aggredior. Cum ergo dominus *Jeſus* ſub parabola injuſti judicis Luc. 18. 1, precum aſſiduitatem ſuis commendaverit, ad impetrandum à Deo dona ſpiritualia, quibus in mediis perſecutionum procellis conſtantes perſiſtant, non hoc ita accipiendum eſt, quaſi vindictam eos divinam petere ſuadeat, quod alicui forte ex verſ. 7 & 8 in mentem incidere poſſet; ſed videndum quænam interpretatio, ad dictum ſcopum collimet: Nam cum Dominus dixiſſet, *audite quid injuſtus judex dicat?* dicit autem, *cauſam ejus viduæ ſe ſuſcepturum*, vel *vindicaturum eam, ne perpetuo veniens ſibi aures obtundat*; pro hoc in apodoſi ponit, *num ergo Deus non vindicabit electos ſuos?* id eſt eorum preces non exaudiet? exauditio autem iſta cum impiorum, qui eos afflixerunt, exitio conjuncta fore intelligitur. Deum, qui bonus eſt, malo comparat judici; electos, *nocte dieque ad eum clamantes* (non ob vindictam, à qua longe abeſſe debent, ut ex Matth. 5. 43, 44, 45 aliiſque locis patet) *viduæ*; moroſitati & impatientiæ injuſti judicis ad viduæ preces, opponitur Dei ad preces piorum longanimitas, quem tantum abeſt ut eæ offendant, ut gratioſe & libenter precantes exaudiat. Atque hæc de ſcopo dicta ſufficiant.

II. Sequuntur nunc circumſtantiæ, quę ad loci alicujus intellectum luminis aliquid afferre poſſunt. Eæ autem quatuor ſunt. 1 Stylus ſive character dicendi, id eſt modi quidam loquendi & phraſes, ſcriptori Sacro peculiariter propriæ, inque hoc vel illo ſenſu uſurpatæ. Ita in Pauli epiſtolis phraſin, *per opera*, *ex operibus*, ſive *ex operibus Legis juſtificari* frequenter reperias, apud Joannem vero *in principio*; qui etiam non raro præterita pro præſentibus aut futuris, & contra ponere ſolet. Iſtiuſmodi ergo phraſes, vel ex oppoſito ei membro, vel ex authoris ſcopo, vel ex jam dictis & adhuc dicendis intelligi debent.

Ex oppoſito membro intelligitur ſignificatio vocis *injuſtitiæ* Joh. 7. 18, *is verax eſt, nec ulla injuſtitia in eo eſt*, ubi ex oppoſita voce veracis, apparet *injuſtitiam* pro falſiloquio accipi debere. Sic Rom. 1. 18, *qui veritatem per injuſtitiam ſupprimunt: per injuſtitiam* id eſt falſa dogmata. Item 2. Theſſ. 2. 10, 12 *in omni deceptione injuſtitiæ [per omnem deceptionem falſæ doctrinæ & falſa miracula] in iis qui pereunt, pro eo quod amorem veritatis non receperint. Ut omnes damnentur qui veritati fidem non adhibuerint; ſed injuſtitiæ* (mendacio) *ſe oblectarunt.*

Ex authoris ſcopo intelliguntur locutiones, quæ ſemel aut bis tantum in S. Literis occurrunt, quales ſunt: *ubi cadaver eſt, ibi congregabuntur aquilæ* Matth. 24. 28, ex Jobi 39. 33. *Da gloriam domino* Joh. 9. 24. Joſ. 7. 19. *Beatius eſt dare quam accipere* Act. 20. 35. Quorum interpretationem videre licet in D. Brenii, aliorumque ſuper iſtis locis explicationibus.

2. Altera ad quam attendere oportet circumſtantia, eſt pręcedentium cum ſequentibus nexus ſive cohærentia, & viceverſa, vel utriuſque ſimul: cum enim videmus loci cujuſdam expoſitionem cum antecedentibus vel conſequentibus non cohærere, aut cum eiſdem non convenire, proculdubio non erit vera. Id quod

Matth. 24.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Matth. 24. 30, 31 apparet, ubi verba ſic ſonant: *Tum vero in cælo apparebit ſignum Filii hominis, & omnes terræ nationes flebunt, videntes Filium hominis in nube venientem, cum magna potentia & gloria. Atque is emittet Angelos ſuos cum tuba ſonora, congregabuntque electos ejus à quatuor ventis, ab extremo cælorum ad eorum extremum.* Si locum hunc de extremo judicio accipere volumus, ut à pleriſque fit, tunc ſequentia minime cum pręcedentibus cohærebunt, nec cum iis quæ ibi dicta fuerant conſentient, quæ ſic habent: *diſcite autem à ficu hanc parabolam, cum ramus ejus molleſcit, & folia pullulant, æſtatem inſtare noſtis. Ita & vos, cum* N. B. *omnia hæc videbitis, ſcitote prope eſſe præ foribus.* Quibus verbis Dominus manifeſte indicat, omnia illa quę adventum ſuum præcedere debere dixerat, & ſpeciatim illud quod *ſignum Filii hominis* appellaverat, & quæ poſtea ſequuntur, non ipſum ejus adventum, ſed ſigna illius prænuncia tantum eſſe, quemadmodum in tract. *de Regno eccleſiæ glorioſo* ab eodem *Brenio*, fuſius oſtenditur. Idem locum habet in verbis Pauli 1 Cor. 15. 50: *Hoc vero dico, fratres, quod caro & ſanguis regnum Dei hæreditare non poſſunt, nec corruptio incorruptibilitatem.* Per *carnem & ſanguinem* hic non carnales cupiditates intelligi ſed naturam morti obnoxiam, patet ex iis quę ſequuntur verſu 37, 38, *& ejus quod ſeris, non futurum corpus ſeminas; ſed Deus ipſe dat ei corpus quale vult, cuivis autem ſemini proprium ſibi corpus*; id eſt cuique ſeminum corpus ei conveniens aſſignavit, ita ut ſemini tritici non det corpus ſiliginis vel ſinapis, ſed tritico proprium. Eodem modo (ſimilitudinem hanc ad homines applicans) poſtea verſu 43 innuit de humano corpore agi, quod in terra quaſi ſeminatum, à Deo in ſpirituale & cæleſte corpus commutabitur: tale inquam corpus quod hominis cæleſti naturę conſentaneum erit.

Ex ſequentibus pręcedentia illuſtrantur Jacob. 2. 10, *qui totam Legem obſervat, & in uno offendit, is omnium reus factus eſt.* Quæ verba primo intuitu indicare videntur, quod qui vel unum duntaxat Legis mandatum tranſgreditur, æque pœnæ obnoxius ſit quam qui contra omnia deliquerit. Si vero oculos ad ſequentia tranſmittimus, ubi dicti hujus rationem reddit, facile apparebit longe alium horum verborum eſſe ſenſum: *qui enim dixit, non committes adulterium, dixit etiam non occides. Si ergo ab adulterio abſtines, ſed homicidium committis, tranſgreſſor Legis factus es.* Ex quo perſpicuum eſt Apoſtolum de talibus delictis agere, quæ Lex morte plecti juſſerat: quaſi diceret, qui unum iſtorum criminum, quibus capitalis pœna in Lege eſt conſtituta, commiſerit, perinde mortis reum eſſe ac qui omnia.

Ex præcedentibus & ſequentibus ſimul conjunctis manifeſtus evadit ſenſus verborum ejuſdem cap. Jacobi verſ. 21: *Pater noſter Abraham, nonne ex operibus juſtificatus eſt, cum filium ſuum Iſaacum obtulit ſuper altari? Ex operibus* id eſt ex hujuſmodi *operibus*, quæ ex fide proficiſcuntur, quod ex proxime præcedenti verſu liquet, cum inquit: *vis igitur ſcire o vane homo, quod fides ſine operibus mortua ſit?* item ex verſu ſequente, *vides igitur fidem una cum ipſius operibus cooperatam fuiſſe, eamque ex operibus perfectam extitiſſe?*

3. Tertia circumſtantia eſt linguę ſcriptoris proprietas, à qua nunquam niſi ne-

ceſſitas urgeat recedendum eſt, ſicut in Pauli verbis 1 Cor. 2. 14 uſu venit, qu: nonnulli ita vertunt: *naturalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, nec poteſt inte ligere* &c, id eſt eum qui Naturæ inſtinctus ad voluptatum fruitionem ſequitur. Ve bum δέχεται, non *intelligere*, ſed *recipere*, fide ſcilicet, ſignificat.

4. Quarta circumſtantia eſt locorum inter ſe ſimilium collatio, quæ poſtulat, u ſi locus aliquis occurrit ambiguus vel obſcurus, cujus ſententia alibi clarius exprimi tur, obſcurum à perſpicuo lucem fœneretur, non contra. Sic v. g. cum legimu Rom. 1. 17: *juſtitia enim Dei in eo* (Euangelio) *revelatur ex fide in fidem.* Hic voces *e fide in fidem* quæ difficultatis nonnihil habent, alibi ita efferuntur, *juſtitia Dei per fide Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt* cap. 3. 22. Pro eo quod prius obſcuri dixerat *ex fide in fidem*, hoc loco expreſſius dicit, *juſtitiam Dei per fidem Jeſu Chriſti i & ſuper omnes credentes* patefactam eſſe. Manifeſtum enim eſt voces *ex fide in fidem* ob ſcuriores eſſe illis, quas ex cap. 3. 22 adſcripſimus.

Accidit autem nonnunquam obſcuritatem in eo conſiſtere, quod videatur locu aliquis pugnare cum ſententia alibi in Scripturis clarè enunciata. Sic quod Luc. 6. 3 habetur, *beati eſtis vos pauperes*. cui ex oppoſito reſpondet, *væ vobis divitibus* verſ. 24 videtur pugnare cum eo quod Act. 20. 35 à *Paulo Epheſinæ* Eccleſiæ Epiſcopis incul catur, *beatius eſt dare quam accipere.* Ut igitur ἐναντιοφανὲς illud tollatur, attender convenit quænam verba proprie ſumta, à Divinæ rationis norma, vel apertis Scri pturæ documentis deflectant. Priorem locum quod attinet, ſi per pauperes, vel u iidem appellantur Matth. 5. 3 *pauperes ſpiritu*, intelligimus eos qui non temere nec e aliqua ſua culpa, ſed ob Divini numinis reverentiam, & Euangelicam juſtitiam ad paupertatem ſunt redacti, ut ſpiritui Dei ex animo obediant, beatos prædicari, nulla erit difficultas. Poſterior vero locus ubi *beatius eſſe* aſſeritur *dare quam accipere*, ſi quis ſimpliciter & ut verba ſonant explicare eum vellet, non omnino veritati conſentiret: nam licet is qui aliis largitur, propter Chriſti præceptum id liberali animo faceret, non ideo magis Deo placeret quam is quem deſcripſimus pauper, qualem Chriſtus ipſe ſe præſtitit. Hæc igitur nos monent paulò attentius conſiderare, num per ea quæ ſuperius indicavimus media, verus verborum ſenſus erui poſſit. Hunc autem clariorem nobis reddet occaſio, quæ *Paulum* ad hæc dicendum impulit. Ea nulla alia eſt, quam quod cauſam exponere velit, cur infirmitati *Epheſiorum* conſulens, ſtipem ab eis accipere recuſaſſet pro miniſterio Euangelii, ſed maluiſſet ipſe ſuis manibus laborare, ut interdiu Euangelium annuncians, noctu ſibi ſuiſque comitibus de victu proſpiceret. Unde manifeſtum eſt hanc eſſe mentem Apoſtoli, quod videlicet in caſu offendiculi infirmorum, ubi periculum eſt ne in ſuſpicionem incurramus, quod lucri cauſa Euangelium annunciemus, ſatius ſit labore aliquo honeſto victum ſibi parare, quo aliis etiam indigentibus aliquid largiri poſſimus, quam ſtipem accipere.

Nunc omnia ſuperius dicta, memoriæ juvandæ cauſa, in ſummam collecta ſubjiciemus.

Media

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Media ad ſcripturas intelligendum ſunt 1 generalia, 2 ſpecialia.

Generalia ſunt 1 Deo placendi ſtudium, 2 ſedulum exercitium, & 3 aſſiduę preces.

Specialia ſunt, 1 ut legendo memoriæ infigamus quo ſignificatu verba vel phraſes Propheticæ ab aliis Sacris Scriptoribus, vel iis ipſis quorum lectioni incumbimus, accipi ſoleant.

II. Cognitio generalis, præcipuarum rerum, ab Orbe condito per eum geſtarum.

III. Linguarum Hebraïcæ & Græcæ notitia.

IV. Conducit ſcopum authoris inveſtigare, cujus quatuor ſigna innuuntur.

1. Ex ipſius ſcriptoris verbis ſcopum exprimentibus.

2. Ex occaſione qua aliquid dictum ſit.

3. Ex concluſionibus, ſi quę alicubi occurrant.

4. Ex ſcribendi tenore, & rationibus ad probandum quod intenditur, allatis.

V. Loci circumſtantias attendere, quarum 4 ſpecies recenſentur.

1. Loquendi modus Scriptori Sacro proprius aut familiaris.

2. Antecedentium cum conſequentibus, & vice verſa, ſecum invicem collatio.

3. Proprietas linguæ qua libri divini conſignati ſunt.

4. Locorum cum eis qui magis perſpicui diligens collatio.

Quibus omnibus, colophonis vice, 2 ſequentes generales regulæ addi poſſunt.

1. Nullam interpretationem S. Scripturæ admittendam eſſe, quæ vel cum clariſſimis, & apud neminem controverſis Sacræ Scripturæ ſenſibus, ex iiſque formata ſana ratione, vel ſibi ipſi, vel evidenti ſenſuum externorum experientiæ repugnat.

2. Si propria verborum ſignificatio in nullam dictarum conditionum impingat, ab ea minime eſſe deflectendum.

Paralipomena Cap. I & II

Locorum Utriuſque Fœderis, quæ contraria eſſe videntur.

SEquentia loca omittere conſtitueram, non quod ea non ſcirem contrarietatis ſpeciem habere, ſed quia eorum reconciliationem ex iis quæ prioribus quinque capitibus diſſerui, ab unoquoque peti poſſe, ſaltem nullum ſcrupulum in animis hominum relictura credidi, ubi iſta multo difficiliora reconciliata, & ab omni abſurditate vindicata viderent. Poſtquam autem libri ſecundi octo Capita jam à prelo rediiſſent, in mentem venit, malevelos fortaſſis hinc occaſionem arrepturos calumniandi, quaſi difficillima loca à me fuiſſent omiſſa, quocirca placuit ſequentium conciliationem adjicere. Nondum autem hic omnes locos

poſui, qui contrarii indicare alicui videri poſſint. Sunt enim nonnulli, qui laudem ex eo venari velle videntur, quod magnum numerum in Scriptura corradere potuerint locutionem, quæ ſibi invicem repugnare prima fronte videri queant. Non quod revera ſpecies ſit contrarietatis, verum ex eo quod in multis 1. partem aliquam orationis, à reliquo corpore divulſam, ſeorſim ſcripſerint, eique orationem contrarium ſenſum continentem è regione oppoſuerint. Hujus generis eſt quod Joh. 7. 39 Spiritus Sanctus nondum fuiſſe dicatur: cum eodem verſu paulo ante indicetur, de Spiritu Sancto, fidelibus communicando, agi. Alias videretur eſſe falſum, quod Chriſtus aliique, Spiritu Sancto repleti fuiſſe dicantur. 2. Quod præcepta Veteris Fœderis, illis quæ in Novo ſunt injuncta e regione adſcripſerint. Hujus generis ἐναντιοφανεῖα eſt locus Jerem. 10. 25 cum Luc. 9. 56, multæque ſimiles. 3. Cum promiſſa piis à Deo per Prophetas vel alio modo data, contrariis minis, in impios vibrata, juxta ſe invicem ſcribunt, non expreſſis perſonis, quibus hæ vel illa ſint propoſitæ. Cujuſmodi eſt locus Eſa. 31. 5 cum Amoſ. 9. 9. Eſa. 26. 4 cum verſu 19. Eſa. 25. 7. cum cap. 29. 10. cap. 26. 10. cum XL. 5 &c. 4. Quando prædictiones ad infideles & rebelles ſpectantes, prædictionibus pios reſpicientes ſibi invicem ex adverſo adſcribunt. Ita locus Eſa. 64. 20. verbis Jerem. 3. 12 opponi poſſet. 5. Cum diverſis perſonis res diverſæ vel contrariæ tribuuntur, eæque juxta ſe invicem ex latere collocantur, nec contrarium utriuſque genium vel mores, in ipſo textu ſatis indicati adduntur. Talis eſt locus Eſa. 62. 1, 6, verbis Amoſ. 5. 13 è regione adſcriptus. Item Rom. 2. 25 cum Gal. 5. 2. Rom. 14. 16. cum Gal. 4. 10. 1 Cor. 10. 33 cum Gal. 1. 10. 6. Cum loca, quorum alterius ſenſum figuratum eſſe, alterius proprium neminem latere poteſt, ſecum collidunt. Vide locum Eſa. 57. 19, eumque cum Ezech. 16. 49 confer. 7. Cum ea quæ Chriſtus de ſe vel fidelibus affirmavit cum in terris degeret, illis quæ de eo vel illis, jam ad cæleſtem Regiam Majeſtatem evecto dicuntur, adverſari prętenditur. Hoc modo loca Matth. 12. 20 & Apoc. 2. 27 opponi poſſent. Nec non Joh. 9. 34. cum Joh. 12. 47. Joh. 12. 26 cum Joh. 13. 33. 8. Cum verba quæ improprie, ſive figurate intelligenda eſſe, ex ipſo loco per ſe patet, aliis verbis quæ propriam ſignificationem retinent, contraria ſibi invicem videri volunt. Hujus generis eſt, cum Luc. XI. 41 verbis Pauli 1 Cor. 13. 3 opponitur. 9. Quando id quod de tempore quod gratiam Euangelicam præceſſit, dictum eſt, ei quod de Euangelica gratia pronunciatum eſt, opponunt. Ita locus Dan. 9. 24 verbis Joël. 2. 28 contrarius videri poſſet. Nec non Rom. 3. 29, cum Epheſ. 2. 11. 10. Voces eaſdem in diverſa ſignificatione poſitas, vel de alia re agentes, quaſi de eadem re agerent, adſcribunt. Sic Luc. 1. 29 regni *Chriſti* non dicitur futurus eſſe finis: cui contrarium videtur, quod *Paulus* 1 Cor. 15. 24 dicat, poſt mortuorum ſuſcitationem Chriſtum regimen abſolutum in omnia, Patri redditurum, non vero in Eccleſiam. Vel *finis* priori loco de regimine, poſteriori de Mundi duratione intelligitur. XI. Nugaciter multa loca ſibi invicem opponunt, quæ nemo contraria eſſe ſuſpicaretur, niſi alterius ſenſum futili ſua interpretatione depravarent. Ita verba Matth. 26. 28, ubi Chriſtus negat ſe de

fructu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

fructu vitis bibiturum, antequam glorificatus eſſet, exponunt de ordinario cibo (cum *Chriſtus* de vino Paſchali agat) eaque verbis Act. 10. 41, ubi Apoſtoli ſe poſt illud tempus cum *Chriſto* bibiſſe affirmant, opponunt. Vide etiam Luc. 24. 25 contra Johan. 17. 5. 12. Cum ea quæ diverſis temporibus conveniunt, quaſi de eodem tempore eſſent dicta, conſideramus. Cujuſmodi ſunt loca 1 Tim. 6. 16. 1 Joh. 3. 2, Apoc. 7. 15, & 21, 22. Luc. 23. 33 & Joh. 17. 9. 13. Cum uno in loco aliquid Chriſto tribuitur, quod alibi Deo vel hominibus adſcribitur. Vide Act. 16. 14 cum Apoc. 3. 20 & alibi. 14. Ex mala etiam vocum verſione nunnunquam ſenſus Scripturæ alicubi contrarius eſſe videtur. Huc pertinet locus 1 Cor. 6. 12, ubi vox οὐδενὸς de hominibus accepta, verbis 1 Cor. 9. 19 eſſet contrarius, cum de cibis & voluptatibus ſermo ſit. Item 1 Pet. 3. 18, ubi vox μόλις, quæ *difficulter* verti debebat, per vocem *vix* exprimitur: unde verbis ejuſdem Apoſtoli 2 Pet. 1. 11 contrarius locus videri poſſet: priori enim loco ad perſecutiones Apoſtolus reſpicit. 15. Sunt etiam nonnulla loca, ubi opus aliquod ſive actio duobus entibus tribuitur, alteri ut cauſæ principali, alteri ut minus principali, vel inſtrumentali, vel adjutrici. Ita ſibi invicem opponi poſſent loca 1 Cor. 12. 6 cum Apoc. 14. 13. 1 Cor. 12. 28. cum Epheſ. 4. 12. 2 Theſſ. 3. 3. Jud. verſ. 20. & ſimiles. 16. Cum alicui contrariæ qualitates, ſed diverſo reſpectu tribuuntur. Cujus generis ſunt loca 1 Cor. 15. 9 & 2 Cor. 12. 11. 1 Tim. 1. 13 & 2 Tim. 1. 3 &c. 17. Ex vocis diverſa ſignificatione loca quædam contraria videri poſſent. Ita locus Gal. 5. 17 verbis Epheſ. 6. 12 repugnare videtur, item 2 Tim. 4. 2 & 1 Pet. 2. 23. item 1 Joh. 2. 7, 8. Hebr. XI. 33 cum verſ. 37. Item locus Gal. 5. 17 negationi Paulinæ Epheſ. 6. 12 contrarius eſſe videri poſſet: quia vox *carnis* priori loco innatos affectus, poſteriori loco homines ex carne conſtantes denotat. confer Eph. 5. 29 cum Gal. 5. 24. Item 1 Cor. 10. 33 cum Gal. 1. 10. Epheſ. 6 6. Tit. 2. 9.

Quo pacto integra locorum contrarium volumina, eorumque conciliationes conſcribere poſſunt. Nos vero iſtiuſmodi locos plerumque (quando videlicet iſtæ conditiones cuivis obviæ eſſe videbantur) omiſimus.

1 Primus itaque locus erit Gen. 13. 15, 17, ubi Deus *Abrahamo* & ſemini ejus *Chananæorum* terram promittit. *Stephanus* vero Act. 7. 5 affirmat, Deum ne pedis quidem gradum *Abrahamo* in illa regione proprium dediſſe.

Si conjunctio *&* pro *aut* (ſeu pro particula explicativa *id eſt*, vel *quod eſt*, accipiatur, tunc nihil difficultatis hic remanet. Iſtud autem non apud prophanos tantum, ſed & apud Sacros Scriptores non inuſitatum eſſe, ſequentia loca indicant Dan. 4. 7. Matt. 21. 7 coll. cum Marc. XI. 7 & Luc. 19 33, 35. 1 Cor. 4. 9. VIII. 5. Coloſſ. 1. 3. Apoc. 14. 9, II. XV. 2 & ſimiles. Hunc autem verborum eſſe ſenſum, ex Gen. 12. 7. XV. 7 coll. cum verſ. 13, 14, 15, 16. XVII. 8 recte colligitur.

2 Exod. 22. 26 Deus prohibet, ne quis proximi veſtem, quam pignoris loco acceperat, poſt occaſum Solis penes ſe detineat. *Salomon* autem Prov. 20. 16. XXVII. 13 ait: *cape veſtem ejus qui pro alienigena ſpopondit* &c.

Nihil autem hic contrarium eſt: *Salomon* enim (qui nihil niſi proverbium hic pro-

 fert,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

fert, non præceptum vel conſilium) non vult ut veſtis poſt Solis occaſum detineatur; ſed tantum refert, quid ſecundum iſtud proverbium, fieri conſuevit: an vero veſtis poſt Solis occaſum detineri ſoleat, de eo nihil dicit: & quamvis diceret, nihil in eo ſuadet; ſed nude tantum, quid apud homines obtineat refert.

3. Deut. 2. 6 dicitur, *Iſraëlitis* nihil per quadraginta annos, quibus in deſerto oberraverant, defuiſſe. Contra cap. 8. 3 Moſes ait, Deum eos fame laborare ſiviſſe.

Sed facilis eſt conciliatio: quandoquidem tempus, quo poſteriori loco Deus eos penuria tentaſſe dicitur, & *Man* conceſſiſſe, ex cap. 16. 14, 15 Exod. apparet, iſtud ante quadraginta illos annos contigiſſe, ſex videlicet ſeptimanis poſtquam ex *Ægypto* diſceſſerant.

4. Deut. 20. 19 prohibentur *Iſraëlitæ*, in obſidione diuturna arbores fructiferas exſcindere. Contra 2 Reg. 3. 19 *Eliſæus* dicit, eos omnes bonas arbores exciſuros.

Priori loco non modo de diuturna obſidione agitur, ſed etiam de nationibus, quas ex Dei præſcripto non tenebantur funditus delere; ſed prius pacem offerre, verſ. 10 coll. cum verſu 16. (locus ſaltem commodiſſime de illis accipi poteſt) alter vero locus de *Moabitis* agit, quos penitus exſtirpare tenebantur Deut. 23. 3, 6.

5. Deut. 23. 1, 2, 3, 6 Deus prohibet, ne in Iſraëlitarum cœtibus admittantur *ſpurii*, *eunuchi* aut *Moabitæ* &c: tamen Judic. XI. 1, 11 *Jephta* ſpurius in cœtu admiſſus eſt. *Ruth Moabitis* erat Ruth 4. 10, & *Æthiops* iſte Act. 8. 13 eunuchus erat, & ad Templum *Hieroſolymitanum* fuit admiſſus.

Primo, per cœtum *Iſraëlitarum* ipſorum in atrium Templi interius ſive *Iſraëlitarum* congregatio intelligi debet, non vero aliarum gentium proſelytorum, in exteriori atrio congregatio. 2. *Gileaditarum* iſtud factum, qui *Jephtham* in cœtum introduxerunt, contra Dei præceptum factum eſſe potuit. Nec etiam à Deo, ſed à populo, citra Dei conceſſionem accitus fuit. *Rutham* vero præceptum iſtud non concernebat, utpote muliere proſelyta. Ita de Eunucho non dicitur, eum in *Iſraëlitarum* cœtu fuiſſe, ſed procul dubio in proſelytarum atrio, cum cæteris proſelytis conſtitit. Nec deſunt qui præcepto iſto non à congregatione ad Sacrificia & preces, ſed à juribus & privilegiis excluſionem intelligi exiſtimant. Cui ſi contrarium ex ipſa Scriptura oſtendi nequeat, & hæc pro juſta ſolutione & conciliatione admittenda eſt.

6. Joſuæ 13. 25 *Moſes* dimidiam regionem *Ammonitarum* tribui *Gad* dediſſe dicitur: at Judic. XI. 15 *Iſraëlitæ Ammonitarum* terram non cepiſſe à *Jephtha* dicuntur.

Primum dico, ſi loca iſta nullo modo conciliari poſſent, neceſſe eſſe ut *Jephtah* mentitus fuerit, quemadmodum David 1 Sam. 27. 10, 11, 12. Vide dicta cap. 1. pag. 145, ad locum Gen. 12. 13, 19. Secundo à Belgicis Ordinum interpretibus aliiſque jam animadverſum eſt, oppida quæ *Iſraëlitæ Ammonitis* eripuiſſent, non *Ammonitarum* fuiſſe regionem, ſed eam quam *Moabitæ* prius *Amoritis* eripuerant, & poſt eos *Ammonitæ*, prout ex Num. 21. 25, 26 & ſeqq. apparet. Atque iſto ſenſu *Jephtham* negare, *Iſraëlitas Ammonitarum* terram occupaſſe: quæ conciliatio omnino juſta eſt.

7. Joſ. 19. 40 & ſeqq. ſors *Danitarum* recenſetur quam poſſederunt. Contra

Judic.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Judiç. 18. 1 *Danitæ* hæreditatem inter *Iſraëliticas* tribus non accepiſſe dicuntur.

Quod ita ab iiſdem interpretibus conciliatur, ut poſterior locus de nonnullis tantum ex *Danitica* tribu accipiatur: quod eodem capite verſu 11 expreſſe indicatur de ſexentis viris eſſe intelligendum. Adeo ut *Dan* tribus nimis adhuc anguſtam hæreditatem habens, ampliorem regionem quærere fuerit coacta, quemadmodum in principio adhuc ſemel fecerat Joſ. 19. 47.

8. Pſal. 19. 8 *David* Legem Dei perfectam eſſe dicit. Contra Hebr. 8. 7, 8. Gal. 4. 9. Col. 2. 20 eam reprehenſibilem & imperfectam eſſe expreſſe aſſeritur.

Quæ facile inter ſe conciliantur: perfecta enim erat Lex *Moſaica* in ſuo genere, non vero reſpectu Novi Fœderis, quod poſtmodum demum pangi debuit. Sic puer perfectus eſſe poteſt reſpectu pueritiæ, imperfectus reſpectu virilis ętatis.

9. Pſal. 78. 24 *Moſes* Iſraëlitis panem è cęlo dediſſe dicitur, *Chriſtu* autem Joh. 6. 32 id expreſſe negat.

Si *Chriſti* verba alio ſenſu ſunt prolata (quod caput ſextum *Johannis* legenti non poteſt non eſſe perſpectum) quam *Davidis*, nulla erit pugna. *David* enim per *cœlum* aërea, & corporalem panem intelligit; Chriſtus de Dei domicilio & ſpirituali pane loquitur.

10. Obad. verſu 3 coll. cum verſu 6 & 1, *Eſaum* propter ſuperbiam à Deo punitum eſſe dicitur, & verſu 10 propter injuriam qua *Iſraëlitas* affecerat. *Paulus* vero ad Rom. 9. 11, 12, 13 ait, Deum *Eſaum* ante nativitatem odio habuiſſe.

Obadiam non de *Eſauo* individuo, ſed de poſteritate, poſt ejus mortem aliquot ſeculis vivente agere, non modo ex ipſo textu, ſed & tempore quo Propheta hæc dicebat, per ſe evidens eſt: ſimiliter poſteriora *Pauli* verba, ex Malach. cap. 1. 2 citata. Priora autem verba, quamvis de ipſa *Eſaui* perſona intellecta ſint, non tamen Deum odium in *Eſaum* concepiſſe indicant, antequam eſſet in lucem editus; ſed nihil aliud indicant, quam Deum deſtinaſſe ut *Eſaui*, quamvis primogenitus eſſet futurus, poſteri, *Jacobi* proſapiæ forent ſubjiciendi, vel poſtponendi. Quod ex Gen. 25. 23, unde *Paulus* iſta verba citavit, manifeſtum eſt.

XI. Matth. 5. 16 *Chriſtus* pręcipit, ut pietas noſtra, nobis ipſis id intendentibus atque efficientibus, hominibus innoteſcat. Contra cap. 6. 1, 3, 5 prohibet, ne liberalitas noſtra culpa hominibus ſit nota.

Qua de re vix opus eſt monere, *Chriſtum* poſteriori loco non vetare, ne homines ſciant nos eſſe liberales, ſed ne gloriam hominum ex ea aucupemur.

12. Chriſtus Matth. 6. 10 jubet nos orare ut Dei regnum veniat. Sed Luc. 17. 21 dicit, regnum Dei in nobis eſſe.

Illis qui Scripturæ authoritatem hac & ſimilibus ἐναντιοφανείαις convellere volunt, reſponderi poteſt, priori loco *Chriſtum* diſcipulos docere, ut adventum regni Dei orent; qui tum à Deo erat impetratus, cum *Chriſtus* diceret Regnum Dei in illis eſſe, id eſt in illorum regione (loquitur enim de Phariſęis verſu 20) jam regem adeſſe, & regni fundamenta collocari. Pro Chriſtianis vero ita reſpondeo, *Chriſtum* docere, ut

Deum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Deum rogemus, ut glorioſum iſtud regnum, quod fidelibus eſt pollicitus, quam primum fieri poſſit, erigere velit: poſteriori loco indicat, initia regni iſtius jam inter illos exiſtere, & ſi velint in ſe credere, jam regnum reipſa erigendum eſſe. Exiſtimo enim Deum in animo habuiſſe, ſi *Judæi Chriſtum* unanimiter recepiſſent, regnum iſtud glorioſum ſtatum erigere. Quemadmodum in principio, cum eos ex *Ægypto* per *Moſen* eduxiſſet, ſi in fide conſtantes permanſiſſent, eos ſtatim in terram promiſſam introducturus fuiſſet. Qua de re alias pluribus egimus.

13. Matth. 7. 22 *Jeſus Chriſtus* dicit, in Judicio divino, quod in omnes exerciturus ſit homines, multos impios & hypocritas ipſi dicturos, *Domine, Domine!* *Paulus* vero 1 Cor. 12. 3 ait, neminem *Jeſum* poſſe appellare Dominum, niſi per Spiritum Sanctum. Confer 1 Joh. 4. 2, 3 & alibi.

Non credo quempiam fore, qui credat *Paulum* poſteriori loco voluiſſe docere, neminem poſſe vocem ad *Jeſum* dirigendo, eum appellare *Dominum*, niſi per Spiritus Sancti inſtinctum; cum nemo ſobrius & mentis compos adeo delirare poſſit, ut iſtud exiſtimet. Itaque ſtatuendum eſt *Pauli* mentem non eam fuiſſe quam verba ejus primo intuitu præ ſe ferunt, ſed longe à verbis Chriſti diverſam. Atque iſtud plane ſufficit, ad contrarietatem tollendam, quamvis *Pauli* mentem non explicare poſſemus. Sed ut accuratius agamus, conſtat tempore prædicationis *Pauli* Apoſtoli, hæreticos in primitiva fuiſſe Eccleſia, qui *Jeſum* a *Chriſto* diſtinguentes (quemadmodum ex *Irenæo* conſtat) eum *Chriſti* tantum habitaculum fuiſſe, non vero ipſum *Chriſtum*, ſive *Meſsiam*. *Jeſum* quidem multa præcepta, de abnegatione carnis dediſſe, eumque multa à *Judæis* paſſum, & tandem cruci affixum fuiſſe; ſed à Deo fuiſſe rejectum, *Chriſtum* vero, de cœlo demiſſum vel delapſum, cum in *Jeſu* habitaret, nihil paſſum eſſe, ſed in cruce *Jeſum* deſeruiſſe, & cœlum repetiviſſe. Non igitur *Jeſu* iſtius hominis ψιλοῦ *vilis* præcepta ſive legem eſſe obſervandam, ſed libere ex gratia *Chriſti*, qui ſuos nullis legibus adſtrinxit, vivendum eſſe. Vitam igitur ex *Jeſu Chriſti*, qui carnem & mundanas voluptates abnegandas eſſe docuit, præſcripto inſtituere, appellat *Jeſum Dominum appellare* ſive profiteri. Atque iſtud neminem, niſi ope Spiritus Sancti pręſtare poſſe indicat; & ſic nihil *Chriſti* verbis contrarium docet, prout alibi fuſius docuimus.

14. Matth. cap. 10 verſu 8 *Chriſtus* jubet, ut Apoſtoli miraculoſa beneficia *gratis* hominibus exhibeant. At Luc. 10. 7 concedit ut victum ab hominibus accipiant.

Ad quod vix opus eſt reſpondere, vocem *gratis* non victui, ſed opibus opponi: & nihil aliud prohibere, quam ne donaria pro ſanationibus accipiant, nec lauta convivia ſectentur, ſed illius qui primus eis hoſpitium offerret, quamvis tenui victu, contenti vivant, nec quidquam præterea à quoquam accipiant.

15. Sed eodem Matth. 10 capite verſu 9, 10 *Chriſtus* interdicit Apoſtolis, ne calceos in itinere ſecum ſumant, nec ſcipionem. Contrarium autem expreſſe Marc. 6. 8, 9 injungitur, ut videlicet ſcipionem & calceos aſſumant.

Nihil hic contrarietatis hęc loca continent. Nam in priori loco *Chriſtus* nihil aliud inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

interdicit, quam ne duas tunicas [duos] calceos, id eſt bina calceorum paria, nec [alterum] baculum aſſumant. Nec deſunt exemplaria manuſcripta, quæ pro voce ῥάβδον, ῥάβδους *baculos* habent. Non vult *Chriſtus*, ut in futurum uſum quidquam ſecum ſumant; ſed ipſius & Dei providentia freti, nullos calceos, præter eos quos pedibus gerebant, non ſcipionem, præter illum quem manu geſtabant, in itinere haberent. Quemadmodum longinquum iter ſuſcepturi ſibi in caſum proſpicere ſolebant, ſi forte baculus frangeretur, calcei detererentur vel tunica. Et ſic vox *duo* verſu 10, voci *tunicas* addita, ἀπὸ κοινοῦ in duabus ſequentibus repeti debet, more loquendi omnibus ſcriptoribus familiari.

16. Matth. 10. 23 *Chriſtus* injungit Apoſtolis, ut quando eos homines perſequuntur, in aliam civitatem fugiant. Contra Joh. 10. 11 eos mercenarios & non fidos paſtores appellat, qui fugiunt, & vita pro ovium ſalute privari recuſant.

Cum perſecutio non ſeductionem, ſed vim reſpiciat, eaque proprie à Magiſtratu, interdum vero à rabie populi ſit exſpectanda; *Chriſtus* eam priori loco, quando jam nos reipſa inſequuntur, nec permittunt in aliqua civitate manere, fuga declinare docet. Alter vero locus de ſeductoribus agit, adverſus quos paſtores vigilare mandat, nec ullum capitis periculum, vel ab illis, vel per illos à Magiſtratu imminens, formidare, ut veritatem contra eos defendere non audeant. Hunc vero poſterioris loci eſſe ſenſum, ex nomine *paſtoris*, quod verſu 10 *Dominus* ſibi ipſi tribuit, nec non *furum* & *mercenariorum*, qui oves deprædari tantummodo (id eſt in ſuas partes pertrahere, ut lucrum ex illis captent) conantur, manifeſtum eſt, vel ſaltem eſſe poſſe (quod ad contrarietatem expungendam ſufficit) nemo negare poteſt: cum oppoſitio id omnino requirat, vel ad minimum permittat.

17. Matth. 10. 32 *Chriſtus* ſub æternæ condemnationis pœna, veritatis ſive fidei publicam confeſſionem à Chriſtianis exigit, nec nullo periculorum metu deterreri vult. *Paulus* autem Rom. 14. 22 dicit, *ſi fidem habes, eam penes teipſum habeto coram Deo.*

Primo Chriſtianę religionis adverſariis reſpondeo, *Paulum* indicare, fidei profeſſionem non apud infideles, ſed apud fideles poſſe vel debere omitti, à quibus nullus erat perſecutionis metus, ſed ut diſſidia & offenſiones vitentur. *Chriſtus* autem apud infideles quid agendum, nec periculorum metu omittendum ſit, præcipit. Pro *Chriſtianis* dico *Paulum* voce *fidei* non ipſius Chriſtianæ religionis profeſſionem, ſed fidem ſive perſuaſionem, omnibus cibis Lege vetitis ſub Novo Fœdere veſcendi libertatem à Deo eſſe conceſſam, quod ex orationis contextu per ſe liquet: hanc fidem vult ut nonnunquam corde premamus in eo, quod propter infirmos ex *Judæis* Chriſtianos ab iſtis abſtineamus, perinde ac ſi iis veſci illicitum eſſe crederemus; interim quid ea de re ſentiamus minime diſſimulantes, quemadmodum idem Apoſtolus exemplo ſuo eodem capite verſu 14 nos docet.

18. Matth. 15. 12, 14 *Chriſtus Phariſæorum* offenſionem nihil curari vult, in non obſervando præcepta hominum in Dei honorem. Capite autem 17 verſu 27 in ſimili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

bus hominum mandatis offenſionem vitare, ea obſervando voluit.

Priori loco de *Phariſæorum* offenſione, in religionis negotio agitur, poſteriori d Magiſtratus in rebus civilibus.

19. Matth. 15. 14 *Chriſtus Phariſæos* & *Scribas* cæcos appellat. Joh. 9. 41 illis dicit *ſi cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc autem dicitis, videmus: manet igitur veſtrun peccatum.*

Ex ſecundo loco evidens eſt, eum per *cæcum* eſſe, nihil aliud ſignificare, quam ſen tire ſe eſſe cæcum: quemadmodum ex oppoſitione, *nunc autem* N. B. *dicitis videmus* manifeſtum eſt.

20. Matth. 15. 24 Chriſtus ſe non niſi ad *Iſraëlis oves amiſſas* miſſum eſſe affirmat Contra Joh. 10. 16 ait, ſe præter *Iſraëlitas* alias adhuc oves habere, quas ad idem cun *Judæis* ovile deducere debeat. Iſti autem non alii eſſe poſſunt, quam homines extr Judaiſmum.

Si poſteriori loco per *alias* iſtas *oves*, alios præter Judæos, qui non erant *perditæ Iſraë lis oves*, intelligi à Chriſto oſtendi poſſet, tum demum ſpecies repugnantiæ inter iſt loca eſſe videretur. Quamdiu autem illud nondum eſt demonſtratum, non licet re pugnantiam obtendere. Poſſunt autem priori loco per *oves* iſtas *amiſſas* illi intelligi qui ex *Iſraëlitis* morbis incurabilibus erant oppreſſi, ad quos ſolos ſanandum *Chriſtus* ſ à Deo miſſum eſſe affirmat. Nec tamen propterea illicitum ipſi fuit, ex aliis nationibus aliquot ægros, ſi ita expedire judicaret, ſanare. Cum vero poſterior locus de converſione ad fidem agat, omnis contrarietatis umbra diſparet. Si quis autem ex collatione hujus loci, cum Matth. cap. 10. 6 urgeat, hic non de ægris tantum, ſed Iſraëlitica natione agi, hoc nullam difficultatem pariet: nam ad eam in eum finem ſe miſſum eſſe hic tantum affirmare intelligendus eſt, ut eorum morbos ſanaret: quem ſenſum reſponſi occaſio (quæ preces erant mulieris *Chananitidis*, pro filiæ Dæmoniacæ ſanatione) unice poſtulat. Si quis autem citra neceſſitatem de prędicatione Euangelii verba accipi debere urgeat, tum de perſonali ipſius miſſione accipi poterunt. Cui non obſtat, quod poſt ejus mortem, & in cœlum adſcenſionem, Apoſtoli ad gentes miſſi ſunt, poſtquam *Judæi* Euangelium rejecerant.

21. Matth. 21. 12, 13. Joh. 2. 15 legitur, *Chriſtum* flagello mercatores, & animalia ex Templo expuliſſe, menſas nummulariorum & columbarum diruiſſe, & ipſam pecuniam in terram projeciſſe, idque bis feciſſe videtur. Quod nullo modo convenire vel conciliari poſſe videtur, cum ipſius præcepto Matth. 5. 39 & ſeqq. de non reſiſtendo malis.

Quandoquidem nunc de locorum ſibi invicem contrariorum conciliatione agimus, non opus eſt prolixe de hujus hiſtoriæ veritate vel poſſibilitate diſſerere, quæ non ſunt hujus loci. Si enim Sacræ Scripturæ authoritas ſtabiliri poſſit (quod toto hoc tractatu fecimus) ejus poſſibilitas facile comprehendi poteſt. Quamvis enim Templum non modo à *Romanis* militibus & *Levitis* cuſtodiebatur, ſed & tot illic eſſent homines, quos non paſſuros fuiſſe credibile videatur, ut unus homuncio, ſolo flagello ex funiculis

armatus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

armatus, omnes diſjiceret, & fugam capeſſere, pecuniis relictis cogeret. Facile tamen id intelligi poteſt: conſideranti tanto magis apparere, plane miraculoſam hanc fuiſſe actionem, quam ex Dei inſtinctu divina virtute *Chriſtus* fecerit: ut eo ſignificaret, omnes ſpirituales mercatores, ex Eccleſia aliquando à ſe ejiciendos eſſe Apoc. 19. 11 & ſeqq. Quo eodem reſponſo contrarietas ſimul eſt ſublata. Dei enim ſpeciali inſtinctu & mandato, idque non vi carnali, ſed plane divina & miraculoſa, hoc à *Chriſto* effectum eſſe, omnes quas memoravimus circumſtantiæ, planiſſime arguunt. Iſtud vero *Chriſtus* Matth. 5 neutiquam prohibuit.

22. *Chriſtus* ſcivit ſibi mortem violentam ſuſtinendam eſſe Joh. 12. 23, 24 & alibi. Et tamen Deum orat, ut ſe à morte conſervet, & non mori concedat Matth. 26. 38, 39. Joh. 12. 27.

Locum *Matthæi* de anxietate qua *Chriſtus* premebatur intelligi poſſe omnes agnoſcunt. *Johannis* autem verba de ipſa morte intelligenda eſſe negari nequit. At ſi interrogationem continere concedamus, tum omnis obſcuritas erit ſublata. Interrogative eſſe accipienda (quamvis id non opus habeam oſtendere) ſequentia verba omnino requirunt: dicit enim *quid dicam? Pater ſerva me ex iſta hora? ſed propterea ad hanc horam veni:* quibus poſterioribus verbis indicat, minime decere, ut petat ex iſta hora [mortis] liberari, & ſe minime hoc flagitare.

23. Matth. 26. 52 *Chriſtus Petrum* objurgat, quod gladio *Malchum* petiviſſet, eoſque qui gladio utuntur, gladio perituros affirmat: cum tamen Luc. 22. 36 expreſſe diſcipulis injunxerit, emere gladios.

Primo dubium eſt, an in imperativo modo, an vero de futuro tempore locutus fuerit *Salvator*, lectio enim hic variat. Deinde nego *Chriſti* mentem apud *Lucam* fuiſſe, ut Apoſtoli armis adverſus milites, qui eum captivum abducturi erant, uterentur, eave compararent: cum paucis poſt illud dictum horis comprehenſus ſit, nec tempus arma comparandi illis conceſſerit, nec arma, ſi carnaliter decertandum eſſet, hic prodeſſe poſſent.

24. Matth. 28. 19 *Chriſtus* Apoſtolos ad baptizandum mittit. *Paulus* contra 1 Cor. 1. 15 negat ſe ad baptizandum eſſe miſſum, cum tamen Apoſtolus fuerit.

Ad contrarietatem contra Atheos & Judæos alioſque tollendam, ſufficit ſi dicamus, *Paulum* inter eos non fuiſſe, quos *Chriſtus* priori loco alloquebatur, & propterea præceptum iſtud ad eum non pertinuiſſe. Pro Chriſtianis autem dico: quandoquidem ex Marc. 16. 1, 7 apparet, *Chriſti* præceptum Matth. 28. 10, de proficiſcendo poſt ipſius mortem in *Galilæam* (ubi eum in cœlum adſcendiſſe ex Marc. 16. 19. Luc. 24. 50, 51 manifeſtum eſt) non ſolos ſpectaſſe Apoſtolos, ſed omnes etiam ipſius diſcipulos, quos illuc confluxiſſe omnino eſt veriſimile: nec deſiderium Chriſti videndi paſſum fuiſſe, quemquam cui Chriſti iſtud præceptum cognitum foret, illuc non convolare: ex eo merito concluditur, poſtremum iſtud Chriſti præceptum, non ſolos Apoſtolos (quamvis illos præcipue) ſed omnes etiam alios ſpectaſſe. Quemadmodum etiam prędicatio Euangelii & baptiſmus à plurimis Chriſtianis præter Apoſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

los & ſeptuaginta diſcipulos, ſunt peracta. Ex quo conficitur, nullum ibi munus cuiquam, ſed omnium tantum Chriſtianorum virorum officium, eſſe demandatum. Quicquid ſit, certum eſt neminem Apoſtolorum proprie ad baptizandum fuiſſe miſſum. Solius *Johannis Baptiſtæ* baptiſmus erat munus. In *Chriſti* nomen, hoc eſt in ejus profeſſionem Baptizare, omnes Chriſtiani poterant. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, Apoſtolum *Paulum* recte dicere, ſe ad baptizandum non eſſe miſſum: cum ad eum nulla miſſio requiratur.

Mennonitæ (quamvis & alii plerique idem faciant, hos tamen ſolos hac in re culpare poſſum) hunc nodum non alio modo ſolvere poſſunt, niſi aſſerendo *Paulum* non præcipue ad baptizandum fuiſſe miſſum: prædicationem autem verbi Divini præcipuam miſſionis eſſe partem. Et tamen pręcipuum, prędicationem videlicet verbi divini illis concedunt, qui per impoſitionem manuum ab illis quos pro epiſcopis habent, nondum ſunt confirmati, non vero baptiſmi adminiſtrationem. Ita directe contra profeſſionem ſuam peccant, id quod præcipuum eſſe dicunt illis committentes, quibus id quod minus eſſe præcipuum credunt, permittere nolunt.

25. Marc. 2. 7 dicitur, neminem præter Deum peccata remittere poſſe. Contra Joh. 20. 23 *Chriſtus* Apoſtolis peccata remittendi poteſtatem concedit.

Priori loco non *Chriſtus*, ſed Scribę dicunt, neminem pręter Deum peccata poſſe remittere: nec id ullibi in Scriptura affirmatur. Per ſe tamen eſt manifeſtum, peccata in Deum commiſſa, à nemine pręter Deum remitti poſſe. *Chriſtus* autem vel Apoſtoli, Dei nomine peccata remittentes, ipſe Deus ea remittit.

26. *Marcus* cap. 15 verſu 25 tertia diei hora ait *Chriſtum* crucifixum eſſe. *Johannes* contra cap. 19. 14 affirmat, id hora circiter ſexta demum eſſe factum, quod nullo modo conciliari poteſt.

Hæç vulgo ita reconciliantur, quod *Johannes* ſextam horam, ſecundam diei partem appellet, à tertia (id eſt noſtra nona) uſque ſextam durantem. Id mihi durum videtur: quia incongruum eſſe videtur, quod vocem *circiter* adderet, ſi de toto trihorio loqueretur. Quocirca concedere malo in vulgaribus exemplaribus mendum eſſe: extant enim Manuſcripta exemplaria, quæ apud *Johannem tertiam* pro *ſexta* hora habent. Alii volunt *Johannem Romanorum* horas intelligere; ſed nec ſic *Johanni* & *Marco*, eadem hora ſignificabitur. Conferantur ea quæ *Grotius* in Matth. 27. 45 & Marc. 15. 25 de hac quæſtione annotavit.

27. Matth. 1. 20. Luc. 1. 15 & alibi de *Chriſto*, *Johanne Baptiſta* aliiſque affirmatur, eos Spiritum Sanctum habuiſſe. Contra Joh. 7. 39 dicitur Spiritum Sanctum nondum fuiſſe: quandoquidem *Chriſtus* nondum eſſet glorificatus.

Ex 39 verſu Joh. 7 conſtat, Spiritum Sanctum, quem nondum fuiſſe dicitur, de dono Spiritus Sancti intelligendum eſſe, quod fideles poſt *Chriſti* in cœlos aſſumtionem accepturi erant. Quod adhuc magis ex aliis antiquis exemplaribus manuſcriptis confirmatur: quæ habent: *nondum erat Spiritus Sanctus ſuper illos.*

28. Luc. 17. 20, 21 Chriſtus dicit, *regnum Dei non venit cum obſervatione: neque dicent,*

dicent, ecce hic, vel ecce illic: ecce enim regnum Dei intus eſt in vobis. Contra Matth. 24 Chriſtus multa ſigna enumerat, quæ regni Dei erectionem præcedere debeant, eaque diſcipulos ſedulo obſervare præcipit.

Ex diverſa vocis *regni Dei* & *regni cœlorum* ſignificatione, quam apud Dominum Jeſum obtinet, hæc facile inter ſe conciliantur. Priori enim loco per illud Euangelii prædicationem indicat, poſteriori inſigne dominii & gubernationis quam in homines exercere ſolet ſpecimen & argumentum denotat. Varias autem hujus vocis acceptiones alii luculenter annotaverunt.

29. Joh. 5. 31 *Chriſtus* dicit, ſi de ſeipſo teſtetur, teſtimonium ſuum non eſſe firmum. Contrarium autem Joh. 8. 14 expreſſe affirmat.

At ſi loca accurate inſpiciantur, plane idem utrobique à Chriſto affirmatur: videlicet ſi ſolus de ſeſe teſtimonium perhibeat, non eſſe fide dignum ipſius teſtimonium. Inſpiciatur loci prioris verſus 32, & poſterioris verſus 16, 17, 18, ubi expreſſe declarat, ſuum de ſeipſo teſtimonium eſſe recipiendum, cum Dei Patris ſui per tot miracula teſtimonio confirmetur.

30. Joh. 5. 34 Chriſtus dicit, ſe non recipere teſtimonium hominum. Et tamen Act. 1. 8. x. 39, 41, 43 Apoſtolos teſtes ſuos eſſe vult.

Johannis teſtimonium, nullis miraculis confirmatum, teſtimonium erat mere humanum, quod ſola ipſius authoritate nitebatur. Iſtud minime ſufficiebat, nec eo ſolo Chriſtiana fides erat innixa. Apoſtolorum vero teſtimonium, tot miraculis confirmatum, non hominum, ſed Dei erat teſtimonium.

31. Rom. 2. 12 *Paulus* dicit, eos qui ſine Lege peccaverunt, ſine Lege perituros: cum tamen cap. 4. 15 aſſerat, non exiſtente lege, non eſſe peccatum.

Priori loco de Lege *Moſaïca* loquitur, poſteriori de omni Lege. Saltem oſtendi nequit, vocem *Legis* utrobique eodem ſignificatu eſſe accipiendam. Hoc autem conceſſo, omnis contrarietatis ſpecies penitus diſparet.

32. Rom. 12. 17 & alibi Chriſtianis interdicitur, ne malum pro malo reddant. Contrarium Apoc 18. 6 illis injungitur.

Qui hæc loca contrarium præcipere ſtatuunt, demonſtrare debent, in poſteriori loco orationem ad Chriſtianos dirigi: quod ſane oſtendi minime poteſt. Cum vero is cui duplum rependi præcipitur, ipſa ſit *Babylon*, eadem videlicet quę *Meretrix* appellatur, & cap. 17. 16, 17 expreſſe dicatur, eam à decem cornibus *Beſtiæ* perdendam eſſe, per ſe evidens eſt, præceptum iſtud non ad Sanctos, ſed ad eadem cornua eſſe directum.

33. 1 Cor. 1. 2 & paſſim in Epiſtolarum Apoſtolicarum initio, Eccleſiæ ad quas Apoſtoli ſcribunt, Chriſtianos Sanctos appellant. Contra 1 Cor. 3. 2 & plurimis aliis locis eos carnales eſſe affirmatur.

Sacri Scriptores & Prophetæ homines Sanctos & Dei populum appellare conſueverunt, quamvis à pietate multum defecerint, quamdiu profeſſionem fidei nondum penitus abjecerant: nomen eis tribuentes, quod ipſis aliquando competiverat. Sic

 Chriſtianos

Chriſtianos in hodiernum uſque diem appellamus illos, qui nomen iſtud ſibi vindicant quamvis moribus nihil minus ſint quam Chriſtiani.

34. 1 Cor. 10. 13 dicitur, quod Deus nunquam ſupra vires nos tentari ſinit. Contrarium *Paulus* de ſe 2 Cor. 1. 8 affirmat.

Si prior locus de viribus, quas Deus præter hominis vires naturales ſuppeditat (qua plurimis locis Deus ſe daturum pollicetur in Novo Fœdere, cum præcepta Chriſt citra illas obſervari nequeant) accipiatur, poſterior de ſolis viribus naturalibus (qu ſenſus ſane ex mente Scriptorum Novi Fœderis librorum eſt receptiſſimus) nulla hi erit pugna.

35. 1 Joh. 1. 8 Apoſtolus inquit, nos, ſi dicamus quod non habeamus peccatum nos ipſos ſeducere. Contra cap. 3. 6, 9 affirmat, Chriſtianos non peccare.

Vox *peccandi* & *peccati* diverſimode ab Apoſtolo *Johanne* accipitur: nonnunquam enim pro perſeveratione in peccato abſque pœnitentia uſurpatur, quo ſenſu eam cap. 3. 8 accipi manifeſtum eſt, cum eam *Diabolo* tribuit: atque eo ſenſu iſto capite Chriſtianos peccare negat. Interdum peccatum de præterito hominis ſtatu intelligit. Atque hoc ſignificatu cap. 1. 8 affirmat omnes Chriſtianos *peccatum habere*: quod ex verſu 10 liquet, ubi voces iſtas explicans ait, *ſi dicamus nos non peccaviſſe*. Ad iſta ſi attendamus, nulla hic remanet contrarietas.

Et hæc ſunt quæ adverſus Atheos, reliquoſque Chriſtianæ religionis adverſarios edere conſtitueram: in quibus ſicubi aberraverim, obnixe rogo, ut illis quibus veritas cordi eſt, non moleſtum ſit meliora docere.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

CATALOGUS Locorum S. Scripturæ,

In hoc TRACTATU *explicatorum, vel aliqua ex parte illuſtratorum.*

Præter ea quæ Lib. 2 capp. quinque prioribus, & in Paralip. poſt cap. 12, ſecundum Librorum Biblicorum ſeriem, contrarietatis & abſurditatis expertes eſſe oſtenditur.

Geneſ.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
2	17	144	7
3	1	179	22
4	7	28	24
6	3	144	7 à fin.
12	6	87	26
13	15, 17	285	13 à fin.
15	7	145	8
22	14	87	6
36	31	88	15
47	9	94	23

Exod.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
17	14	88	ult.
19	21	150	17
20	22	150	8 & ſeq.

Levit.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
18	18	263	11
27	26	154	4 à fin.

Num.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
XI	33	155	4 à fin.
12	6	4	24

Deuteron.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
2	12	92	24
13	1 &c.	189	1
15	4	157	9 à fin.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
24	7, 8	85	20
34	10	4	29
		87	16

Joſua.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
10	12, 13, 14	19	6 à fine.

1 *Sam.*

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
7	13	97	12 à fine.
15	29	27	23
		137	9
16	22	96	6

2 *Sam.*

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
6	6	187	5 à fine.
24	1	13	9

1 *Reg.*

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
6	1	96	15

2 *Reg.*

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
3	15	15	ult.

Pſalm.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
40	7, 9	53	6

Jerem.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
7	4	122	10
—	22	152	6 à fine.
18	8	123	8

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Ezech.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
18	14,17,19	27	14

Joël.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
1	2,4	149	7

Malach.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
1	10,11	36	8

Matth.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
1	5	165	ult.
3	13,14	166	8
5	17	166	10
10	9,10	288	5 *à fine.*
15	24	290	10
—	30	58	25
		65	5 *à fine.*
24	30,31	281	1
26	17,19,20	171	23
—	28	284	ult.

Luc.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
18	1	280	2

Acta.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
7	4	173	27
—	16	174	9
15	20	176	1
17	23 *&c.*	243	12 *à fine.*
20	35	282	17

Rom.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
1	17	282	8
—	21	244	6
2	14	ibid.	17
3	5	29	14
9	11,12,13	287	20
10	13,14, *&c.*	252	24
14	22	289	15 *à fine*

1 Cor.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
2	14	282	1
10	25,27	176	1
XI	14	263	8
13	3	288	10
14	6	107	10 *à fine.*
15	24	284	5 *à fine.*

Hebr.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
XI	3,6	267	17

Jacob.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
2	10	281	23
—	21	ibid.	33

1 Joh.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
3	6,9	294	10

Apoc.

Cap.	Verſ.	pag.	lin.
13	1	277	3

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Errata, addenda & mutanda.

PAg. 2. lin. 22 *quam* lege quem. p. 4. l. 14. § 22. l. 1 Par. 21. p. 9. l. 25. *revelationē* l. revelatione per ipſam revelationem. p. 10. lin. 12 à fine. VI. IX. l. VI. I. IX. pag. 11. lin. 22. lege pag. 17. p. 12. l. 4 à fine. *quod argumenta* l. argumenta. p. 13. l. 9. *videntur.* l. videatur. p. 14. l. 2. *Deum* l. Deum, vel. p. 16. l. 18. *Nego ipſum Joramo læte* l. Nego ipſum iratum fuiſſe, vel Joramo læta. p. 17. l. 23. *ſignificantes.* l. ſignificantes variaſſe: & l. 35. *Angeius* l. Angelus. p. 22. l. 3 à fin. *veiſsimum* l. veriſſimum. p. 24. l. 18. *judicum* l. judicium. ibid. l. 21. *convinceretis.* l. convinceret: is. p. 25. l. 5. *quod* deleatur. p. 26. l. 2. *Deut.* 4: 10. l. Deut. 4. 20. p. 31. l. 18. *pag.* 20. l. pag. 30. ibid. l. 23. *quod alii.* l. quod noſtræ felicitati nihil accedat ex eo quod alii. ibid. l. 4. à fin. *melior*, l. melior, & qui eam habet beatior. p. 34. l. 11. *cap.* 6. l. cap. 7. p. 36. l. 2. à fine. *opinionem.* l. in agendo & movendo neceſſitate opinionem. p. 38. inter lin. 22 & 23 hæc interſerantur.

Si prius ſtatuamus, id neminem profectò fugeret: omnes enim iſtam cauſam determinantem deprehenderemus, quod falſum eſſe omnes ſciunt. Sin poſterius, meras nugas agere determinationis aſſertor eſt cenſendus, qui rem ſibi incompertam aſſerere audet.

p. 40. l. 12. *deumm* l. demum. ibid. l. 2 à fine. *leges.* l. ſe nihilominus recte dicere poſſe, leges. p. 42. l. 18. *exolendo.* l. excolendo. p. 48. l. 15 à fin. *cap.* 6. l. lib. 2 cap. 7. ib. l. 4 à f. *qui.* l. quia. p. 51. l. 4. voces (*quod tamen omnino falſum eſt*) alio charactere debebant imprimi. p. 53. l. 11. à f. *menini* l. memini. p. 68. l. 12 à f. *pag.* 44. l. pag. 74. p. 72. l. 4. *à terræ.* l. à ſe invicem, ſive à terræ. p. 74. l. 12. *Reg.* 3. l. 1 Reg. 3. p. 77. l. 8. *lib.* 6. l. cap. 6. p. 81. l. 19. *iis qua.* l. iis quo tempore & qua. p. 84. l. 5. 6 à f. *naturali lumine.* l. natura. p. 85. l. 20. *Joſ.* 8. 13. l. Joſ. 8. 31. p. 92. l. 15 à f. *debellaverat.* l. debellaverat. Præterquam quod *Joſua* (quem Pentateuchi conſignatorem deſignavimus) ita ſcribere potuit, quamvis locus proprie & ſtricte accipiarur. p. 95. l. 4. *cap.* 41. l. cap. 31. p. 101. l. 19. *cap.* 22. l. cap. 21. p. 103. l. 8. *pag.* 134. l. pag. 130. p. 111. l. 5. *principit.* l. percipit. p. 118. l. 11. à f. *abſurda* l. abſurda continere. p. 120. l. 7. *cap.* 2. l. cap. 2 & 4. p. 125. l. 16. *creatore ſunt* l. creatore, præter & contra Naturæ ordinem ſunt. p. 148. l. 12. *Exod.* 17. 17. l. Exod. 7. 17. p. 159. l. 10 à f. 283000. l. 288c00. p. 160. l. 7 à f. *verſu* 20. l. verſu 10. p. 161. l. 16 a f. *incluſis vigeſiomo ſeptimo.* l. incluſis vigeſimo ſexto. p. 164. l. 14. *non niſi.* l. niſi. p. 166. l. 5. *Joh.* 2. l. Jac. 2. p. 173. l. 14 à f. *Act.* 7. 4. l. Act. 7. 14. p. 177. l. 15. *verſ.* 51. l. verſ. 5. p. 183. l. 16 à f. *Judic.* 2. 1. l. Exod. 23. 56 coll. cum Act. 3. 30, 31. Hoſ. 12. 5. Judic. 2. 1. p. 186. l. 6. *At.* l. Ac. p. 190. l. 17. *cludere.* l. cludere poſſit. pag. 202. l. 15. adde. Sed inſtare quis poſſet, ſi Naturam in infinitum extenſam, abſque revelatione, ex ſola Naturæ conſideratione, concipere poſſumus & debemus, neceſſario Deus eſt excludendus, niſi dimenſionum penetrationem, cum maxima contradictione admittere velimus: quia infinita extenſio non alia quam corporis eſſe poteſt. Corpus vero non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

admittit aliud ens (puta Deum) ſi corpore (quamvis ſpirituali & ſubtiliſſimo) præditus eſſe ſtatuatur. Corporeus autem omnino concipiendus eſt, ſi omnis extenſio ab ejus eſſentia non removeatur.

Reſpondeo. Si fieri non poſſit, ut corpus loca vacua in ſpatio quod occupat habeat, adeo ut aliis corporibus locum dare queat, tum infinitam extenſionem in Univerſo non poſſe admitti. Ego vero diſtincte concipio, in omni corpore vacua eſſe ſpatia, per quæ calor & frigus &c tranſire queant, (quæ ſane non ſunt nihil, ſed entia quamvis ſubtiliſſima) & in Univerſo immenſa iſtiuſmodi ſpatia vacua, quæ nihil contineant, eſſe poſſe. Quæ nihil aliud eſſe concipere poſſum, quam ſpatium nihil continens, nec alio modo iſtud explicari à quoquam poteſt. Quemadmodum illi, qui Dei eſſentiam nullam extenſionem habere exiſtimant, nihilo melius explicare queunt, quid iſtud ſit: & qui infinitam ei extenſionem tribuunt, quomodo non detur penetratio dimenſionum: cum nulla extenſio abſque corpore concipi queat. Nec melius hic ſe extricabunt illi, qui cogitationem nullas limites habere ſtatuunt, eamque non minus reliquis entibus naturalibus, quam animalibus ineſſe ſtatuunt. Ego vero hactenus rem non aliter concipere potui, quam *vacuum* eſſe terminum extenſionis Univerſi, & concipere non poſſumus, Univerſum per corpus aliquod ſolidum ita terminari, ut retro iſtud corpus nullus amplius locus eſſet, in quo nihil exiſtat. Quia ſi corpus aliquod ibi exiſteret, eadem quęſtio remanet, quid poſt vel extra corpus illud exiſtat? Adeo ut ad extremum locus vacuus concipi debeat. Quęſtio autem hęc de vacuo ſpatio, ab omni ævo philoſophorum ingenia torſit, aliis illud negantibus, aliis affirmantibus, ſed *nihil* eſſe dicentibus: quo ipſo ſe in inextricabiles irretiverunt difficultates.

Qui igitur Naturam extenſionem habere contendunt abſolute infinitam, contra illos erit demonſtrandum, non poſſe in rerum natura dari vacuum, ut Deus eſſentia extenſus (quamvis non infinite, quę mea eſt ſententia) ex ea excludatur. Contra eos autem, qui Dei eſſentiam omnis extenſionis expertem ſtatuunt, oſtendere debent, nullam eſſentiam abſque extenſione exiſtere poſſe. Videamus igitur quibus rationibus evincere ſtudeant nullum vacuum dari poſſe.

1. Prima ratio qua id demonſtrari poſſe videri queat, eſt, quia vacuum (ſi alicubi foret) non poſſet habere eſſentiam: ſi enim eſſentiam haberet, tum vel extenſionem haberet, vel non haberet. Si prius, tum eſſet corpus, & ſic non vacuum: quia vacuum appellatur ubi nihil eſt. Si poſterius, tum eſſentia abſque extenſione dari poſſet. Quod etſi abſque contradictione ſtatui poſſet, non tamen ab eo qui vacuum dari ſtatuit concedi poteſt: quia ſpatium eſſe vult & exiſtimare debet. Ergo impoſſibile eſt dari vacuum.

Reſpondeo negando conſequentiam, videlicet ſi vacuum eſſet corpus, tum non poſſe eſſe vacuum: nego præterea, ſi vacuum eſſet, extenſionem habiturum & corpus. Vacuum eſſet, ſi vas aliquod aëre & omni alio corpore (ſi aliquod poſt aërem extractum in vitro vel alio vaſe exiſtere poſſet, quod nullus oſtendere unquam poterit) expers foret, vel ſi ex vitro omnis aër aliudve corpus ſubtile foret extractum.

Vas

Vas illud erit corpus vacuum. Ita manifeſto patet, vacuum eſſe in corpore, id eſt exiſtere poſſe vacuum, ubi corpus eſt: quamvis ipſum vacuum corpus illud non eſt. Locus vero inter vaſis latera intercedens, ubi plane nihil eſt, eſt ipſum vacuum: quid vero iſtud ſit, explicari nequit, non magis quam quid exiſtentia, extenſio, cogitatio, anima, Angelus, Deus, entitas, lapideïtas &c ſunt. Itaque non cogor dicere vacuum iſtud ſpatium eſſe *nihil* (quamvis quid ſit explicare nequeam) ſi per vocem *nihil* locus ſive ſpatium ipſum excludatur. Ex quo ſimul patet, ſi daretur vacuum, illud non dici neceſſario debere, extenſionem habere, ſed eſſe extenſionem. Quod extenſionem habet. videtur eſſe corpus, ſed ipſa extenſio (quæ quid ſit explicari nequit) ſi à corpore diſtinguitur, quemadmodum ex ipſa definitione corporis apparet (quod *res extenſa* debet definiri) fieri debere, non opus eſt ut corpus habeat, & tamen non erit *nihil*.

2. Altera ratio *Ariſtotelis* eſt: quod non poteſt eſſe cauſa ullius effectus, id non poteſt exiſtere, Vacuum non poteſt ullius effectus eſſe cauſa. Ergo.

Reſpondeo negando minorem, poteſt enim vacuum eſſe cauſa ut corpora in loco exiſtant, & aliis corporibus faciliorem motum præbet, eodem modo quo locus cauſa eſt ut entia exiſtere poſſint. Locus quatenus aëre plenus eſt, cauſa eſt ut corpora vivant, non vero ut exiſtant: quia lapis, metalla, ligna &c in vacuo, nihilo minus, imo diutius quam in aëre durant. Ita, ſi locus eſt cauſa ut corpus aëris ei ineſſe poſſit, vacuum (ſi quid eſt præter locum, quod ego minime exiſtimo) idem præſtabit. Hæc (quamvis, ſimpliciter negando, vacuum nullius effectus cauſam eſſe poſſe, demonſtrationem iſtius aſſertionis exigere queam) ex ſuperabundanti adjeci, ut quivis videre poſſit, quam longe aſſertio iſta à veritate recedat.

Tertia ratio eſt *Renati Deſcartis*, lib. de princip. Philoſ. part. 2. n. 16 & ſeqq. Primo inquit extenſionem loci vel ſpatii non differre ab extenſione corporis (quod an verum ſit nec ne, nunc non ulterius inquiram) & urget, ſi per Dei potentiam omnis aër (& omne aliud corpus, quod in vaſe aliquo exiſtat) extraheretur (per humanam enim potentiam id fieri non poſſe, credere videtur, & nullum aliud corpus vas illud intraret) tum latera vaſis ſibi invicem fore contigua: quia *nihil* inter illa interſtet. Latera enim inter quæ nihil interjacet, à ſe invicem non ſunt diſſita: & propterea latera iſtiuſmodi vaſis neceſſario deberent eſſe çontigua. Quod cum plane ſit contradictorium, apparet impoſſibile eſſe, ut detur vacuum.

Reſpondeo hanc rationem ex præſuppoſitione vaſis vacui deſumtam eſſe, & ſi foret legitima, id evincere, quod mathematice, per menſurationem & computationem demonſtrari poteſt eſſe falſum, latera videlicet vaſis, quæ certa menſura à ſe invicem diſtant, contigua eſſe. Ex quo manifeſtum eſt, quamvis aliquis ad eam, propter intellectum in talibus non exercitatum, nihil poſſet reſpondere, eam meram eſſe fallaciam & ſophiſma, neç aſſenſum poſſe extorquere. Sed ipſum argumentum enodemus. Ait, ſi omne corpus, puta aëreum, vel ſi quod ſubtilius poſt ejus extractionem remaneat, ex vaſe foret extractum, tum nihil ibi remanſurum. Id vero eſt quod

negatur: remanebit enim diſtantia, locus ſive ſpatium inter vaſis latera, qui efficit ne latera ſint contigua. Et iſto reſponſo captio ratiocinationis evaneſcit. Si ulterius inquiras, an ſpatium iſtud ſit corpus, vel quid ſit? Reſpondebo me ignorare, & viciſſim quæram quid ſit exiſtentia, extenſio, ſubſiſtendi ſufficientia & ſimilia? Si *Carteſius* ea *nihil* eſſe dicat, ſibi ipſi ſatiſfaciet: ego vero quid iſta ſint explicare nequeo, & tamen nihil eſſe, planiſſime nego.

Quarti argumenti loco natura Univerſi poſſet exhiberi, cujus extenſionem *nihil* determinare nequit. Ex quo ſequitur in ejus extenſione ſemper eſſe aliquid, & conſequenter ejus extenſionem abſolute eſſe infinitam, & ſic nullum poſſe dari vacuum.

Reſpondeo *nihil* non eſſe cauſam determinationis Univerſi, abſolute concedo. Sed ſi Univerſum terminos haberet, illos ab ipſo materiæ extenſæ defectu proficiſci. Terminum vero extenſionis neceſſario vacuum ſpatium eſſe debere: ubi enim materia extenſa deſinit, ibi nihil amplius reſtabit. Ex quo per ſe patet, ſi Mundus terminum habet, illum nihil aliud debere eſſe, id eſt poſt extremam corporis extenſi marginem nihil immediate ſequi, præter vacuum locum, nihil vel nullum naturale corpus extenſum continens, & ad ipſum Univerſum pertinens locus & receptaculum Creatoris Univerſi. Atque ita apparet, quo pacto Univerſum infinitæ poſſit eſſe extenſionis, nec tamen Divinam eſſentiam, quamvis extenſam, excludere.

Atque hæc ſunt argumenta, quibus vacuum impugnari mihi unquam innoteſcere licuit. Quæ cum nullarum virium eſſe deprehendantur, ad experimenta philoſophi quidam excellentiſſimi, quibus non eſſe vacuum demonſtratur, confugiunt. Et ſane diffiteri nolim, ſi ex ipſa experientia vacui impoſſibilitas demonſtrari queat, omnes rationes, quantumvis ſpecioſæ, ei cedere debere. Quocirca operæ pretium erit, ipſa experimenta examinare.

Primum omnium eſt iſtud vulgatum, quod latera follis, ſi orificia per quæ aër ingredi debeat, exacte claudantur, nullo modo diduci queant: cujus rei nulla alia eſt ratio, niſi fuga vacui, quod neceſſario ſubſecuturum concedunt, ſi latera diduci poſſent.

Otto Guerichius, in *experimentis* ſuis *Magdeburgicis* in folio anno 1672 à *Johanne à Waesbergen Amſtelod.* editis, & nobis etiam citatis, eo ipſo experimento demonſtravit, vacuum poſſe exhiberi: docet enim rationem infallibilem, à ſe aliquoties ipſo actu exhibitam, omnis magnitudinis folles, pondere aſſignato diducendi.

Et ne quis objiciat, quamvis in iſto folle nullus aër exiſtat, non tamen ſequi eſſe vacuum: quia aliud corpus, aëre adhuc ſubtilius, per ipſum follem ſubintrare poſſit, & locum vacuum replere.

Ad quod primo reſpondeo, neminem oſtendere poſſe, ullibi ſubtilia præter ipſum aërem & ventum naturalia corpora exiſtere, ac proinde effugium iſtud ex mero cerebri figmento eſſe quæſitum. Deinde, ſi corpus aliquod ſubtilius totam follis capacitatem occuparet, tum follis latera diſtenſa manere debere, quemadmodum ſolent aëre repleta: cum tamen ſimulatque dimittantur ſtatim recidant, quod non fieret, ſi corpus

pus aliquod latera vel capacitatem totam occupaſſet. Adde quod nulla ratio poſſit à vacui impugnatoribus reddi, cur Natura tanto conatu, follis diductioni reſiſtat, ne vacuum detur, ſi adeo ſubtilia corpora præſto ſint, quæ ligna, corium, ferrum &c penetrando, vacuum replere queant. Quocirca ex hoc ipſo experimento conſtat, vacuum in Natura poſſe exhiberi.

Quod autem vacui oppugnatores objiciant, difficultatem iſtam in follis diductione ex vacui fuga oriri, id nihil eſt: nam quamvis iſtud in inferioribus his locis eſſet verum, conſtat tamen vacuum non eſſe impoſſibile in Natura. At vero non abſque veri ſpecie negat *Guerichius* iſtam ejus rei eſſe cauſam, ſed aliam aſſignat toto libro tertio, gravitatem videlicet corporis aërei, terræ incumbentis: quam etiam per exactum computum, in ipſa experientia aſſignat, pondus accuratum, ejuſque infallibilem inveſtigationem indicans, quod aëris incumbentis ponderi æquipollens, diductionem præſtet. Eodem modo cætera omnia, pro vacui impoſſibilitate experimenta, contrariis in eiſdem experimentis enervat lib. 3. cap. 35, & præterea eodem libro plures machinas & experimenta clare deſcribit, quibus vaſa vacua reddi queant, & ab ipſo reddita ſunt, toto ferme libro tertio, & inter cætera unum cap. XI. In quo in vas vitreum, ex quo aër ſit extractus, ex alio vaſe multo minore, aërem paulatim immittit: qui cum tanta violentia in vacuum iſtud vas irrumpit, ut fragmenta lapidum, ſtraminis, integras nuces avellanas, & ſimilia corpora, per totum vas magna cum violentia diſſipat. Quod ſane impoſſibile foret, niſi vas inferius, ſaltem aliqua ex parte eſſet vacuum, quod ad vacui demonſtrationem ſufficit. Quoniam vero aër ex ſuperiori vitro erumpit (quod tamen nihil præter aërem ſponte intrantem continebat, eoque abſolute plenum eſſe à vacui impugnatoribus ſtatui debet) in inferius, neceſſario pars aliqua ſuperioris vitri vacua redditur: & impoſſibile eſt ut aër iſte, quantumvis rarefactus, utrumque vitrum abſolute plenum reddere queat.

Sed aliam adhuc demonſtrationem addere libet, non modo per artificium & magnis adhibitis viribus vacuum poſſe effici, ſed naturaliter vacuum dari. Qui vacuum dari negant, neceſſario ſtatuere debent, vitrum, nullum liquorem vel aliud corpus continens, præter aërem oculis imperceptibilem, vel aliud ſimile corpus tenuiſſimum, abſolute eſſe plenum. Niſi enim abſolute plenum eſſe ſtatuerent, partem vitri vacuam eſſe concedendum eſſet. Jam ſi aliud vitrum ejuſdem capacitatis plus iſtius corporis aërii contineret, appareret prius iſtud vitrum non abſolute fuiſſe plenum. Folle vero ad vas aliquod aëreo corpore ſponte (ex vacui oppugnatoris ſententia) abſolute pleno, cui epiſtomion, eo quo *Geurichius* docet modo, applicato, vel etiam ſclopetis aëreis, Belgice **windroers**/ plus aëris impelli poſſe, experientia docet. Ex quo demonſtratur vacuum ibi ſpatium antea fuiſſe: alias enim folle bis terve adducto, & ſtatim epiſtomio clauſo, plus aëris immitti non potuiſſet.

Præterea, ſi in vitro aere ſponte pleno (quod Adverſarii, prout oſtenſum eſt, abſolute plenum eſſe ſtatuere debent) nullus locus foret vacuus, tum æquale corpus continere deberet cum alio vitro ejuſdem exacte capacitatis, aqua, vel etiam mercurio

 pleno.

pleno. Quod falſum eſſe, non modo ex diſſimillimo pondere, ſed ex vaporibus, in quos aqua & Mercurius diſſolvi poteſt, aere multo craſſioribus, plus quam quinquaginta iſtiuſmodi vitra complere valentibus. Quod impoſſibile foret, ſi prius vitrum abſolute plenum foret. Ex quo patet corpus aereum non adeo ſibi invicem cohærere, quin plurima vacua ſpatiola inter illud intercedant. Niſi enim hoc verum eſſet, tum locus qui nunc ab aere occupatur, non minus plenus eſſe deberet, quam ſi regio aeris aqua, imo ligno, lapide vel auro eſſet repletus. Ex quibus omnibus evidenter conſtare exiſtimo, impoſſibile eſſe ut non detur vacuum. Quandoquidem igitur jam tot modis infallibiliter eſt demonſtratum, non modo non eſſe impoſſibile dari vacuum, ſed neceſſario vacuum dari, per ſe patet iſtud Atheorum argumentum, quo Dei exiſtentiam apodictice excludere volebant, penitus concidere.

Atque ita eadem opera ſuſtuli neceſſitatem ſtatuendi, Divinam eſſentiam nullam habere extenſionem: quia demonſtravi in Univerſo, quamvis in infinitum extenſo, non deeſſe locum, ubi Deus, quamvis eſſentia extenſus, habitare queat.

Quo pacto autem explicari vel oſtendi queat, eſſentiam abſque extenſione eſſe poſſe, fateor me percipere non poſſe. Cum vero iſtius non extenſæ Divinæ eſſentiæ aſſertores urgeant, ſi Dei eſſentia extenſionem habeat, neceſſario ad Univerſum pertinere, quia in prædicamento extenſionis & corporeitatis cum cæteris naturalibus corporibus conveniat. Conſideret lector, an non æquali jure mihi inferre liceat, Dei eſſentiam, ſi omnis extenſionis ſit expers, ad *nihil* pertinere, quia in prędicamento non extenſionis cum *nihilo* conveniat. Quod Deus ſub genere corporum poſſit comprehendi, id non majorem habet difficultatem, quam quod ſub genere entium comprehendi debeat. Sed quando ſub prædicamento *nihil* deturbari poteſt, tum profecto merus Atheiſmus, omnem ab ejus eſſentia extenſionem removendo, introducitur. Quemadmodum enim Dei entitas alterius generis eſt, quam entium naturalium, ita Dei corpus: ſed in non extenſione nullum diſcrimen à nihilo eſſe poteſt.

P. 216. poſt l. 1 adde. Quod enim quis hic exciperet, perfectionem non illis rebus determinari debere, quas in aliis rebus vel qualitatibus, actionibus aut attributis imaginari poſſimus, ſed ex illis tantum, quas in Natura locum habere conſpicimus, id ſane nullo modo admitti poteſt, ubi de abſoluta perfectione agitur. Ad quam omnia neceſſario requiruntur, quę diſtincte concipi poſſunt ad perfectionem abſolutam aliquid conferre. Dominum vero & Creatorem eſſe Naturæ, ſummus eſt perfectionis gradus, qui excogitari poteſt. Nec ulli hic exceptioni locus relinquitur, niſi quis demonſtrare poſſit, impoſſibile eſſe & contradictorium, ut Natura eſſet creata: quod non modo à nemine præſtitum eſt, ſed etiam abſolute demonſtrari nequit, quemadmodum hoc tractatu oſtendimus. Ibid. l. 14 à fin. *in extenſione*. l. in extenſione, ſubſtantialitate, entitate, exiſtendi ſufficientia, vel quidquid tandem ſit; ſive unum tantum, ſive innumera attributa eſſentialia Naturæ tribuantur. Ibid. lin. 12 à fin. *ſubſtantiæ*. l. ſubſtantiæ. Sequitur quidem totam Naturam improprie loquendo unam ſubſtantiam poſſe appellari, quemadmodum Civitas, Reſpublica, Regnum &c, iſtud vero

rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

rem minime conficit: quia id non modo nihil obſtat, ut præter Naturam aliud ens exiſtat, quod ejus non ſit pars, verum etiam non impedit, ut in Natura proprie loquendo infinitæ ſint ſubſtantiæ, & infinita entia, quæ partes quidem Naturæ, figurato loquendi genere appellari queant, ſed tamen non ſint partes unius proprie dictæ ſubſtantiæ, vel ejuſdem attributa eſſentialia. Quia nihil unum eſſe proprie loquendo concedo, præter id cujus partes non niſi violenter, vel cum partium & totius dolore ſeparari queant, & entium numerum non conſtituant vel conficiant.

Merito etiam de eo dubitatur, an eſſentialia attributa ab ipſa eſſentia revera non ſint diſtincta: ſi enim rerum eſſentia in ſola partium & attributorum conjunctione ſive unione conſiſtat, ſtatim apparet recte eſſentiam ab attributis iſtis diſtingui. Quametſi enim omnes entium partes principales & minus principales, omnia etiam eſſentialia attributa exiſterent, non in unam numero eſſentiam unita, rei eſſentiam ſive ipſam rem, ens aut ſubſtantiam non conſtituent. p. 222. l. ult. *productricum.* l. productrice. p. 226. poſt l. ult. adde. Quod vero ad finem attinet, quem nonnulla entia, vel eorum partes, motu ſuo conſequuntur (v. g. ventriculus corporis conſervationem) de eo alterutrum eſt ſtatuendum, vel Naturæ nullas ineſſe vires, ut id efficiat, vel ineſſe, abſque ulla motus iſtius proxima cauſa, præter propriam Naturæ vim & facultatem. Si prius ſtatuatur, id probandum eſt, & à me negatur; & ſane naturalibus rationibus id minime demonſtrari poteſt. Si poſterius, tum certum eſt nullam aliam iſtius motus requiri cauſam. Vis enim iſta, Naturæ inſita, ſi per aliquod tempus Naturæ ineſſe poteſt, abſque alia cauſa citra Naturam, nulla ratio reddi poteſt, cur ei ſemper ineſſe nequeat.

Quod enim de horologio adferri ſolet, omnes conſpecto fine quem horas dividendo conſequitur, exinde cauſam concludere, id plane falſum eſt. Cauſam enim ex eo ſolo concludimus, quia non eſſe unum corpus, ex partibus ſibi invicem non conjunctis, ſed coaptatis; primo intuitu conſpicimus. Si vero partium adjunctio nulla deprehendi poſſet, tum ſponte natum eſſe corpus ſuſpicaremur, ſi nunquam de artificibus, eorum cauſis efficientibus, quidquam intellexiſſemus. Ita partium naturalium coalita unio, nullam cauſæ efficientis per artificium ſuſpicionem movere poteſt. p. 228. l. 5 à fin. *Hebr.* 1. 12. l. Hebr. 1. 12. Dicit enim Naturam à Deo deſtruendam, non vero ſponte corruituram. p. 230. l. 12. *deſtitutis.* l. præditis. p. 232. l. 5 à fin. *enim pro.* l. enim (pręter quam quod plane falſum ſit, ullas imperfectiones in Natura locum habere (ſi eam naturaliter conſideremus) quia omnia rerum attributa & accidentia, ex ipſa Naturæ natura fluunt. Et ſi Natura ea non haberet, tum non omnia in ea locum haberent. Omnia autem quæ naturaliter exiſtere & fieri poſſunt, in ea locum habere debent, ſi omnia entia, quæ infinita ſunt, ex ſua natura agent & movebuntur. Præterea omnia attributa, & quas imperfectiones vocant, neceſſario in entibus locum habere debent, nec ab eorum natura removeri poſſunt, niſi ex illis alia entia quam quæ ſunt efficere velis. Cum enim, v. g. homo ab infinitis entibus, quæ per os aſſumit, nutriri & ſuſtentari debeat, non poteſt non plurimis mutationibus, morbis

bis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

bis & accidentibus eſſe ſubjectus. Quæ idcirco pro imperfectionibus haberi non poſſunt, nec etiam haberentur, ſi nunquam entis perfecti mentionem audiviſſemus. Deinde pro. pag. 249. lin. 5. *& mutus.* lege mutus, imo reliquis externis ſenſibus deſtitutus. p. 253. l. 18. *perduxerunt.* l. perduxerunt. Adde quod iſta inepta Quakerorum explicatione, cognitio virtutis & vitii, non naturali lumini, ſed ipſi Deo tribuatur, & ſic eatenus nobis non eſt adverſa. Adde quod indefinita locutio *annunciantis pacem* æquè commode in plurali quam ſingulari accipi poſſit, quemadmodum videmus eam à *Paulo* pluraliter accipi. p. 256. l. 13. *ſpe & charitate.* l. ſpe. p. 261. l. 7. *Levit.* 20. 28. l. Levit. 20. 18. p. 267. l. 19. *Fidem vero.* l. Fidem vero quod ſit Deus. ibid. l. 20. *Rom.* 10. 14, 15, 17. l. Rom. 10. 14, 15, 17. Hebr. x1. 6. p. 275. l. 27. *perfectionem.* l. perfectiorem. p. 286. l. 3. *detineri ſoleat.* l. detineri debeat. p. 287. l. 18. *cum verſu 6 & 1.* l. cum verſu 6 & 11, 14 &c. p. 288. l. 5. *ſtatum* l. ſtatim.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
1113 D 47 [1]